

Digitized by Google

TEOLOGIA DOMMATICA
163 K 1.-7.
BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ. VITT. EMANUELE III
163 K 1
NAPOLI

THEOLOGIA
DOGMATICA
ET MORALIS

Ad Uſum Seminarii Catalaunenſis.

In VII. Tomos diſtributa,

Et Compendium.

THEOLOGIA DOGMATICA ET MORALIS,

AD USUM SEMINARII Catalaunenſis.

TOMUS PRIMUS,

Continens Tractatus de Deo Uno & Trino; Angelis, atque mundi viſibilis opificio.

Autore D. LUDOVICO HABERT, *Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore Theologo, & Socio Sorbonico.*

NOVA EDITIO

Auctior & emendatior.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. III NAPOLI

PARISIIS,
Apud BARTHOLOMÆUM ALIX, viâ Jacobæâ, ad inſigne Griphi.

M. DCC. XXXVI.

Cum Approbationibus, & Privilegio Regis.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NIHIL difficilius eſt, nihil arduum magis, quàm inſtituere quandam rationem ſtudiorum, quibus, qui in Seminariis Theologiæ dant operam, ad ſcientiam ſimul & pietatem rectè informentur. Teſtantur Præſules non pauci hâc in parte nondum planè ſibi ſatisfactum.

Quæ difficultas quanta ſit, ut faciliùs intelligatur, operæpretium eſt ponere ob oculos qui, qualeſque ſint, quos in Seminariis neceſſe eſt exerceri, & qui in exercendo ſit propoſitus finis.

Eorum, qui in Seminaria admitti-ſe poſtulant, paucos admodum reperire eſt, qui perſpicaci & ad litteras idoneo; pleroſque è contra, qui ingenio ſint ſanè mediocri. Maxima præterea pars aut non ſtuduêre, aut ſi Philoſophiæ Theologiæque curſum utcumque decurrerunt, nihil ferè quidquam earum re-

rum in memoriâ ſupereſt. Atqui ſi mediocriter eruditi & indocti arceantur à Seminariis, quota pars ſupererit? Vaſta erit ſolitudo, carebit Eccleſia Miniſtris, carebunt Epiſcopi Sacerdotibus, qui regant parœcias. Neceſſum igitur eſt in Seminaria recipi ejuſmodi adoleſcentes, & erudiri. Verùm quiſnam proponitur in hâc inſtitutione finis? Id agitur ut Magiſtri efficiantur, dentur Eccleſiæ Paſtores, fidelibus duces, qui certam ſalutis viam indicent, qui avocent ab obliquis deviiſque tramitibus, per quos itur perditum; qui magnos parvoſque, indoctos atque doctos edoceant. Ingens profectò propoſitum; quod ut exequantur quantum, amabo, conceditur temporis Doctoribus? Parum admodum, intra biennii ſpatium ad ſummum hæc perficienda abſolvendaque ſunt; id qui fieri poteſt?

Primùm quidem in animo fuit nonnullis, qui id opus antea tentarunt, ut Theologiæ ſummam contraherent, in quâ definitiones preſsè ac jejunè, & quæſtiones quædam de moribus, & ad conſcientiam pertinentes explicarentur; quæ quidem ratio à Seminariorum inſtituto abhorret. Nam iſta veluti compendia memoriam diſcentium obruunt, deterrent à ſtudio, cùmque nihil ſecum afferant voluptatis ſolent qui in Seminariis vulgò erudiuntur, tædio longo fatiſcere. Unde hæc loca illis inſtar carcerum ſunt,

ex quibus erumpere quamprimùm cupiunt; ac nedum ad pietatem ſinant informari ſeſe, efferuntur in gemitus, in querelas, in jurgia, in tædium, in diſſimulationem; atque ubi primùm inde egreſſi ſunt, ſtudia prorſus abjiciunt, cùm per breviorem illam & nimis compendioſam ſtudiorum rationem, plures (quod ipſa nos ſæpè docuit experientia) id non potuerint aſſequi, ut commodè uti poſſint lectione librorum optimorum. Hinc plerumque accidit ut evagentur, ut tempus inviſendis amicis malè perdant, ut ludo, venationi, epulis, agriculturæ toti ſe tradant, & quod ſuarum partium erat, negligant, &, aut ſuos nunquam doceant, aut doceant ita perfunctoriè ac ineptè, ut commiſſis ſibi populis nulli ſint adjumento, interdum etiam noceant non mediocriter.

Jam verò ſi tractatus paulò fuſiores dictentur, multi minimam partem eorum quæ addiſcere tenentur, propter temporis anguſtias, quo degunt in Seminariis, memoriâ complectuntur; plerique propter tenuitatem ingenii, planè nihil intelligunt; vel ſi quid percipiant initio, id quod primùm legerant, in medio contentionis lectioniſque curſu effugit, & cùm ad finem ventum eſt, jam probationes cum concluſionibus nuſquam valentes connectere, nihil niſi confuſum & conturbatum animo ſe-

quuntur ; hæc ita eſſe ſæpè ſumus experti.

Si in erudiendis tardioribus illis adoleſcentibus diuturnam impenderit Magiſter operam ; qui feliciori erunt ingenio, tempus incaſſum terent : atqui haud ſcio an quicquam ſit pernicioſum magis, quàm unum in locum magnam multitudinem congregare juvenum, niſi id caveatur imprimis, ut ne partem ullam quotidie temporis à labore ceſſent otioſi.

Etſi injuſtum mihi videatur plus imponere oneris quàm quis ferre poſſit, tamen exiſtimavi non omninò abs re futurum eſſe, ſi à ſtudentibus aliquid vel ultra vires flagitaretur, ut diſcant inde ita tempus inſumere, ut nunquam tædium irrepat, ſed diem celeriùs effluere querantur. Verùm quibus tandem viis; quâ ratione ad eum finem poterimus pervenire, propter quem inſtituta ſunt Seminaria ?

Cùm varia hanc in rem tentaſſem, nihil convenientius, utiliuſque compertum eſt, quàm quod per annos plures exequi conatus ſum. Hoc nempe inſtitutum fuit res quaſque certâ complecti methodo, ac ita inter ſe connectere, ut à ſe pendere invicem videantur.

Quamobrem 1°. ſtatuendum eſt certum quoddam principium, definitio v. g. clara ac dilucida, & ſolutis quæ ſponte occur-

runt objectionibus benè illuſtrata. Tum verò ex illo principio ſeu definitione colligendæ ſunt quæ inde ſolent manare veritates, & quæ vulgò in ſcholis argumenta ſunt diverſarum quæſtionum in totidem capita ac titulos diviſarum. Hæc via, docendique ratio multas ſecum affert utilitates.

1°. Conſulitur brevitati, ab unico principio multarum ducuntur concluſionum probationes. 2°. Ejuſmodi brevitas nullatenus probationes elevat, imò quantùm in illis roboris ſit atque virium multâ cum perſpicuitate aperit. 3°. Nihil ferè ſtudentium memoria laborat, hâc quippe ratione judicium præcipuè exercetur; cùmque ea ſit humani ingenii natura, ut amet res inter ſe conferre; & quod ex quâque re ſequatur colligere, hâc ſtudiorum ratione juvenes delectantur. 4°. Hæc ſtudendi, diſcendique via acuit ingenia, & ita informat, ut ex lectione librorum non utilitatem modò, ſed & voluptatem percipiant; quod præſtantiſſimum eſſe ac utiliſſimum duco viris præſertim Eccleſiaſticis, quòd nullâ re magis, quàm amore litterarum, à pleriſque vitiis poſſint deterreri. 5°. Quidquid iſto pacto memoriæ inſitum eſt, non tam citò effluit, quia judicii viribus innititur: quæ contra memoriâ comprehenſa ſunt, elabuntur celeriter, nec poſſunt eſſe diuturna. Quàm multi re-

periuntur, qui vix emiſſi è Seminariis in minimè tolerandam inſcitiam deveniunt! quòd cùm memoriam duntaxat onerarint iis rebus, de quibus in quolibet examine tentandi erant; continuò quod ægrè & inviti didicerant, tanquam grave onus abjiciunt.

Jam verò hæc ipſa methodus, quam in moralibus ſecuti ſumus, magis elucebit in ſcholaſticis, ut vocant, diſceptationibus, in quibus nec tot nec tam variæ quæſtiones incidunt, variis dijudicandæ modis; cùm contra in moralibus eadem ſæpè res circunſtantiis loci, temporis, perſonarum mutetur, atque ita ſit de eâdem aliter judicandum.

Verùm quoniam per biennium unicum non ſatis abſoluta perfectaque haberi poteſt earum rerum cognitio, quas in hoc Theologico opere attigimus, in quo tamen nihil inane & ſupervacaneum eſt, nihil quod ſcirì non oporteat ab iis quibus regimen animarum grande depoſitum, committitur; cùm etiam in Seminariis, ut diximus, multi ſint ingenio mediocri, qui vix ac ne vix quidem ſeriem illam, & quaſi vinculum veritatum in tantâ multitudine traditarum poſſunt intueri; hæc eadem nos ita breviter in Compendium contraximus, ut per menſes omninò tres hujus Compendii auxilio de Theologiâ penè universâ plures reſponde-

rint, ſatisfecerintque objectionibus, quas vulgò ſolent opponere Examinatores.

Hoc autem Compendium typis mandatum ad calcem hujus operis adjiciemus. Magnum ſanè inde adjumentum; ſed aliquid mihi videtur adhuc præſtantius quòd qui minùs felici ingenio ſunt, quique res, præſertim ſi multæ, & longè lateque diffuſæ ſint, ſine judicio confuſè & perperam ediſcebant, hoc adjuti Compendio longè meliùs intellexerunt; quin etiam illi qui valebant ingenio, cùm viderint in hoc Compendio, tanquam in tabellâ quâdam, quæ per annum integrum edocti fuerant, eorum vivam juſtamque imaginem, imò ita jucundam animo hauriebant, ut ipſi ſponte inter ludendum hoc Compendium evolverent, ſeque invicem, ſi quid inerat difficultatis, interrogarent. Ac multi audiente me dixerunt, hujus ope Compendii ſuos ſibi de Theologiâ tractatus magis arridere, eorumque lectionem multò ſibi videri jucundiorem.

Verùm parum admodum erit, eos, qui in Seminariis exercentur, doceri quid ſcire debeant, niſi intelligant iis veritatibus, quibus ipſa mens illuſtratur, accendi pectus oportere in eo quippe totum Theologi munus poni debet, ut ex iis, quæ Deus locutus eſt, & quæ docet Eccleſia, conſectarias veritates colligat: atqui nihil à Deo neque

in Scripturâ, neque in Traditione revelatum, niſi ut ad divinum amorem Fideles, ſinceramque pietatem incitarentur. Quare meritò quis dixerit, Theologicas lectiones ſingulas eſſe totidem cohortationes ad pietatem. Unde vitium vèl maximum eſt eas quæſtiones aridâ oratione & expreſsâ ab omni ſucco devotionis explicare, quemadmodum ferè fit in ſcholis Philoſophorum. Etenim quid abſurdum magis eſſet, quàm diſcipulos tandiu in longum, v. g. vel de incarnatione, vel de Gratiâ tractatum incubuiſſe, non cogitantes quot & quanta debeant immortali Deo, qui immenſos miſericordiæ theſauros tam liberaliter ibi recluſerit, aut non perciros metu, ne his omnibus ad ſuam perniciem abutantur.

His adducti rationibus per annos circiter triginta quantumlibet aliunde occupati, ac diſtricti negotiis, quotidie Theologicas lectiones peregimus, quoniam hâc viâ ſenſim ſine ſenſu & quaſi aliud agentes videbamur inſinuare in teneros juvenum animos multò efficaciùs vera de religione & de vitâ Chriſtianâ præcepta, quàm ſi deditâ operâ diſciplinam Eccleſiaſticam extollere, & palàm in vitia invehi voluiſſemus. Cùm enim de pietate ſermones inſtituuntur, 1°. Quidam plus æquo conſuetudini ſervientes, non æquis accipiunt auribus quæ dicuntur, eaque ad

unam tantùm Seminariorum rationem pertinere, nec ultra protendi arbitrantur; 2°. Rectores ſuos putant ad ſeveritatem proniores, & quæ docent, aut ſibi propria, aut etiam interdum à veritate abhorrentia. In Theologicis verò diſceptationibus faciliùs convincuntur eorum animi, ac perſuadentur, nihil ſibi à quoquam metuunt, id unum cogitant, ut diſcant quæ neſciunt; & Doctoris ſui ſenſa exprimere conantur; vident enim nefas eſſe ab ejus doctrinâ diſſentire, quia aut receptam ab universâ Eccleſiâ, aut à præſtantiſſimis quibuſque Theologis comprobatam doctrinam tuetur; contrarias autem opiniones vel tanquam hæreticas, vel falſas, temerarias, ſcandaloſas, ut vocant, fuiſſe ab Eccleſiâ damnatas.

Ad hanc normam inſtituti Seminariſtæ, nonne ſponte ſuâ averſabuntur eos, qui ſuſpectas opiniones temerè arripiunt, ſi modò à prudenti Magiſtro monſtratum ſit quid quoque loco & tempore conveniens ſit, quid non: quod quidem pluribus in locis conati ſumus efficere. Quæ cùm ita ſint, quî poterunt adoleſcentes non amare ſtudium ejuſmodi, quod ipſi ſentient eſſe ſibi tam utile, tamque neceſſarium?

Qui in Seminariis erudiuntur, ſolent exercitationis causâ familiares identidem habere de fidei materiis expoſitiones, & alias id

genus pias orationes ; porrò illos puto ad ſtudium , & ad ea , quæ jam didicerunt continenda animo fideliùs poſſe mirum in modum incitari , ſi ad finem cujuſlibet tractatûs adjiceretur caput aliquod , unde quiſque ſumeret argumentum oratiunculæ ſeu ſacræ concionis , eâ tamen lege ne aliunde quàm ex tractatu ſuo Theologico probationes colligerent , quas tamen quiſque pro ingenio , pro facultate dicendi ad emendandos auditorum mores piè non minùs quàm ſcitè accommodarent. Conſtat enim non poſſe ab iis ejuſmodi orationes cudi , & ſuis abſolvi numeris , niſi tractatum ſuum apprimè calleant , & quidquid in illo præcipuum eſt penitùs concoxerint, ut valeant quemadmodum res poſtulabit, eloqui.

Jam verò ubi peroraverint , ſi quid in oratione defuerit , ſi quid in aliquâ parte erratum , ſi quid non inculcatum ſatis , ſi quid elumbe fuerit , aut minùs aptum auditori ac loco , prudenter ac benevolè arguet ſtudiorum Moderator. Hinc quotidie magis acuetur diſcentium ingenium , cognoſcentque demum quantæ poſſint à ſuis tractatibus percipi utilitates.

Hic hujus operis ſcopus, hæc via , quam ſequi tentavimus. Fatemur nihil nos huc attuliſſe , ac præter levem quandam , vix adumbratam Theologici curſûs imaginem ;

quam quis aliquando, ſic enim ſperamus, & uſu rerum peritior & inſtructior virtutibus, perfectam abſolutamque dabit, idoneam imprimis informandis ad ſcientiam & pietatem Seminariſtis. Felices, ſi cùm ipſi per nos prodeſſe Eccleſiæ non potuerimus, noſtro tandem aliquis conatu excitatus abundè conſulat!

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

PROLEGOMENA THEOLOGIÆ.

CAPUT I. *De definitione Theologiæ.* Pag. 1.
CAP. II. *De diviſione Theologiæ*, 19
CAP. III. *Quæ requirantur diſpoſitiones in ſacræ Theologiæ Candidato?* 21
CAP. IV. *Utrùm Theologia ſit neceſſaria?* 29
CAP. V. *De Locis Theologicis*, 35
CAP. VI. *De Scripturâ Sacrâ*, 39
§. I. *De notione Scripturæ Sacræ*, ibid.
§. II. *De variis Scripturæ ſenſibus*, 45
§. III. *De diviſione Scripturæ Sacræ*, 48
§. IV. *De variis Sacræ Scripturæ verſionibus*, 61
CAP. VII. *De Traditionibus*, 69
§. I. *De notione & diviſione Traditionis*, ibid.
§. II. *De exiſtentiâ Traditionis divinæ*, 73
§. III. *Utrùm in Traditionibus divinis contineatur aliquid ad ſalutem neceſſarium?* 76
§. IV. *Utrùm Traditio ſit neceſſaria ad eruendum vel propugnandum verum Scripturæ ſenſum?* 79
CAP. VIII. *De Eccleſiâ*, 91

INDEX CAPITUM.

§. I. *Utrùm in rebus fidei & morum ad Eccleſiam recurrere neceſſe ſit?* 92
§. II. *De notis veræ Eccleſiæ*, 97
§. III. *De unitate Eccleſiæ*, 106
§. IV. *De ſanctitate Eccleſiæ*, 106
§. V. *De notione nominis Catholici*, 114
§. VI. *Expenditur quo ſenſu vera Chriſti Eccleſia ſit apoſtolica*, 116
§. VII. *De notione Eccleſiæ*, 129
§. VIII. *De viſibilitate Eccleſiæ*, 130
§. IX. *De perpetuitate Eccleſiæ*, 137
§. X. *De inviſibilitate Eccleſiæ in proponendis rebus fidei & morum*, 140
§. XI. *De Judice controverſiarum*, 148
§. XII. *De Conciliis Generalibus*, 155
CORROLLARIUM, 164

TRACTATUS.

De Deo Uno, diviniſque ejuſque Attributis.

CAP. I. DE *Nominibus Divinis*, 168
CAP. II. *De exiſtentiâ Dei*, 172
CAP. III. *De Eſſentiâ divinâ*, 178
CAP. IV. *De Attributis divinis in genere*, 184
CAP. V. *De Unitate Dei*, 187
CAP. VI. *De ſimplicitate Dei*, 189
Solvuntur objectiones. 198
CAP. VII. *De Immutabilitate Dei*, 203
CAP. VIII. *De Perfectione Dei*, 204
CAP. IX. *De Bonitate Dei*, 208
CAP. X. *De Sanctitate Dei*, 211
CAP. XI. *De Infinitate Dei*, 212
CAP. XII. *De Immenſitate Dei*, 213
CAP. XIII. *De Æternitate Dei*, 220
CAP. XIV. *De Inviſibilitate Dei*, 225
§. I. *Utrùm Deus ſit naturaliter viſibilis & comprehenſibilis?* 327
§. II. *Utrùm viſio Dei comprehenſiva ſupernaturaliter ſit homini poſſibilis?* 229
§. III. *Utrùm viſio Dei intuitiva ſupernaturaliter ſit homini poſſibilis?* 231
§. IV. *Utrùm Deus ſupernaturaliter videri poſſit oculis corporeis?* 238
§. V. *Utrùm quibuſdam eximiè Sanctis viſio*

Dei intuitiva ante mortem fuerit conceſſa? 241
§. VI. Utrùm animæ corporibus ſolutæ, quibus nihil expiandum ſupereſt, fruantur viſione Dei intuitivâ ante Reſurrectionem? 245
Solvuntur objectiones. 258
§. VII. Quæ & quot requiruntur, ut Deus intuitivè videatur? 271
§. VIII. Utrùm viſio beatifica in Angelis & hominibus ſit æqualis perfectionis? 278
§. IX. De Objecto viſionis beatificæ, 284
CAP. XV. De Scientiâ Dei, 292
§ I. De exiſtentiâ Scientiæ Dei, & ejus proprietatibus, 295
§. II. De reliquis Scientiæ Dei proprietatibus? 298
§. III. De diviſione Scientiæ Divinæ, 304
§. IV. De medio Scientiæ Divinæ, 308
§. V. Referuntur variæ ſententiæ de Dei praeſcientiâ liberè futurorum in ſtatu naturæ lapſæ, 317
§. VI. Deus actus liberè futuros ordinis ſupernaturalis in ſtatu naturæ lapſæ videt in abſoluto ſuo decreto, efficaci quidem & poſitivo, ſi boni futuri ſint, permiſſivo autem, ſi mali. 324
§. VII. De medio, quo Deus vidit ab æterno futuros actus liberos ordinis naturalis, vel ſupernaturalis Angelorum & hominis innocentis, 330

CAP XVI. *De voluntate Dei*, 333
§. I. *De exiſtentiâ & eſſentiâ divinæ voluntatis*, 334
§. II. *De diviſione divinæ voluntatis*, 336
§. III. *De objecto voluntatis Dei*, 344
§. IV. *De proprietatibus voluntatis divinæ*, 349
CAP. XVII. *De omnipotentiâ Dei*, 357
CAP. XVIII. *De providentia Dei*, 358
CAP. XIX. *De Prædeſtinatione*, 370
§. I. *De nomine Prædeſtinationis*, 371
§. II. *De eſſentiâ & exiſtentiâ Prædeſtinationis*, 375
§. III. *De variis modis, quibus Prædeſtinatio ſpectari poteſt*, 376
§. IV. *Referuntur errores circa cauſam Prædeſtinationis*, 383
§. V. *De cauſis Prædeſtinationis*, 389
§. VI. *Prædeſtinatio ad gloriam eſt gratuita, & ante præviſa merita*, 394
§. VII. *Solvuntur Objectiones*, 410
§. VIII. *De effectibus Prædeſtinationis*, 426
§. IX. *De dono Perſeverantiæ*, 431
§. X. *Satisfit nonnullis difficultatibus circa Prædeſtinationem*, 443
CAP. XX. *De reprobatione*, 450
§. I. *De nomine, & exiſtentiâ Reprobationis*, ibid.
§. II. *De variâ acceptione, & definitione Reprobationis*, 451
§. III. *De causâ Reprobationis poſitivæ & to-*

talis, 455
§. IV. *De causâ Reprobationis negativæ*, 464
§. V. *De effectibus Reprobationis*, 471
COROLLARIUM. 480

TRACTATUS.

De Deo Trino.

CAP. I. PRæmittuntur quædam ad hujuſce Myſterii notitiam neceſſaria, 485
CAP. II. *De variis hæreſibus circa adorandum Trinitatis myſterium*, 488
CAP. III. *Utrùm myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ſit in Scripturis revelatum?* 493
CAP. IV. *Utrùm Filius ſit Patri conſubſtantialis?* 504
Teſtimonium Patris, ibid.
Teſtimonium Filii, 512
Teſtimonium Spiritus ſancti, 521
CAP. V. *Utrùm Spiritus-ſanctus ſit Patri & Filio conſubſtantialis?* 553
CAP. VI. *Quid eſt myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis*, 558
CAP. VII. *De Poſſeſſionibus Divinis*, 562
CAP. VIII. *Satisfit nonnullis quæſtionibus circa divinas Proceſſiones*, 585
CAP. IX. *Solvuntur nonnullæ difficultates circa divinas relationes*, 605

CAP. X. *De Miſſionibus divinis,* 613
CAP. XI. *Utrùm exiſtentia, vel poſſibilitas myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis ratione naturali probari poſſit?* 616
CAP. XII. *Utrùm myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis cum ratione naturali pugnet?* 622
CAP. XIII. *Utrùm notitia myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis ſit ad ſalutem neceſſaria?* 630

TRACTATUS

De Creatione. 633

PRIMA PARS.

De Angelis. 636

CAP. I. *Quid Angelorum nomine intelligitur?* ibid.
CAP. II. *Utrùm exiſtant Angeli?* 637
CAP. III. *Utrùm Angeli ſecundùm naturalia ſint hominibn. perfectiores?* 642
CAP. IV. *Quænam Angeli naturaliter cognoſcunt?* 651
CAP. V. *Utrùm Angeli ſint in magno numero?* 664
CAP. VI. *Utrùm Angeli ſint in hominum cuſtodiam deputati?* 608
CAP. VII. *De gratiâ & lapſu Angelorum,* 687
CAP. VIII. *Quæ pœna conſecuta eſt peccatum Angelorum?* 695

SECUNDA PARS.

De mundi viſibilis Opificio. 715

CAP. I. UTrùm *Mundus ſit ab æterno?* ibid.
CAP. II. *Quonam ordine cuncta viſibilia condita ſunt?* 617
CAP. III. *Expenduntur ea, quæ ad hominis creationem pertinent,* 722
CAP. IV. *De gratiâ primi hominis,* 730
CAP. V. *De lapſu primi hominis,* 734

FINIS INDICIS.

PROLEGOMENA THEOLOGIÆ.

CAPUT PRIMUM.

De definitione Theologiæ.

Qu. 1°. QUID *eſt Theologia?*

R. Secundùm vim nominis Græci, eſt ſermo de Deo.

Q. 2°. *Quotuplex eſt Theologia?*

R. Duplex; naturalis, ſupernaturalis.

Naturalis aſſurgit ad cognitionem Dei, divinorumque ejus attributorum ex creaturarum teſtimonio; Pſalmo 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Naturalem hanc Dei cognitionem Philoſophos Gentiles non effugiſſe docet Apoſtolus Rom. 1. *Inviſibilia.. ipſius*, inquit, *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Theologia autem hoc modo accepta ad eam Philoſophiæ partem pertinet, quæ vulgò Metaphyſica dicitur, quamque Ariſtoteles 6. Metaph. idcirco Theologiam vocat.

Supernaturalis Deum reſque divinas attingit per principia ſupernaturalia, ſcilicet per Dei revelationem & propoſitiones fidei.

De Theologia naturali in hoc opere non agitur, ſed de ſupernaturali duntaxat.

Q. 3°. *Qomodo definitur Theologia ſupernaturalis?*

R. Definitur, diſciplina ſupernaturalis, quæ ex principiis divinitùs revelatis varias concluſiones tam de Deo, quàm de iis, quæ ad Deum quoquomodo ſpectant, certò elicit.

Dicitur 1°. *diſciplina ſupernaturalis*, quo diſtinguitur à Theologia naturali; hæc enim nititur principiis naturalibus; illa verò ſupernaturalibus, nempe verbo Dei, & divina revelatione.

Utrùm autem noſtra Theologia ſit intrinſecè & entitativè ſupernaturalis, an extrinſecè tantùm, non una eſt Scholæ ſententia.

Alii affirmant; quia illa diſciplina eſſentialiter eſt ſupernaturalis, quæ nititur motivo ſupernaturali; omnis quippe habitus vel actus ſumit ſpeciem ob objecto formali & motivo: atqui Theologia noſtra nititur motivo ſupernaturali, nempe propoſitionibus fidei; ideo enim Theologus aſſentitur huic concluſioni: *Ergo Chriſtus eſt riſivus*; quia Deus dixit Chriſtum eſſe verùm hominem: Ergo cùm ſcientia, quæ utitur mediis naturaliter cognitis, ſit entitativè naturalis, Theologica diſciplina entitativè ſupernaturalis agnoſci debet; cum ex principiis ſupernaturalibus diſcurrat.

Nec refert, quòd Theologia ſtudio & labore comparetur; namque fides explicita eorum omnium, quæ nobis à Deo revelata ſunt, prærequirit multas vigilias & exercitationes, cùm ad illam obtinendam addiſcenda ſit tota Scriptura, & omnium ſeculorum Traditio elucidanda; nec propterea fides explicita dici poteſt entitativè

naturalis. Similiter Theologia ſecundùm ſe ſpectata, hoc eſt aſſenſus datus concluſioni Theologicæ eſt entitativè ſupernaturalis, licèt naturalem prærequirat induſtriam & laborem.

Communior tamen in Scholis eſt eorum ſententia, qui docent Theologiam eſſe ſimpliciter & entitativè naturalem, & extrinſecè duntaxat ſupernaturalem; quia motivum ejus proximum eſt connexio concluſionis cum præmiſſis revelatis, remotum verò ipſa revelatio; neque enim Theologus aſſentitur huic concluſioni: *Ergo Chriſtus eſt riſivus;* quaſi Deus id dixerit, Deus quippe id nunquam dixit; ſed quia Deus revelavit Chriſtum eſſe hominem, unde Theologus concludit Chriſtum eſſe riſivum; quia hæc concluſio cum propoſitione revelatâ neceſſariam habet connexionem. Porro illa connexio eſt quid naturali lumine ita notum, ut vel ethnicus illam advertere poſſit. Ergo proximum Theologiæ motivum eſt naturale: remotum verò ſupernaturale: atqui habitus vel actus ſpeciem ſuam ſumit à motivo proximo. Ergo.

Confirmatur. Habitus entitativè ſupernaturalis eſt infuſus: atqui habitus Theologiæ non eſt infuſus; vel enim infunderetur in juſtificatione cum gratia ſanctificante, & aliis habitibus infuſis, vel extra juſtificationem pro merito laboris. Non primum, alioquin Theologia in juſtificatione idiotis & mulierculis infunderetur. Non ſecundum; quia ſi pro merito ſtudii & laboris rependeretur in præmium, ingenii acumen in hoc ſtudio non conferret quidquam, ſed ſola pietas; rudiores & ſtolidi cum recta intentione hìc magis proficerent, quàm perſpicaces, qui ex vanitate & quovis pravo fine deſudarent: illi quippe, non iſti, merentur augmentum habitûs Theologici, ſicut alioi

rum habituum ſupernaturalium; quæ cùm falſiſſima omnes experiantur, fateri neceſſe eſt habitum Theologiæ non eſſe infuſum, ſed acquiſitum, ac proinde intrinſecè naturalem, extrinſecè verò ſupernaturalem.

Negari tamen non poteſt, quin Deus ſpecialiter adjuvet pios eorum conatus, qui omne ſtudium ſuum in utilitatem Eccleſiæ convertunt, eiſque plus luminis conferat, quàm ſuo labore comparare queant, ita ut eorum Theologia inter gratias gratis datas meritò numeretur; *Deus enim ſcientiarum dominus eſt*, 1. Reg. cap. 2.

Dicitur 2. *ex principiis divinitùs revelatis*. Quæ particulæ exprimunt differentiam Theologiæ eſſentialiter conſtitutivam & diſtinctivam ab omnibus aliis ſcientiis. Philoſophia v. g. ſolam rationem conſulit, & ex primis principiis ſive ſpeculativis, ſive practicis educit ſuas concluſiones: Juriſprudentia verſatur circa leges humanas, & ex iis infert quid in particulari ſit per eas licitum aut prohibitum: Theologia verò ad altiora principia aſſurgit, Deum ipſum in omnibus conſulit, verba ejus attendit, exponit, & de cæteris judicat: *Noſtra inſtitutio*, inquit Tertullianus lib. de præſcriptionibus cap. 7. *de Porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum*. Et cap. 14. *Fides in regula poſita eſt. Habes legem & ſalutem ex obſervatione legis: exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti... Nihil ultra ſcire, omnia ſcire eſt.*

Ex his tamen non inferas rationem & Philoſophorum ſententias à Scolis Theologicis eſſe prorſus eliminandas; Theologo quippe utiliter inſerviunt, 1°. ut probet Religionem Chriſtianam nihil rationi diſſonum docere, præcipere

aut prohibere; ſunt enim multi inobedientes, vaniloqui, qui faciliè blaſphemant quod ignorant, & oderunt; quos oportet redargui rationis efficaciâ, & confundi ipſorum Philoſophorum teſtimonio, quemadmodum ſuo exemplo docet Apoſtolus Act. 17. v. 28. Tit. 1. v. 12. & feliciter executus eſt Angelicus Doctor, præſertim in ſecunda parte ſuæ ſummæ. 2°. Ut veritate, quam ethnici in injuſtitia detinent, ſacram doctrinam tanquam pretioſâ ſupellectili exornet Iſraëlitarum exemplo, qui, jubente Deo omnium rerum domino, Ægyptiorum vaſa in ornamentum ſanctuarii abſtulêre, Exod. 12. Theologia quippe, ut architectonica, & omnium ſcientiarum domina, jure ſibi vindicat quidquid in inferioribus diſciplinis laudabile, & componendis Fidelium moribus utile repererit.

Sed cavendum in primis, ne in hac ſacra diſciplina ratio dominetur; ſi enim habenas ſemel ei laxaveris, nullus erit modus: ratio quippe per peccatum duplici morbo laborat. 1°. Infirma eſt & cæcutiens circa res divinas, ſæpe affirmat probatque, quod fides negat & reprobat; & contra. Unde ſi ad judicium ejus referantur controverſiæ, quæ identidem in ſacra Schola naſcuntur circa fidem & mores, errorum monſtra pariat neceſſum eſt. Quid enim Philoſophi ex ſancto Hieronymo epiſt. ad Creſiphontem, niſi *Hæreticorum Patriarchæ, qui Eccleſiæ puritatem perversâ maculavêre doctrinâ?*

In hac ergo ſacra palæſtra captivetur ratio in obſequium fidei, regatur ut ancilla, nec dominari permittatur: nam præterquamquod eſt infirma & cæcutiens, 2°. eſt inſtabilis, inquieta & imperioſa; Philoſopus ex Tertulliano cap. 1. de anima definitur, *gloriæ animal*, libidine diſputandi & rixandi pruriens dialecticam in-

ſerit, *artificem ſtruendi & deſtruendi verſipellem*, inquit idem Tertullianus de præſcript. cap. 7. *in ſententiis coactam, in argumentis operariam contentionum, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia retractantem.* Et c. 2. de anima: *apud Philoſophos pro numero etiam ipſorum Commentatorum quot varietates ſententiarum, quot palæſtræ opinionum, quot propagines quæſtionum, quot implicationes expeditionum!*

Hîc diſſimulare non licet, quod latere non poteſt, ſcilicet ſacram Scholam dudum ſimiles ferè conflictiones & diſcordias pati, ſed vitio quorundam Modernorum, qui Philoſophicis affecti, res Theologicas in rationis trutina expenderunt, varias quæſtiones metaphyſicas circa fidei dogmata de quibus inter omnes Catholicos convenit, ſuperfluè inſeruerunt, & ita prolixè proſecuti ſunt, ut non ſtadium Theologicum, ſed planè Philoſophicum excurrere viderentur, ac præconceptis circa mores opinionibus, Scripturam accommodarunt, parum ſolliciti de Traditione ſanctorum Patrum, contra regulam à Tridentino Conc. præſcriptam ſeſſ. 4. eòque progreſſi, ut hanc evulgarint damnabilem propoſitionem, & revera damnatam, 1°. ab Academia Pariſienſi anno 1665. deinde à Clero Gallicano anno 1700. *in omni materia, & præcipuè in morali libentiùs juniores, quàm antiquiores lego & ſequor .... doctrina fidei à veteribus: doctrina morum à junioribus petenda.* De qua propoſitione ſic ſenſuerunt Gallicani præſules: *Hæc propoſitio,* inquiunt, *eſt temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea: ſanctis Patribus & antiquis Doctoribus contumelioſa; ſpreta in moribus Chriſtianorum componendis neceſſariâ Scripturarum & Traditionis auctoritate & interpretatione moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas Traditiones & doctrinas, Chriſto prohibente, ſtabiliendas.*

Enim verò illud eſt diſcrimen inter Theologiam & Philoſophiam, quòd iſta naſcatur perficiaturque ex obſervatione rerum naturalium; unde cùm in iis nova identidem detegantur, poſteriores Philoſophi prioribus doctiores evadere poſſunt: illa verò nitatur ſolâ Dei revelatione, quam Apoſtoli acceptam à Chriſto apud Eccleſiam depoſuerunt cuſtodiendam, & conſulendam, quoties oriuntur difficultates & controverſiæ in rebus fidei & morum: neque enim in hujuſmodi circumſtantiis Paſtores in Conciliis congregati expectant novas revelationes; ſed, aſſiſtente Spiritu-Sancto, diligenter inquirunt, quid ab Apoſtolis fuerit traditum: *Quis enim integræ mentis*, inquit Tertullianus lib. de præſcript. cap 22. *credere poteſt aliquid eos ignoraſſe, quos Magiſtros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in convictu, quibus obſcura quæque ſeorſim diſſerebat..... Dixerat planè aliquando*: Multa habeo adhuc vobis loqui, ſed non poteſtis modò ea ſuſtinere; *tamen adjiciens*: Cùm venerit ille Spiritus veritatis, ipſe vos deducet in omnem veritatem, *oſtendit illos nihil ignoraſſe, quos omnem veritatem conſecuturos per Spiritum veritatis repromiſerat: & utique implevit repromiſſum, probantibus actis Apoſtolorum, deſcenſum Spiritûs ſancti.* Atque eo nixus certiſſimo principio omnem doctrinæ novitatem falſitatis arguit cap. 31. *Ita ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum & verum; quod ſit priùs traditum: id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum. Ea ſententia manebit adversùs poſteriores quaſque hæreſes.* Abſit ergo ut juniores Theologi credantur antiquioribus peritiores, & ideo præferendi, cùm fluenta ſapientiæ nonniſi per eos veluti per canales in ipſos derivari potuerint, & ſi quid ſuperaddere præſumpſerint,

illud extraneum, falſum, & tanquam zizania ex agro Dominico colligendum cenſeri debet, ut ibidem docet Tertullianus. Ergo.

Dices: Ex ſancto Gregorio hom. 16. in Ezech. *Quantò mundus ad extremum ducitur, tantò nobis æternæ ſcientiæ aditus largiùs aperiatur.*

Diſtinguo antecedens: largiùs aperitur, quatenus magis explicantur quæ obſcura erant in Scriptura & Traditione. Concedo; namque ex Vincentio Lirinenſi cap 17. lib. contra hæreſes, Eccleſia pretioſam divini dogmatis gemmam exculpit, fideliter coaptat, adornat ſapienter: Largiùs aperitur, quaſi ſucceſſu temporis Eccleſia doceat & definiat quæ Apoſtolis fuerunt ignota, nec ab ipſis tradita; Nego antecedens. Et quidem ad mentem ſancti Thomæ, qui 2. 2. qu. 1. a. 7. ad 4. ſic ſcribit: *Quia ultima conſummatio gratia facta eſt in Chriſto, unde & tempus ejus dicitur tempus plenitudinis;* (Gal. 4) *ideo illi qui fuerant propinquiores Chriſto, vel ante, ſicut Joannes-Baptiſta, vel poſt, ſicut Apoſtoli, pleniùs myſteria fidei cognoverunt.* Et in corpore articuli docet articulos fidei ſucceſſu temporis non creviſſe quoad ſubſtantiam, ſed duntaxat quoad explicationem. Sic Eccleſia abſque nova revelatione, ſed juxta quod traditum erat, minùs tamen clarè, definiit contra Donatiſtas ratum eſſe Baptiſmum ab Hæreticis collatum: & noviſſimè contra Pſeudoreformatos, intentionem eſſe neceſſariam in Miniſtro Sacramentorum; libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & alios, de quibus antea ambigebatur, eſſe divinos & canonicos. Porro dubium non eſt, quin hujuſmodi definitionibus & explicationibus aditus æternæ ſcientiæ largiùs aperiatur.

Inſtabis: Pſaltes regius canit Pſal. 118. *Super omnes docentes me intellexi ..... ſuper ſenes intellexi.* Ergo in Religione Chriſtiana juniores Theologi antiquioribus aliquando præferri debent.

Nego conſeq. Diſparitas eſt, quòd Moyſi, qui fuit promulgator veteris legis, non omnia explicitè revelata fuerint, ſed poſteriores Prophetæ novas identidem acceperint revelationes, & quidem, juxta ſanctum Auguſtinum, eò clariores, quo erant Chriſto viciniores, Iſaïa tamen excepto. Atqui Davidem fuiſſe Prophetam inſignem negari non poteſt, cùm in Pſalmo 50. ſcribat; *incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtati mihi:* & Chriſtus in Evangelio teſtetur in Pſalmis multa de ſeipſo contineri. Ergo David verè cecinit ſe ſuper omnes ſenes intellexiſſe. Apoſtolos verò nihil eorum latuit, quæ ad ædificandam Religionem Chriſtianam pertinebant; *latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram? Latuit & Joannem aliquid dilectiſſimum Domino, pectori ejus incumbentem?* Tertullianus lib. de præſcript. cap. 22. Viris quidem ſanctitate eximiis, ut ſancto Benedicto, nonnulla ſpecialiter revelata ſunt; ſed fides Catholica ejuſmodi revelationibus non innitur, nec ex iis Theologus elicit ſuas concluſiones.

Inſtabis iterum: ait Chriſtus Matth. 13.v. 52. *Omnis ſcriba* (Doctor) *doctus in regno cælorum ſimilis eſt patri familias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.* Ergo novitas excludenda non eſt à ſacra Schola.

Reſpondeo 1°. cum S. Auguſtino lib. Quæſtionum in Matth. quæſt. 16. hæc ad litteram dirigi ad Apoſtolos, quos Chriſtus ſuæ familiæ præficiens, multa prioribus ſæculis abſcondita edocebat: *intellexiſtis*, inquit, *hæc omnia?* Et cùm reſpondiſſent ſe intelligere; monuit hæc nova æque ac vetera Prophetis priùs revelata ab ipſis diſpenſanda fidelibus, uti familiæ ſuæ domeſticis. 2°. Etiamſi verba laudata extendantur ad Paſtores & Theologos poſteriorum ſeculorum,

nova & vetera docent, 1°. quia novas Eccleſiæ definitiones ex Scripturis antiquis & traditionibus vindicant contra oblatrantes Hæreticos, & mundi amatores, 2°. quia antiquam doctrinam ſtabiliunt & ornant ex conſenſu Scholaſticorum, qui poſt ſanctos Patres Apoſtolicæ Traditionis teſtimonium reddunt: 3°. quia ex Scripturis & Traditionibus varias concluſiones eliciunt ad fidelium ædificationem. Et ita Theologus in quolibet diſcurſu profert nova & vetera, concluſio eſt nova, principium ex quo educitur, eſt vetus, utpote à Chriſto revelatum, & ab Apoſtolis traditum.

Apage ergo Pſeudotheologos, qui ſub nomine Theologiæ moralis inanem obtrudunt Philoſophiam, in qua non ex bono cordis theſauro vetera, ſcilicet Scripturam & Traditionem Apoſtolicam proferunt; ſed ratiunculas curioſè excogitatas, & principia recèns fabricata, quale eſt illud, *dum probabilitate ſive intrinſecâ ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Item *ſi liber ſit alicujus junioris ac moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à ſede Apoſtolica tanquam improbabilem;* ex quibus & ſimilibus principiis, Patribus incognitis abſurdas quaſque deducunt concluſiones nullâ actoritate firmatas, niſi eorum, qui ejuſmodi vanitatibus ſerviunt; nec Scripturæ uſquam ferè meminerunt, niſi ut ſenſum e ûs detorqueant, cùm videtur ipſis oppoſita. Quapropter aliam Theologiæ notionem & definitionem edant neceſſe eſt, ut lucubrationes ſuas tam ambitioſo nomine decorare poſſint; nam vera Theologia quam profeſſi ſunt ſancti Patres, Magiſter Sententiarum, ſacræ Facultatis Pariſienſis parens, & alii deinceps

Scholæ Principes, tota eſt in eruendis concluſionibus & morum regulis ex Scriptura & Traditionibus, quarum profert teſtes ſcripta Veterum, Canones Eccleſiæ, & Decreta Summorum Pontificum: *apud nos inconvulſis radicibus vivat antiquitas, cui decreta Patrum ſanxêre reverentiam*, inquiebat olim Zozimus Papa, refertur que Can. *Contra ſtatuta*, causâ 25. qu. 1. Sanctus quoque Bernardus epiſt. 77. ad Hugonem: *Patrum tantùm opponimus ſententias ac verba proferimus, & non noſtra, neque enim ſapientiores ſumus, quàm Patres noſtri.* Et Richardus à ſancto Victore lib. de præparat. animæ ad contempl. c. 81. *Suſpecta eſt mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum auctoritas.*

Ex his intelligit Theologiæ candidatus quàm ſeriò incumbere debeat lectioni Scripturæ ſacræ, quæ à S. Ambroſio lib. 3. de fide cap. 7. ideo vocatur *Liber ſacerdotalis*, quòd Sacerdos eam ſemper præ manibus habere debeat, quemadmodum S. Hieronymus Nepotianum monet his graviſſimis verbis: *divinas Scripturas ſæpiùs leges, imo nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas...ſermo Preſbyteri Scripturarum lectione conditus ſit.* Et S. Gregorius lib. 18. Moral. c. 14. *Omne quod loquitur* (Sacerdos) *ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium ſuæ locutionis firmet*; quæ à fortiori de Theologo intelligi debent, cùm omnis ejus locutio ſit vel verbi Dei ſincera expoſitio, vel ex verbo Dei neceſſaria concluſio.

Sed meminerit ſacræ Scripturæ ſtudioſus eorum quæ veriſſimè ſcripſit S. Hieronymus in epiſt. ad Galat. *Grande periculum eſt in Eccleſia loqui ne fortè interpretatione perverſâ de Evangelio Chriſti fiat hominis Evangelium, aut, quod pejus eſt, diaboli.* Evangelium diaboli faciunt Hæreti-

ci, & morum corruptores, qui ad confirmandos ſuos errores illud impiè detorquent, *neque enim natæ ſunt hæreſes*, inquit S. Auguſtinus tract. 10. in Joan. *niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur*: in hominis verò Evangelium convertunt, qui illud naturali lumine interpretari præſumunt; &, ut ſcribit S. Epiphanius ad Joannem Jeroſolymitanum, *id volunt ſignificare quod ipſi ſentiunt*, ita ut rationis ſit judicare, quando Evangelium in iis, quæ ſpectant mores, præcipiat, aut ſolùm conſilium det majoris perfectionis gratiâ: ex quo falſo principio facilè deducitur illud quorundam Modernorum effatum: *Theologia moralis nova eſt.*

In lectione ergo ſacræ Scripturæ conſulenda eſt Eccleſiæ Traditio, exemplo ſanctorum Patrum, ac præſertim Baſilii & Gregorii Nazianzeni, qui, ut refert Ruffinus lib. 11. Hiſt. Eccleſ. cap. 9. per annos tredecim in ſolitudine ſacris litteris operam dederunt, *illarum ſententias non ex proprio ingenio, ſed ex majorum Traditione & auctoritate interpretantes*, quam regulam Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. vult ab omnibus obſervari, *ad coërcendi*, inquit, *petulantia ingenia decernit* (ſancta Synodus) *ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum... ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſanctarum Scripturarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat.*

Dicitur, 3°. *varias concluſiones elicit*, quibus ſignificatur Theologiam eſſe habitum, 1°. diſcurſivum, 2°. non ſolùm expoſitivum, ſed etiam illativum, & ut aiunt, adhæſivum.

Primò, eſt habitus diſcurſivus; quia unum

infert ex alio, & ſic diſtinguitur à fide, quæ non eſt diſcurſiva, ſed inclinat ad ſimpliciter aſſentiendum Deo dicenti. Inquiſitione quidem opus eſt & diſcurſu, antequam fides generetur; Infidelis quippe perpendit diligenter prophetias, miracula, & alia credibilitatis motiva, tandemque ex illis colligit credibilia eſſe quæ dicuntur. Sed illa concluſio, quæ naturaliter elici poteſt, eſt quid prævium & extrinſecum fidei, quæ tum ſequitur, cùm Deus voluntati inſpirat credulitatis affectum, quo intellectus ſupernaturali lumine illuſtratus & roboratus determinatur ad ſimpliciter credendum Deo dicenti, v. g. *Ego ſum qui*, Exod. 3. *Eſt autem Deus verax.* Rom. 3. quæ duæ fidei propoſitiones ſunt primariæ, & ceteris præſuppoſitæ.

Secundò, habitus Theologiæ eſt ſimul expoſitivus & illativus.

Eſt expoſitivus, cùm Theologus ea, quæ generatim & obſcurè revelata ſunt, diſcurrendo exponit & elucidat; Deus v. g. dixit Chriſtum eſſe hominem, ſingula peccata lethalia poſt Baptiſmum commiſſa in ſacramentali Confeſſione eſſe declarandas; Theologus has propoſitiones diſcutiens, concludit Chriſtum eſſe revera animal rationale, quia omnis homo eſt ánimal rationale: in Chriſto eſſe intellectum humanum, & voluntatem rationalem, alioquin, ut advertit S. Auguſtinus contra Apollinariſtas, Verbum aſſumpſiſſet animam pecorinam: circumſtantiam, quæ mutat peccati ſpeciem, à pœnitente eſſe exprimendam in Confeſſione; quia efficit ut unum & idem phyſicè peccatum ſit moraliter duplex. Porro ejuſmodi concluſiones ſunt de fide, & data occaſione uti tales ab Eccleſia definiuntur: quia ſunt immediatè à Deo revelatæ.

Illativus eſt Theologiæ habitus, cùm ex iis,

quæDeus revelavit,Theologus aliud concludit, non revelatum, ſed neceſſariò connexum cum propoſitione revelatâ, v. g. ex eo quòd Deus dixerit Chriſtum eſſe hominem, Theologus deducit Chriſtum eſſe riſivum, quod quidem Deus non dixit; ſed ſequitur ex ejus verbo, ac proinde hæc concluſio de fide non eſt.

Quærenti itaque utrùm concluſio Theologica ſit de fide, reſpondendum cum diſtinctione. Si concluſio fiat per ſimplicem explicationem, eſt de fide; quia immediatè revelata eſt: ſi autem per illationem habeatur, non eſt de fide, nec materia fidei; quia non ſubeſt divinæ revelationi, ſed connexa eſt duntaxat cum propoſitione revelata.

Dicitur 4°. *certò elicit:* quod denotat Theologiam propriè eſſe ſcientiam ſimul & ſapientiam; namque 1°. Illa diſciplina eſt propriè ſcientia, quæ ex principiis neceſſariis certas elicit concluſiones: atqui talis eſt Theologia: Ergo: 2°. Illa diſciplina meritò vindicat ſibi nomen ſapientiæ, quæ verſatur circa res altiſſimas, & ex cauſis altiſſimis concluſiones ſuas deducit: atqui Theologia verſatur circa res altiſſimas, nempe circa Deum, & divina ejus attributa; & ex verbo Dei omnes ſuas concluſiones deducit: Ergo.

Dices 1°. Scientia propriè dicta eſt cognitio certa & evidens: atqui cognitio Theologica non eſt evidens; nititur enim principiis revelatis, ac proinde obſcuris & inevidentibus: Ergo.

Diſtinguo majorem: ſcientia naturalis, Concedo; quia nulla cognitio naturalis poteſt eſſe phyſicè aut metaphyſicè certa, niſi ſit evidens: ſcientia ſupernaturalis, qualis eſt Theologia, Nego majorem; quia ſine evidentia habet ex verbo Dei, cui innititur tanquam principio infallibili, omnem certitudinem, quæ ad ſcien-

tiam requiritur. Negari tamen non poteſt, quin plures concluſiones Theologicæ ſint ſolùm probabiles; quia illarum connexio cum principiis revelatis non ſatis apparet. Sed hoc non impedit quin ſimpliciter dicenda ſit ſcientia; ſicut & Philoſophia, quæ multa probabiliter tractat.

Dices 2°. Scientia & ſapientia eſſentialiter differunt: ergo unus & idèm habitus non poteſt eſſe ſimul ſcientia & ſapientia.

Diſtinguo antecedens: ſcientia ſpecificè ſumpta: Concedo: ſcientia genericè ſumpta, Nego antecedens. Scientia itaque dupliciter ſumitur, ſcilicet genericè & ſpecificè: genericè eſt cognitio certa ex principiis neceſſariis; & ſic ſumpta ſcientia communis eſt ſapientiæ, prudentiæ & arti Liberali, putà Logicæ; ſapientia enim, prudentia & ars Liberalis ſunt cognitiones certæ ex principiis neceſſariis: ſcientia ſpecificè ſumpta, eſt cognitio rerum inferiorum per cauſas inferiores, & in hac acceptione eſſentialiter differt à ſapientia, quæ eſt cognitio rerum divinarum per cauſas altiſſimas. Quemadmodum autem animal, quod eſt quid commune homini & brutis animantibus, quæ ſunt diverſæ animalis ſpecies, contrahitur per differentias ſpecificas, in homine v. g. per rationalitatem; ſimiliter cognitio certa ex principiis neceſſariis dividitur in multas ſpecies per varias differentias: ſi cognitio ſit rerum ſuperiorum per altiſſima principia, conſtituitur ſpecies ſcientiæ, quæ dicitur ſapientia: ſi ſit rerum inferiorum per cauſas inferiores, exurgit alia ſcientiæ ſpecies, quæ ut eſt imperfectior, retinet nomen generis, & ut ſic, differt à ſapientia. Porro Theologia eſt cognitio certa rerum ſuperiorum ex principiis altiſſimis, ac proinde eſt vera ſcientia & ſapientia.

Ex dictis ſequitur Theologiam certiorem eſſe

quâlibet naturalî diſciplinâ; quia illa ſcientia certior eſt, quæ concluſiones ſuas elicit ex principiis certioribus: atqui Theologia eſt ejuſmodi; namque patet ex dèfinitione allata, Theologiam elicere ſuas concluſiones ex verbo Dei, ſeu ex propoſionibus à Deo revelatis, cùm ſcientia naturalis ſuas deducat ex rationis principiis; atqui quod Deus dicit, certius eſt eo quod ratio naturalis dictat: Ergo.

Propter eandem rationem Theologia minùs habet certitudinis, quàm fides: quia principia ſunt certiora concluſionibus, juxta vulgare Philoſophorum effatum, per quod unumquodque tale eſt, & illud magis per ſe: atqui concluſio Theologica, quæ fit per illationem, ſuam certitudinem deſumit ex propoſitione fidei: ergo ipſa propoſitio fidei eſt concluſione certior.

Dices: prima rationis principia ſunt impreſſiones divinæ, & participationes quædam primæ veritatis: ergo ſunt æquè certa ac propoſitiones fidei; ſicut enim Deus loquendo eſt verax, ita & operando.

Nego conſequentiam. Verum quidem eſt quòd Deus fallere non poſſit, ſive dum operatur, ſive dum loquitur, ac proinde prima rationis principia ab ipſo indita, certò ſunt vera, nec poſſunt eſſe falſa. Sed in eo verſatur quæſtio, utrùm ſint æquè certa ac ipſum Dei verbum, & contendimus non eſſe; quia ſe habent ad veracitatem divinam ſicut impreſſio lucis ad ipſam lucem: atqui conſtat lucidum non tantam habere claritatem, quanta eſt ipſiuſmet lucis claritas: ergo cum principia rationis ſint participationes primæ veritatis, non habent æqualem certitudinem cum prima veritate per ſeipſam loquente. Unde, quamvis prima principia non poſſint eſſe fidei, & verbo Dei contra-

ria, ſi tamen ob imbecillitatem intellectûs humani aliqua oppoſitio appareret, ipſa recta ratio dictaret adhærendum potiùs verbo Dei, quàm principiis lumine naturali notis.

Inſtabis: Illa cognitio eſt certior, cui mens ita neceſſariò adhæret, ut non poſſit pulſari errandi formidine: atqui mens ita neceſſariò adhæret concluſioni ſcientificæ, & principiis lumine naturali notis, ut nullâ errandi formidine pulſari poſſit; cùm contra patiatur nonnunquam graves tentationes circa concluſiones Theologicas, & circa fidem: Ergo.

Diſtinguo majorem: certior eſt ratione ſubjecti, Concedo: ratione motivi, Nego majorem: fidelis itaque, licèt propter inevidentiam & obſcuritatem rerum revelatarum patiatur tentationes, ſitque ei liberum propoſitionibus fidei conſentire vel diſſentire, firmiùs tamen ac tenaciùs illis adhæret, quàm principiis lumine naturali notis; quia motivum illis aſſentiendi eſt multò certius, ut jam diximus.

Ergo objectum adæquatum Theologiæ eſt omnis concluſio deducibilis ex propoſitionibus fidei; quia illud eſt adæquatum diſciplinæ objectum, circa quod diſciplina tota verſatur: atqui Theologia tota verſatur circa concluſiones ex propoſionibus fidei deducibiles: ergo objectum adæquatum Theologiæ eſt omnis concluſio deducibilis ex propoſitionibus fidei; ita ut ipſa concluſio deducenda ſit ejus objectum materiale, deducibilitas verò objectum formale: quemadmodum materiale objectum Logicæ adæquatum ſunt mentis operationes; quia Logica tota circa illas verſatur: formale verò eſt ipſa dirigibilitas ad verum; objectum enim formale eſt ratio, ſub qua diſciplina verſatur circa ſuum objectum materiale: Logica autem agit de mentis operationibus, quatenus ſunt ad

verum dirigibiles; Theologia pariter de propoſitionibus, quatenus ſunt deducibiles ex aliis propoſitionibus revelatis: Ergo.

Porro objectum attributionis Theologiæ eſt Deus, quia illud dicitur objectum attributionis alicujus diſciplinæ, circa quod illa diſciplina primariò verſatur, & ad quod omnia, quæ in ea expenduntur, revocari poſſunt: atqui Theologia circa Deum primariò verſatur, & inſuper cetera omnia, de quibus agit, ad Deum referuntur, vel ut ejus effectus, quales ſunt omnes creaturæ, vel ut media ad ipſum aſſequendum, quales ſunt incarnatio, gratia, virtutes exercendæ, peccata vitanda, leges implendæ, Sacramenta recipienda.

Hinc colligere eſt 1°. Theologiam eſſe unam ſpecie ſcientiam; illa enim diſciplina una eſt ſpecie ſcientia, cujus unum eſt objectum formale; atqui unum eſt Theologiæ formale objectum, nempe propoſitionum deducibilitas ex principiis fidei: Ergo Theologia eſt una ſpecie ſcientia.

2°. Theologiam non eſſe propriè ſubalternatam ſcientiæ beatorum; quia ſcientia propriè ſubalternata deſumit ſua principia à ſcientia ſuperiore ſeu ſubalternante, v. g. Medicina à Phyſica; ars frenofactoria ab arte equeſtri: atqui Theologia non deſumit ſua principia à ſcientiâ Beatorum, quamvis illi ſit inferior; quia principia Theologiæ ſunt propoſitiones fidei, quæ non reperiuntur in ſcientiâ Beatorum: Ergo.

3°. Theologiam nobiliorem eſſe & ſuperiorem cunctis naturalibus diſciplinis; quia illa diſciplina eſt ceteris nobilior & ſuperior, quæ propiùs attingit ultimum rerum omnium finem: atqui Theologia propiùs attingit rerum omnium finem, imò habet illum pro primario objecto,

circa illum potiſſimùm verſatur: Ergo eologia eſt nobilior & ſuperior cunctis naalibus diſciplinis.

:rgo inferiores diſciplinæ, ut politica, juriſidentia, Philoſophia, & ars quælibet, ad eologiam confugere debent in obſcurioris, ubi periculum eſt, ne ab ultimo fine aberit, & quidquam decernant, doceant, & equantur, quod repugnet fidei, & legi dinæ. Longè enim abſurdiſſimum eſſet, & nimè in Chriſtiano Philoſophiæ Profeſſore endum, ſi, nullâ ratione habitâ rerum Theoʒicarum, diſcipulos imbueret opinionibus, æ cum ſacrâ doctrinâ coherere nequeant; em quippe eſt ac ſi diceret ſe abſtrahere à veate & falſitate, ſui autem eſſe inſtituti ſimciter exponere quidquid amor veritatis inniosè excogitavit; quià ex dictis vera eſt gnitio Theologica, & certior omni illa cogtione naturali: Ergo qui ab eâ ſe abſtrahere cit, ut doceat quæ cum illâ conciliari non ſſunt, profitetur ſe docendo abſtrahere à ritate & falſitate.

CAPUT. II.

De diviſione Theologiæ.

Q*Uomodo dividitur Tgeologia?*

R. Dividitur 1°. in dogmaticam & oralem: dogmatica verſatur circa probanda, uſtranda, & vindicanda fidei dogmata: moris verò tota eſt ad dirigendos mores juxta ;ulam fidei, & Dei legem.

Dividitur 2°. in poſitivam, & ſcholaſticam. Poſitiva dicitur, quæ in explicandis & pro-

pugnandis fidei capitibus Scripturarum & Traditionum auctoritate potiſſimùm agit fuſiori ſtylo ac oratorio, qualis eſt apud ſanctos Patres. Poſitiva autem nuncupatur, quaſi quæ jam poſita ſunt & conſtituta uſurpet.

Scholaſtica eſt, quæ dialecticæ ope, preſſo ſtylo, & certâ methodo res fidei exponit, qualis à duodecimo ſeculo, principibus Petro Lombardo Sententiarum Magiſtro, ſancto Thomâ, & aliis in Scholâ obtinet.

Dividitur 3°. à nonnullis in ſpeculativam, quæ in Dei rerumque divinarum contemplatione quieſcit: & in practicam, quæ regulas morum Chriſtianorum exponit & vindicat. Sed ſanctus Thomas hîc q. 1. & 4. hanc diviſionem non admittit; ſic enim ſcribit: *Licèt in ſcientiis Philoſophicis alia ſit ſpeculativa, & alia practica; ſacra tamen doctrina comprehendit ſub ſe utramque, ſicut & Deus eâdem ſcientiâ ſe cognoſcit, & ea quæ facit.* Idem itaque Theologiæ habitus ſpeculativus eſt & practicus: ſpeculativus quidem, quia verſatur circa ultimum finem, nempe Deum, in quo eſt quies & fruitio. Sed cùm illa poſſeſſio ſit in hâc vitâ admodum imperfecta, incitat ad Deum bonis operibus ampliùs promerendum, juxta illud Pſal. 104. *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper.* Et ita Theologia, quam ſanctus Doctor dicit eſſe magis ſpeculativam, quia potiſſimùm agit de rebus divinis, eminenter tamen eſt practica.

Confirmatur. Illa ſcientia eſt ſimul ſpeculativa & practica, cujus principia ſunt ſpeculativa & practica; atqui principia Theologiæ, ſcilicet propoſitiones fidei, ſunt ſimul ſpeculativa & practica; fides enim eſt radix bonorum operum, ad hæc datur, ad hæc inclinat. Fides ſine operibus, ex S. Auguſtino, eſt fides dæmonum: fides

rò Chriſtianorum eſt illa, quam deſignat A-
ſtolus Galat. 5. quæ per dilectionem opera-
r. *Scriptura non aſſerit*, inquit ſanctus Doctor
). 3. de Doctrinâ Chriſtianâ cap. 10. *niſi Catho-
am fidem rebus præteritis, præſentibus, & futuris.
æteritorum narratio eſt, futurorum prænuntiatio,
æſentium demonſtratio. Sed hæc omnia ad eandem
aritatem nutriendam atque roborandam, & cupidi-
tem vincendam atque extinguendam valent.* Ergo
era Chriſtianorum Theologia, quæ ex fide &
erbo Dei omnes concluſiones ſuas deducit,
iam ubi ſpeculativa videtur, eminenter eſt
ractica; ſic enim Dei notitiâ mentem illuſtrat,
t ſincerum illius amorem in corde accendat;
ioquin ſicut fides ſine operibus, à ſancto Au-
iſtino ſuprà vocabatur fides dæmonum: ſic
heologia otioſa & iners, Theologia dæmo-
um dicenda videretur; illos quippe ex Scri-
turis aliquando argumentari conſtat ex Matth.
ip. 4. Quare nemo ad ſacram Scholam niſi
iè affectus & rectè diſpoſitus accedat.

CAPUT III.

Quæ requirantur diſpoſitiones in ſacræ Theologiæ Candidato?

ÆDem ferè requiruntur, quæ ad audiendum
verbum Dei, & ad legendam Scripturam
cram, cùm Theologi ſit ſcrutari & explanare
cripturas, & Deus ipſe in iiſdem nobis lo-
uatur. Porro accedenti ad lectionem Scripturæ
cræ quatuor potiſſimùm neceſſaria ſunt.

Primum, cordis munditiçes, vel ſaltem vo-
ntas cordis mundandi, & morum emendan-
orum.

Probatur 1°. ex Scripturâ Sap. 1. *Perverſæ cogi-*

tationes ſeparant à Deo......quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia. Et rationem mox affert : *Spiritus enim ſanctus* (qui inſtar Magiſtri tradit ſapientiæ diſciplinam) *diſciplinæ effugiet fictum , & aufert ſe à cogitationibus , quæ ſunt ſine intellectu* , Quem autem fructum ex lectione Scripturarum percipiet diſcipulus ſine tali Magiſtro, quoſcunque alios interpretes adhibeat ? Nempe diſcet ſecundùm litteram , quæ occidit ; non ſecundùm ſpiritum , qui vivificat , eritque unus ex illis , qui videntes non vident , nec corde intelligunt , Matth. cap. 13. Ergo initium ſapientiæ veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia , Sap. cap. 6.

Probatur 2°. ex ſanctis patribus. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 33. ſic loquitur : *Non cujuſvis eſt de Deo diſſerere ; ſed eorum duntaxat, qui corpus & animam à vitiorum ſordibus purgarunt , aut jam hoc agunt , ut ſe à vitiorum labe purgent , impuro enim rem puram attingere pericu o non caret , quemadmodum nec ægris oculis ſolis radios intueri.* Et ſanctus Bernardus ſermone 67. in Cantica : *Res eſt* , inquit , *in affectibus , nec ratione ad eam pertingitur , ſed conformitate.*

Probatur 3°. ratione ; quia qui Scripturæ , quam legit , mores conformare non vult , peccata ſua multiplicat, exaggeratque, & iram Dei contrà ſe excitat ; in illum quippe cadit quod ſcribit Apoſtolus Rom. 7. v. 8. & ſequentibus : *Sine lege peccatum mortuum erat... ſed cùm veniſſet mandatum , peccatum revixit ... & inventum eſt mihi mandatum , quod erat ad vitam , hoc eſſe ad mortem... ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.* Enim verò annon peccat, qui reſiſtit Deo dicenti in Scripturis, quas præ manibus habet : *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt,* 1. Joan. 2. ? Annon ſopitas cupiditates ſuſcitat , & præ-

:itis peccatis contumaciam ſuperaddit, qui
m Scripturis diſcordat, & Deo in iis loquenti
ii contradicit? Nam ex S. Auguſtino lib. 3. de
ctrinâ Chriſtianâ · *Nulla pagina ferè ſanctorum
brorum, in qua non ſonet, quòd ſuperbis Deus reſiſtit,
milibus autem dat gratiam* : & iterum, *non præci-
t Scriptura niſi charitatem, nec culpat niſi cupidita-
m.* Ergo aſſiduus Scripturarum lector, qui nec
lam nutrire, nec illam extinguere aut vincere
itat, continuò Deum ſibi loquentem audire
ontemnit, & ideo contumax, & judicium ex-
epturus, de quo ait Chriſtus Joan. 9. v. 39. *in
dicium ego in hunc mundum veni, ut. . . qui vident,
cifiant.* Sacrarum ergo Scripturarum ſtudioſus
ligenter obſervet, quod legitur Matth. 5. jux-
interpretationem S. Auguſtini lib. 1. de Ser-
one Domini in monte : *eſto conſentiens adverſa-
o tuo citò dum es in viâ cum eo.* Sanctus enim Do-
or rejectis tribus hujus textûs interpretatio-
bus ſuam ſic ſtatuit : *Reliquum eſt, ut hic adver-
rium præceptum Dei eſſe intelligamus. Quid enim ſic
lverſatur peccare volentibus, quàm præceptum Dei, id
t, lex ejus & Scriptura divina, quæ data eſt nobis ad
nc vitam, ut ſit nobiſcum in viâ, cui non oportet con-
adicere, ne nos tradat judici, ſed ei oportet conſentire
tò. Quis autem conſentit Scripturæ divinæ, niſi qui le-
t & audit piè deferens ei culmen auctoritatis, ut quod
telligit non propter hoc oderit, quòd peccatis ſuis adver-
riſentit; ſed magis diligat correptionem ſuam, & gau-
at, quòd moribus ſuis, donec ſanentur, non parcatur.*
Secundum, quod magnâ curâ & ſollicitudine
æmittere debet Scripturarũm ſtudioſus, eſt
cta intentio, ut eas addiſcat non ad inanem
oriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile ;
d tantùm ad ædificationem ſuam priùs, deinde
iorum. *Sunt namque*, ait ſanctus Bernardus Ser-
one 36. in Cantica, *qui ſcire volunt eo fine tantùm.*

ut ſciant ipſi; & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, verbi causâ pro pecuniâ, pro honoribus; & turpis quæſtus eſt. Et ſunt quoque qui ſcire volunt ut ædificent, & charitas eſt: & item qui ſcire volunt ut ædificentur, & prudentia. Horum omnium ſoli ultimi duo non inveniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. Reliqui omnes audiant, ſcienti bonum facere & non facienti, peccatum eſt ei. Ac ſi per ſimilitudinem dicat ſumenti cibum & non digerenti pernicioſum eſt ei... Nam multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet & actus transfuſa atque digeſta, nonne reputabitur in peccatum, tanquam cibus converſus in pravos noxioſque humores? Annon malus humor peccatum eſt? Annon inflationes & tortiones in conſcientia ſuſtinebit qui hujuſmodi eſt, ſciens videlicet bonum & non faciens? Advertis-ne jam quàm verùm ſenſit Apoſtolus, quia ſcientia inflat? *Volo proinde animam primò omnium ſcire ſeipſam, quod id poſtulet ratio & utilitatis & ordinis. Et ordinis quidem; quoniam quod nos ſumus, primum eſt nobis: utilitatis verò, quia talis ſcientia non inflat, ſed humiliat, & eſt quædam præparatio ad ædificandum; niſi enim ſuper humilitatis ſtabile fundamentum, ſpirituale ædificium ſtare minimè poteſt.*

Rectus igitur ordo poſtulat, ut Theologiæ diſcipulus ſuos priùs, deinde aliorum defectus in Scripturis tanquam in ſpeculo intueatur, & ex ſeipſo quæ ſunt proximi intelligat, ut dicitur Eccl. 31. Hoc eſt, ex iis quæ in ſe defleت, ad aliorum vitia corrigenda humili & prudenti zelo incitetur. Namque ex S. Baſilio hom. 10. in Hexameron, ſacræ Scripturæ divinitus exaratæ ſunt inſtar ſpeculi, per quod homines (qui ex innata ſuperbia perſpicaces ſunt ad detegendos aliorum defectus, interiorem verò animæ ſuæ faciem

ciem non vident) reflexo celeſtis luminis ra-
o proprias ſordes & maculas conſpiciant, de-
rgantque, juxta illud Eccli. 21. *Verbum ſapiens,
odcunque audierit ſcius, laudabit, & ad ſe adjiciet,*
l eſt, ſibi accommodabit, ſibi recondet, & in
roprios uſus aſſumet, ut cum Prophetâ dicere
oſſit, Pſal. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur
nima mea, & labiis exultationis laudabit os meum,*
ıfundi nimirum priùs volens, & ſic effundere;
ec ſolùm infundi priùs, ſed & impleri, qua-
enus de plenitudine eructaret, non oſcitaret de
ıanitate. Contra verò inſipiens veluti faſtidio-
ıs conviva; ex Scripturis tanquam ex menſâ
utè præparatâ nihil ſibi ſumit; ſed cuncta aliis
angit, dividit ac miniſtrat, hoc eſt, quid
git, in argumentum docendi & corripiendi
onvertit. Tales erant Scribæ, qui clavem ſcien-
æ deferentes non introibant, Matth. 22. tales
ypocritæ, quos increpat Chriſtus Matth. 7.
ui vident feſtucas in oculis aliorum, trabem
erò ambitionis & inanis gloriæ in ſuis non
lvertunt. Qui autem ſibi nequam, cui bonus
it? Saltem ei, qui ejuſmodi eſt, declarat
cclesia per os S. Bernardi Sermone 18. In Can-
ca: *Mihi non decet ditari ex te exinanito: de cumu-
, ſi vales, adjuva me: ſin autem, parcito tibi.*

Tertium, quod exigit ſacræ Scripturæ lectio,
t ſumma reverentia & humilitas, Verbum
nim Dei eſt, quo nihil ſacratius, nihil reveren-
ım magis. Ibi Deus ipſe loquitur, ibi inter-
es Spiritus Sanctus. *Ad quem autem reſpiciam,*
t Dominus Iſaïæ 66. v. 2. *niſi ad pauperculum,
contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos:*
uod repetit verſ. 5. *Audite verbum Domini, qui
mitis ad verbum ejus.* Ut enim habetur Deuter.
Quid eſt omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis?
uamobrem S. Chryſoſtomus hom 2. de verbis

Iſaiæ monet *ad Scripturarum lectionem accedendum, quemadmodum ſi in cœlum ingreſſuri eſſemus, nam Scripturarum lectio cælorum eſt reſeratio: ora Prophetarum, Dei ſunt os.* Et S. Auguſtinus lib. 3. Confeſſionum cap. 5. *Inſtitui*, inquit, *animum intendere in Scripturas ſanctas, ut viderem quales eſſent: & ecce video rem non compertam ſuperbis, neque nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſteriis, & non eram ego talis, ut intrare in eam poſſem, aut inclinare cervicem ad ejus greſſus. tumor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus. Veruntamen illa erat quæ creſceret cum parvulis, ſed ego dedignabar eſſe parvulus.* Et ſerm. 63. de diverſis: *Cùm primò puer ad Scripturas divinas ante vellem afferre acumen diſcutiendi, quàm pietatem quærendi, ego ipſe contra me claudebam januam Domini mei. Cùm pulſare deberem, ut aperiretur, addebam ut clauderetur, ſuperbus enim audebam quærere, quod niſi humilis non poteſt invenire.*

Quartum, quod ad ſacram lectionem diſponit, eſt ardor diſcendi: *Quaſi is qui arat & ſeminat, accede ad illam*, ait Sapiens, Eccli. 6. & cap. 25. *In omni animo tuo accede ad illam.* Trita eſt ſancti Auguſtini ſententia, lib. 32. c. 18. contra Fauſtum: *Non intratur in veritatem, niſi per charitatem*: quia ut ipſe ait Tractatu 36. in Joan. *ipſâ efficitur dilectione, ut pleniùs & meliùs cognoſcatur.* Hunc autem ſacræ lectionis ardorem accendere debent immenſa rerum ad diſcendarum utilitas, mira profunditas, & attemperata obſcuritas.

Primò, ea eſt Scripturæ ſacræ utilitas, ut illius ſtudioſus meritò cum Sapiente dicere poſſit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ, & innumerabilis honeſtas*, Græcè, *innumerabiles divitiæ per manus illius*, Sap. 7. Eſt ægris & peccatoribus, omnium medicinarum theſaurus, ex S. Chryſoſtomo hom. 35. in Joan. *Omnis morbus animi*,

inquit S. Auguſtinus in Pſalm. 36. conc. 1. *habet in Scripturis medicamentum ſuum*. Eſt incipientibus & parvulis in Chriſto lactis alimonia, grandioribus ſolidus cibus. *Quiſquis*, ait S. Auguſtinus Tract. 3 in Joan. *novit natum eſſe ſe* (ex Spiritu ſancto) *avidè inhæret uberibus matris, & citò creſcit. Eſt autem mater, Eccleſia, & ubera ejus duo teſtamenta Scripturarum divinarum : hinc ſugatur lac omnium Sacramentorum temporaliter pro æterna ſalute noſtrâ geſtorum, ut nutritus & roboratus perveniat ad manducandum cibum, quod eſt : In principio erat Verbum.* Eſt afflictis & mœrentibus efficax & unicum ſolatium, ut teſtantur Machabæi calamitatibus oppreſſi, lib. 1. c. 12. *Nos enim cùm nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros qui ſunt in manibus noſtris.* Eſt locupletiſſimum promptuarium, unde Paſtores gregis aſſumunt arma potentiſſima Deo; *ſagittæ potentis acutæ, verba Dei ſunt*, inquit S. Aug. in Pſalm. 119. *Nemo pulchriùs ſagittat ad amorem, quàm qui verè verbo ſagittat : imo ſagittat cor amantis, ut adjuvet amantem : ſagittat ut faciat amantem.*

Secundò, mira eſt Scripturæ profunditas, ex S. Auguſtino epiſt. 137. aliàs 3. ad Voluſianum; *Tanta*, inquit, *eſt Chriſtianorum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritiâ uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere... latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, cupiditate addiſcendi hoc contingat, quod eàdem Scriptura quodam loco habet, cùm conſummaverit homo, tunc incipit.* S. Chryſoſtomus expendens Chriſti verba, *ſcrutamini Scripturas*, hom. 40. in Joan. & hom. 14. in Gen. ſic loquitur : *altè effodiendum eſt; in profundo enim deliteſcunt theſauri, ſicut gemmæ in profundo aquarum, & niſi ſummam adhibeamus diligentiam, nihil inveniemus.* Hom. 13. in

Gen. *Scriptura ſicut aromata, quæ quantò magis digitis atteruntur, tantò majorem fragrantiam reddunt.* Et S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 1. *Sicut ex occurſu facies hominis cernitur, interiora niſi ex familiari convictu; ita cùm in ſacro eloquio ſola hiſtoria aſpicitur, nihil aliud quàm facies videtur; ſed ſi huic aſſiduo uſu conjungimur, ejus nimirum mentem quaſi ex collocutionis familiaritate penetramus.*

Tertiò, divinâ arte Scriptura apertis & obſcuris attemperata eſt; ut omnibus ad eam pateat acceſſus, & pauciſſimis ſtudioſis ſit penetrabilis: *Placuit Deo*, inquit S. Auguſtinus conſ. 3. in Pſal. 103. *rerum figuris abſcondere ſapientiam ſuam, non auferre ſtudioſis, ſed claudere negligentibus, aperire pulſantibus.* Et epiſt. 137. aliàs 3. *ea quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris, ſine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò, quæ in myſterio occultat, nec ipſa eloquio ſuperbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuſcula & inerudita, quaſi pauper ad divitem; ſed invitat omnes humili ſermone quos non ſolùm manifeſta paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate.* Et præfatione in Pſal. 93. *ad hoc clauduntur quædam ſacramenta Scripturarum, non ut denegentur, ſed ut pulſantibus aperiantur. Si ergo affectu pio & ſincerâ cordis charitate pulſetis; ille aperiet, qui videt unde pulſetis.* Beati ergo, qui ſcrutantur teſtimonia ejus; non quia ſcrutando laborant, ſed quia ſapientiam, quam tanto ardore quærunt, invenient; ſcriptum quippe eſt Job. 36. *in manibus abſcondit lucem*, ſcilicet negligentibus; in manibus tamen habet paratus eam effundere, ſi quis oculos cordis aperiat; ſubditur enim, *annuntiat de eâ amico ſuo, quod poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere.*

Quæ cùm ita ſint, facilè intelligit Theologiæ Candidatus ſe perfectum in ſacrâ Scholâ non evaſurum, niſi animum à vitiis expurget, affectatque rectam intentionem, humilitatem, &

diſcendi ardorem ; nullus quippe in qualibet arte aut ſcientiâ peritus eſſe poteſt, niſi ejus principia apprimè noverit ; atqui principia Theologiæ potiſſimum petuntur ex Scripturâ ſacrâ, cujus plena notitia non habetur ſine laudatis diſpoſitionibus : Ergo.

CAPUT IV.

Utrùm Theologia ſit neceſſaria?

R. THeologia genericè ſpectata eſt Eccleſiæ ſimpliciter neceſſaria, non ſingulis Fidelibus : ſi vero ſpecificè ſumatur pro ſcholaſticâ, eſt quidem longè utiliſſima, ſed abſolutè non neceſſaria. Quatuor ſunt reſponſionis partes.

Prima pars probatur 1°. ex Scriptura, Epheſ. 4. *ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos . . . alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti... ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in aſtutiâ ad circumventionem erroris.* Et c. 1. ad Tit. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe . . . amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos qui contradicunt, arguere ; ſunt enim multi inobedientes ; vaniloqui & ſeductores.* Ergo ex Apoſtolo Doctores ſunt Eccleſiæ neceſſarii ad conſummationem Sanctorum, in ædificationem Corporis Chriſti, ne hominum inconſtantiâ & aſtutiâ ſeducantur Fideles, & pereat fides.

Probatur 2°. auctoritate ſimul & ratione S. Auguſtini lib. 14. de Trinitate c. 1. ubi quatuor Theologiæ officia recenſet : *Eſt ſcientia*, inquit, *quâ fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem*

ducit, gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur: atqui quatuor officia ſunt Eccleſiæ ſimpliciter neceſſaria: Ergo.

Ac 1°. quidem fides non gignitur ſine prædicatione, *quomodo credent ei, quem non audierunt?* ait Apoſtolus Rom. 10. *quomodo autem audient ſine prædicante?* Qui verò prædicant, ii non modò myſteria & præcepta Evangelica ſimpliciter exponunt, ſed etiam omni momentorum genere firmant, ut auditores non ſolùm ea memoriter teneant, quemadmodum pueri, ſed corde intelligant, & moribus exprimant, quod præſtare non poteſt, qui Theologus non fuerit.

2°. Fidem inchoatam nutriri neceſſe eſt ſpirituali doctrinâ, ut colligitur ex Apoſtolo 1. Cor. 3. *tanquam parvulis in Chriſto*, inquit, *lac vobis potum dedi*, ut ſcilicet in eo creſcerent *in ſalutem*. 1. Petri 2. Et *in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*, Ephes. 4. Quid enim proderit, quòd Fideles didicerint quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſi ea in corde arido marceſcant, aut curis & ſollicitudinibus ſeculi ſuffocentur? Aſſiduè ergo commoneri debent, & argumentis Theologicis excitari, ut ex fide vivant & operentur; *Nam fides ſine operibus mortua eſt*, Jac. 2.

3°. Vindicanda & defendenda eſt fides contra Hæreticorum impetus, & carnalium vaniloquia: atqui proprium & peculiare Theologiæ officium eſt ſanam doctrinam munire, Hæreticos comprimere, peſtilentes revincere, & adverſariorum tricas diſſolvere. *Fidem*, inquit ſanctus Hilarius lib. 12. de Trinitate, *non nudam Apoſtolus atque inopem rationis reliquit, quæ quamvis potiſſima ſit ad ſalutem, tamen niſi per doctrinam inſtruatur, habebit quidem inter adverſa tutum refugiendi receſſum, non etiam retinebit conſtantem obſiſtendi ſecuritatem, eritque ut infirmioribus ſint poſt fugam caſtra,*

non etiam ut arma habentibus, adſit interita fortitudo.

4°. Roborandi & fulciendi ſunt fideles, ne pro humani ingenii imbecillitate circunferantur omni vento doctrinæ, ne mundi ſcandalis & pravis exemplis excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto, aut dæmonis aſtutiâ & innatæ concupiſcentiæ inconſtantiâ ſeducantur. Nullus autem ad hæc idoneus ſine ope Theologiæ.

Secunda pars, nempe quòd Theologia non ſit ſingulis neceſſaria, probatur 1°. ex Scripturis, quæ docent fidem ad ſalutem ſufficere, Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, 1. Cor. 12. *nunquid omnes Doctores?* 2°. ex ſancto Auguſtino lib. 14. de Trinitate cap. 1. ubi de Theologiâ ſic ſcribit: *Quâ ſcientiâ non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsâ fide plurimùm. Aliud eſt enim ſcire tantummodo quod homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ nonniſi æterna eſt; aliud autem ſcire hoc ipſum quomodo & piis auribus opituletur, & contra impios defendatur.*

Tertia pars, quæ eſt de utilitate Theologiæ Scholaſticæ, probatur contra Pſeudoreformatos, qui eam impetunt ut Religioni noxiam, & contra Theologos Scholaſticos, præſertim Sorbonicos, impotenter debacchantur: 1°. auctoritate Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 8. ubi, inter alios Wiclefi articulos, damnat eum, quo aiebat, Univerſitates, Studia & Collegia, vanâ garrulitate introducta eſſe. 2°. Quia Scholaſtica tria duntaxat addit poſitivæ, quam omnes laudant, nimirum ſtylum preſſiorem, methodum certam, & dialecticam, ſeu Philoſophiæ uſum: atqui tria hæc non mediocris ſunt utilitatis.

1°. Quidem ſtylo ſimplici & aperto meliùs cognoſcitur quæſtionis propoſitæ ſtatus, ambiguitates, ſi quæ ſint, accuratiùs enodantur, effu-

Digitized by Google

gia efficaciùs præcluduntur, Hæreticorum ſophiſmata & fuci enucleatiùs deteguntur.

2°. Methodus, quâ utuntur Scholæ, maximam diſputationi lucem affert; dum res ſingulas ad propria capita revocat, quæ connexa ſunt, copulans; quæ à ſe invicem diſcreta, ſejungens.

3°. Moderatum Dialecticæ & Philoſophiæ uſum fidei muniendæ, & contra Hæreticos tuendæ non parùm utilem eſſe docent antiquiores Patres. Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum vocat Philoſophiam propugnaculum & vallum veritatis. *Eſt*, inquit, *per ſeipſam perfecta, & nullius indiget doctrina ſalvatoris, utpote facultas & ſapientia Dei. Porrò Græca Philoſophia ad eam accedens, non potentiorem facit veritatem, ſed Sophiſtrarum adversùs eam impreſſiones imbecilles reddens, propulſanſque doloſa; contra veritatem inſidias, congruum veritatis propugnaculum & vallum dicitur.* Sanctus Baſilius in caput primum Iſaïæ, ſcribit Dialecticam eſſe dogmatibus noſtris inſtar muri. Sanctus Auguſtinus lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ cap. 31. *Diſputationis diſciplina*, inquit, *ad omnia genera quæſtionum quæ in litteris ſanctis ſunt penetranda & diſſolvenda, plurimùm valet. Ibi cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi adverſarium.*

Quarta pars, ſcilicet quòd Scholaſtica nec privatis, nec Eccleſiæ ſit abſolutè neceſſaria, probatur, quia ſine ejus ope Eccleſia diu ſtetit & floruit, nimirùm apud Græcos uſque ad octavum ſæculum, quo vixit Sanctus Joannes Damaſcenus, qui dicitur ejus parens; & apud Latinos uſque ad duodecimum ſæculum, quo Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis ſcripſit quatuor libros Sententiarum, à quibus vocatus eſt Magiſter Sententiarum.

Dices 1°. contra primam noſtræ reſponſionis

partem, Iſaïæ 54. habetur, *ponam univerſos filios tuos doctos à Domino*: & Jerem. 31. *non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum.* Quem locum Apoſtolus Hebr. 8. interpretatur de lege novâ, de quâ etiam ſic ſcribit beatus Joannes epiſt. 1. cap. 2. *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos; ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Ergo nec Theologi, nec Doctores ſunt neceſſarii in lege novâ.

Reſpondeo 1°. negando conſeq. quis enim credat ſuperfluam eſſe Dei promiſſionem, Jerem. 3 *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ?* An Chriſtus fruſtra præcepit Apoſtolis, Matth. 28. ut docerent omnes Gentes? aut poſuit in Eccleſiâ Paſtores & Doctores, Epheſ. 4.? Nonne fides ita neceſſariò eſt ex auditu, ut, qui non audierunt, credere non poſſint, Rom. 10?

Textus itaque, qui nobis opponuntur, eo modo accipiendi ſunt, quo intelligimus illud Apoſtoli 1. Cor. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed, qui incrementum dat, Deus.* Nimirum ſicut Agricola, fructus, quos colligit, ſuo labori, quamvis neceſſario, tribuere non debet, ſed Dei benedictioni: ita Apoſtolus, aut quivis Paſtor vel Doctor, fidem & obedientiam audientium non aſcribat exteriori doctrinæ cujus Miniſter eſt, ſed interiori gratiæ & unctioni Spiritûs ſancti, qui intus ſolus efficaciter docet de omnibus, quæ extrinſecùs audiuntur. Unde in formâ.

Reſpondeo 2°. diſtinguendo antecedens: erunt omnes docti à Domino mediante miniſterio, Paſtorum & Doctorum, Concedo: ſine illorum miniſterio, Nego antecedens.

Inſtabis: atqui erunt docti ſine eorum mini-

ſterio ; ait enim, *non docebit ultra vir proximum ſuum*. Ergo.

Nego ſubſumptum ; cujus confirmationem diſtinguo : non docebit ſecundùm quid, Concedo : non docebit abſolutè & ſimpliciter, Nego. Itaque cùm ab adventu Chriſti idololatria prorſus deſierit apud Judæos, nec irrepſerit apud Chriſtianos, neceſſe non eſt ut hodie Doctores dicant Eccleſiæ, vel etiam Synagogæ filiis ſicut olim Prophetæ, cognoſce Dominum, omnes quippe illius notitiam ferè cum lacte materno hauriunt. Sed prætorquamquod à Paſtoribus & Doctoribus perficienda eſt illa notitia, cùm ſit admodum rudis, multa alia ad ſalutem neceſſaria edoceri debent.

Dices 2°. contra ſecundam noſtræ reſponſionis partem : 1. Petri cap. 3. v. 15. omnes fideles parati eſſe debent ad ſatisfaciendum omni poſcenti rationem de eâ, quæ in ipſis eſt, ſpe. Ergo Theologia eſt ſingulis neceſſaria.

Diſtinguo antecedens : ad ſatisfaciendum per ſimplicem myſteriorum fidei expoſitionem, Concedo : per exquiſitam defenſionem, Nego antecedens.

Dices 3°. contra tertiam reſponſionis partem : antiquiores Patres conſtanter docent Philoſophiam in Scholis Chriſtianis non eſſe admittendam : Ergo.

Diſtinguo antecedens : juxta ea, propter quæ capite primo diximus non eſſe admittendam, ut dominetur, Concedo : ut obſequatur, Nego antecedens. Solutio patet ex dictis pag. 5. & 6.

Inſtabis : Theologia Scholaſtica fidei minuit meritum : nam ex ſancto Gregorio hom. 26. in Evangelia, fides amittit meritum, ubi ratio præbet experimentum. Ergo Theologia Scholaſtica non eſt Eccleſiæ utilis.

Nego antecedens, cujus confirmationem diſtinguo:ubi ratio evidens præbet experimentum rei credendæ, ut in ſancto Thomâ atqui priùs noluit credere Chriſtum reſurrexiſſe,quàm palparet vulnerum ejus cicatrices, Concedo; de eo enim agit ſanctus Gregorius:ubi ratio præbet experimentum eorum, putamiraculorum, quæ perſuadent Deum revera dixiſſe quæ ad credendum proponuntur, Nego; Deus vult rationabile eſſe obſequium fidei noſtræ; ſcriptum quippe eſt, *qui citò credit, levis eſt corde*, Porrò Theologia Scholaſtica non præbet experimentum rerum fidei, v. g. Chriſtum eſſe Patri conſubſtantialem, ſed evincit ſolummodo illud eſſe à Deo revelatum, ac proinde fide divinâ credendum, efficaciterque refellit quidquid contra objicitur. Illud autem Religioni Chriſtianæ utiliſſimum eſſe nemo non videt.

CAPUT V.

De Locis Theologicis.

Q. 1°. QUid eſt locus Theologicus?

R. Eſt ſedes, ac veluti promptuarium, unde Theologus ſua argumenta depromit inſtar Rhetorum & Philoſophorum, qui habent ſuos locos communes, ex quibus omnis eorum argumentatio repetitur.

Q. 2°. *Quotuplex eſt locus Theologicus?*

R. Duplex, internus & externus.

Internus is dicitur, ex quo Theologia eruit principia ſibi propria, quales ſunt propoſitiones à Deo revelatæ.

Externus eſt ſedes principiorum extraneorum, quæ Theologia repetit ex Philoſophis,

atque Hiſtoricis, ad elucidanda Religionis noſtræ myſteria, & eorum conſectaria; Theologus enim utitur ratione, & auctoritate tum Philoſophorum, tum Hiſtoricorum profanorum, ut ſuadeat Religionem Chriſtianam nihil docere, quod lumini naturali repugnet.

Q. 3°. *Quotuplex eſt locus?*

R. Duplex, neceſſarius, & non neceſſarius.

Neceſſarius continet propoſitiones expreſsè revelatas, quæ ſunt principia, ex quibus certa & infallibilis deducitur concluſio Theologica.

Non neceſſarius ſubminiſtrat principia ex quibus eliciuntur concluſiones magis vel minus propabiles, prout principia illa ſunt magis aut minus probabilia.

Q. 4°. *Quotuplex eſt locus internus neceſſarius?*

R. Triplex, nempe Scriptura ſacra, Traditio divina, & Eccleſia. Theologia quippe in hoc differt ab aliis ſcientiis vulgaribus, quòd iſtæ omnes ſuas concluſiones referant ad aliquod principium, omnibus naturali lumine notum; illa verò ad revelationem ſeu Dei revelantis auctoritatem: atqui Deus nihil revelavit ad communem hominum ſalutem, quod non contineatur in Scripturâ & Traditione: Ergo Scriptura & Traditio ſunt loci, quos Theologus neceſſariò conſulere debet. Cùm autem nobis non conſtet niſi per Eccleſiam, quæ ſit vera Scriptura, ut infrà dicetur, obſcuritaſque in Scripturâ & Traditione paſſim occurrat, neceſſe eſt Theologum ad Eccleſiam recurrere, tum ut veras Scripturas & Traditiones à falſis diſcernat, tum ut veram earum intelligentiam aſſequatur: Ergo tres omninò ſunt neceſſarii loci Theologici, nimirum Scriptura, Traditio & Eccleſia, ad quos ceteri revocandi ſunt.

Ad Tradionem divinam revocatur omnium

Sanctorum Patrum conſenſio in uno dogmate; ut enim ait Vincentius Lirinenſis, illud rectè habetur ut ab Apoſtolis traditum, quod ſemper, & ubique, & ab omnibus creditum eſt.

Dixi, *omnium Sanctorum Patrum conſenſio*; ſi enim ſeparatim ſpectentur, quamvis eorum auctoritas ſit maximi ponderis, non eſt tamen ineluctabilis, nec omnino certa, niſi ad eam accedat judicium Eccleſiæ. Ita ſanctus Auguſtinus Epiſt. 82. aliàs 19. ad ſanctum Hieronymum, in quâ ſic ſcribit, *ego fateor charitati tuæ, ſolis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, ut nullum eorum autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam: alios autem ita lego, ut quantâlibet ſanctitate, doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Atque hâc mente ſanctus Doctor rejicit ſententiam ſancti Cypriani & Conciliorum particularium ab ipſo celebratorum circa baptiſma ab Hæreticis collatum, quæ erat contraria traditioni Eccleſiæ, & aliorum Patrum Doctrinæ, & à poſterioribus Conciliis, maximè à Concilio Nicæno generali, emendata.

Ad Eccleſiam reducuntur 1°. Concilia generalia, illam quippe repreſentant, infallibiliterque definiunt quæ ſunt fidei, & à Deo revelata. 2°. Decreta ſummorum Pontificum univerſaliter recepta; Eccleſia enim diſperſa non poteſt recipere doctrinam falſam, ſicut nec in Concilio congregata docere, ut infra probabitur.

Dixi *univerſaliter recepta*, nam Romanus Pontifex ſub duplici velut ſtatu ſpectari poteſt, vel unà cum Eccleſiâ aut Concilio generali: vel extra generale Concilium. Priori modo peculiarem & ſeparatum ab Eccleſiâ locum non con-

ſtituit. Poſteriori verò, licèt ſummam habeat in Eccleſia præ reliquis ſigillatim Epiſcopis auctoritatem, ſanctioneſque ipſius maximæ venerationi omnibus eſſe debeant; ex ejus tamen Decretis præcisè firmum omnino, & apud omnes indubitatum argumentum educi nequit, cùm bene multi, & maximè Theologi Pariſienſes negent ejus judicia eſſe irreformabilia, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit; alioquin fruſtra convocarentur Concilia generalia.

Q. 5°. *Quotuplex eſt locus internus non neceſſarius?*

R. Quadruplex: primus eſt auctoritas Sedis Apoſtolicæ ſeorſim ſpectatæ, quæ apud omnes Catholicos maximi eſt ponderis, ut jam diximus: ſecundus, Conciliorum Provincialium & Nationalium: tertius ſanctorum Patrum, quando ſeparatim ſpectantur: quartus, Theologorum: in quâcunque enim arte peritis credendum eſſe ratio ipſa docet. Imò concors & conſtans conſenſio omnium Scholarum in aliquo fidei aut morum dogmate tradendo, tantæ eſt auctoritatis, ut ei repugnare temerarium ſit.

Q. 6°. *Quotuplex eſt locus externus?*

R. Triplex: primus auctoritas rationis; ſecundus Philoſophorum; tertius Hiſtoricorum. Sed Hiſtoria duplex, alia Eccleſiaſtica, alia profana. Prior non eſt Theologiæ extranea; ſi enim habeat Scriptores fide dignos, & ſecum invicem conſentientes, non eſt contemnendum Traditionis teſtimonium. Poſterior verò, licèt extranea, aliquando inſervit ad intelligendas & explicandas ſacras Litteras.

Ex miraculis etiam Theologus certas elicit concluſiones. Sed miracula, quæ in Scripturis non referuntur, ad Hiſtoriam pertinent.

Ergo ſunt omnino decem loci Theologici. Primus eſt Scriptura. Secundus Traditio, ſub quâ

continetur ſanctorum Patrum conſenſio. Tertius, Eccleſia, in quâ intelliguntur Concilia generalia. Quartus, Decreta Summorum Pontificum ſeorſim ab aliis Epiſcopis ſpectatorum. Quintus, Concilia particularia. Sextus, Sancti Patres ſeparatim ſpectati quando à communi aliorum ſententia non recedunt. Septimus, Scholæ Theologicæ. Octavus, ratio naturalis. Nonus, auctoritas Philoſophorum. Decimus, Hiſtoria.

CAPUT VI.

De Scripturâ Sacrâ.

Paragraphus Primus.

De notione Scripturæ Sacræ.

Q. 1°. QUid eſt Scriptura Sacra?

R. Eſt verbum Dei ſcriptum ipſo afflante.

Dicitur 1°. *Verbum Dei*, in quo Scriptura convenit cum Traditionibus divinis, quæ ſunt verbum Dei.

Dicitur 2°. *ſcriptum*, quo diſtinguitur à Traditionibus divinis, quæ non ſunt Deo afflante ſcripto traditæ, ſed voce duntaxat. Expendemus autem Capite ſequenti, utrum Chriſtus nonnulla dixerit quæ non ſunt ſcriptis exarata.

Dicitur 3°. *ipſo afflante;* quibus terminis Scriptura divina differt à Canonibus & definitionibus Eccleſiæ in materiâ fidei; quæ quidem definitiones, licèt ſint verbi Dei explicationes ſcriptæ Spiritu ſancto aſſiſtente, non ſunt tamen Scriptura ſacra; quia ſcriptis traditæ non ſunt Spiritu-ſancto afflante. Illud autem diſcrimen

elucidabitur familiari exemplo famuli, qui eſt domino ſuo à ſecretis. Ipſe enim epiſtolas duplicis generis ſcribere poteſt. 1°. Si cùm poſſit vivâ voce perferre mandata domini ſui, ea tranſmittat per epiſtolas, quas proprio motu & ſine domini impulſu exaravit. 2°. Si domino dictanti ſolam manum præbeat: Epiſtolæ primi generis ſunt revera famuli, licèt aliud non contineant, quàm verba à domino accepta, & ad alios perferenda. Epiſtolæ verò ſecundi generis propriè aſcribuntur domino, eſt enim auctor & cauſa princeps hujuſmodi ſcripturæ, manus verò famuli veluti inſtrumentum. Priori modo Concilia generalia in definitionibus fidei verba Dei literis conſignarunt, poſteriori verò Scriptores ſacri.

Q. 2°. *Quid eſt iſte Dei afflatus reſpectu Scriptoris ſacri?*

R. Antequam huicce quæſtioni graviſſimæ fiat ſatis, advertendum eſt triplici modo concipi poſſe Deum mentem alicujus Scriptoris afficere, ſcilicet vel revelatione, vel inſpiratione, vel aſſiſtentiâ quâdam ſpeciali.

Revelatio eſt ignotæ antea veritatis facta divinitus manifeſtatio; ita Iſaias cap. 45. revelatione divinâ noverat Cyrum aliquando futurum populi Iſraelitici liberatorem.

Inſpiratio eſt incitatio quædam interior, motuſque inſolitus, quo quis ad loquendum vel agendum impellitur, ſine rationis aut libertatis periculo.

Specialis aſſiſtentia eſt peculiare auxilium, quo Deus adeſt Scriptori, non quaſi ſingulis verbis aut ſententiis præeat, ſed ne inter ſcribendum in errorem labatur. His præmiſſis.

Reſpondeo 1°. Res aliquæ Scriptoribus ſacris fuerunt revelatæ, ſed non omnes. Duæ ſunt reſponſionis partes.

Prima pars probatur; quia revelatio eſt ignotæ antea veritatis facta divinitus manifeſtatio: atqui multa Prophetis manifeſtata ſunt, quæ priùs ignorabant, v. g. Iſaiæ quod Virgo eſſet paritura, c. 7. v. 14. quòd Chriſtus multa paſſurus eſſet, Iſaiæ c. 53. In medio hebdomadæ ſeptuageſimæ occidendus, Dan. 9. Triginta argenteis à Diſcipulo tradendus, Zach. 11. &c.

Secunda pars probatur, quia ſacris Scriptoribus manifeſtari non potuerunt, quæ vel oculis viderant, ut Moyſes Ægyptiorum plagas, Joſue Iſraelitarum victorias in ingreſſu terræ promiſſionis, ſanctus Joannes Chriſtum pendentem & morientem in Cruce, vel ex teſtibus fide dignis didicerant, ut ſanctus Lucas de ſeipſo aſſerit cap. 1. Evangelii verſ. 2.

Reſpondeo 2°. non ſufficit ſpecialis Spiritûs-ſancti aſſiſtentia, alias canones Eccleſiæ eſſent ſcriptura divina, in iis enim condendis non defuit illa ſpecialis aſſiſtentia.

Reſpondeo 3°. præter ſpecialem Spiritûs-ſancti aſſiſtentiam, admittenda eſt in Scriptoribus ſacris inſpiratio divina.

Probatur 1°. ex Scriptura 2. Petri cap. 1. verſ. 20. *omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit; non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia* (id eſt Scriptura ſacra, *ſed Spiritu-ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*, græcè legitur, *Spiritu-ſancto acti & impulſi*, 2. Tim. 3. verſ. 16. *omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum.* Matth. c. 22. verſ. 43. *quomodo ergo David in Spiritu ſancto vocat eum Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Luc. 1. verſ. 7. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum.*

Probatur 2°. ex conſtanti traditione, in Symbolo Conſtantinopolitano dicitur de Spiritu-ſancto, *qui locutus eſt per prophetas*; ſanctus Igna-

tius Epiſt. ad Magneſianos, ſanctus Juſtinus Apol. 2. ſanctus Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentiles, Origenes in proœmio lib. Periarchon, Athenagoras in legatione pro Chriſtianis, ſanctus Hieronymus Præfat. in Epiſtolam ad Philemonem, ſanctus Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 38. & alii docent auctores ſacros ad ſcribendum fuiſſe inſpiratos, motos, impulſos.

Ergo nihil eſt in Scripturâ ſacrâ, quod non ſit veriſſimum ſive in dogmatibus, ſive in hiſtoriis, ſive in chronologia; quia ſingula ſunt Dei verba, *eſt autem Deus verax*, Rom. 3. *& Deus veritatis*, Pſal. 30. *Non eſt quaſi homo, ut mentiatur*, Num. 25. Hinc ſanctus Auguſtinus Epiſt. 82. aliàs 29. de ſacris libris ait, *didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſimè credam, at ſi aliquid in eis offendero libris quod videatur contrarium veritati*, (ut contingit aliquando in chronologiâ & aliis levioribus,) *nihil aliud, quàm vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe non ambigam.*

Q. 3°. *Singula Scripturæ verba ſunt-ne à Spiritu-ſancto inſpirata & dictata, ita ut vocabulorum compoſitio & ſtylus ad ipſum referenda ſint?*

R. Duplex eſt in Scolis oppoſita ſententia; Toſtatus in cap. 11. Num. Eſtius in cap. 3. 2. ad Tim. & plures graves Theologi illud affirmant, imò Lovanienſes & Duacenſes Sententiam oppoſitam notant, ut minùs orthodoxam, ſic enim inquiunt in ſuis cenſuris, *intoleranda prorſus & grandis blaſphemia eſt ſi quis vel verbum aſſerat in Scripturis inveniri otioſum... Singula verba Scripturarum ſingula ſunt Sacramenta, ſinguli ſermones, ſyllabæ apices, puncta divinis plena ſunt ſenſibus*, ait enim Chriſtus Matth. 5. *iota unum aut unus apex non præteribit à lege*

& ſanctus Chryſoſtomus Hom. 18. in Gen. ſcribit nihil temerè vel fortuitò loqui divinam Scripturam; ſed & ſyllabam & apiculum reconditum habere theſaurum; ſanctus Auguſtinus tract. 120. in Joan. ad hæc verba, *unus militum lanceâ latus ejus aperuit*; S. Bernardus Serm. 72. in Cant. & alii Patres paſſim docent ex peculiari Dei conſilio factum fuiſſe, ut unam præ alia vocem Scriptores ſacri uſurpaverint. Et illud ſuaderi poteſt ratione, quia tanta eſt ſententiarum inter & verborum delectum connexio, ut illæ à Deo ſine iſtis Scriptori ſacro inſpirari non potuerint.

Nec obſtat, inquiunt, diverſus Scriptorum ſacrorum ſtylus, nam Spiritus ſanctus rationem habuit ſtatûs, ingenii, & educationis eorum quos ad ſcribendum movebat: decebat quippe ut Amos gregum paſtor humiliori ſtylo ſcriberet, quam Iſaias ex regia ſtirpe oriundus; Joannes olim piſcator, quàm Lucas liberalibus diſciplinis inſtructus.

Bellarminus tamen & alii Theologi ſat communiter negant Spiritum-ſanctum inſpiraſſe & dictaſſe omnia & ſingula Scripturæ verba. Dico, *omnia*, concedunt enim ea fuiſſe inſpirata, quibus exprimuntur myſteria, & alia graviora, quæ captum Scriptoris ſacri ſuperant, cùm ad exponenda, quæ adeo ab humanis ſenſibus remota ſunt, naturalis loquendi facultas non videatur ſufficere; ſed contendunt in facilioribus & pervijs, puta in hiſtoriis deſcribendis, Spiritum-ſanctum ſcriptoribus ſacris permiſiſſe verborum delectum, ſpecialiterque duntaxat aſtitiſſe, ne alicubi laberentur. Probant autem ſuam ſententiam. 1°. quia idem auctor res eaſdem aliis verbis, alioque ordine nonnunquam deſcribit, ut videre eſt in Moyſe, qui Decalogum refert Exôdi 20. & Deut. 5. alio verborum delectu.

2°. quia auctor libri 2. Machab. cap. 2. v. 27. teſtatur ſe opus illud confeciſſe multo labore & ſudore. Capite verò ultimo verſ. 39. dubitans num effectus votis ſuis reſponderit, opus concludit his verbis, *& ſi quidem bene & ut hiſtoriæ competit, hoc & ipſe velim: ſin autem minùs dignè, concedendum eſt mihi.* Ergo non manum duntaxat & calamum tanquam amanuenſis præbuit Spiritui-ſancto ſingula verba dictanti, ſed propriam induſtriam adhibuit; crimen enim eſt in dubium revocare num Spiritus-ſanctus verba congrua delegerit, eaque aptè & concinnè ordinaverit, blaſphemum quoque petere ut venia ei concedatur. 3°. quia huic ſententiæ favent ſanctus Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. Hiſt. cap. 25. Arnobius lib. 1. contra Gentes, ſanctus Hieronymus Epiſt. ad Algaſiam, ſanctus Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 28. num 67. & alii. Quare illi ut probabiliori & communiori ſubſcribendum videtur.

Neque verò ex hâc ſententiâ ſequitur ſacram Scripturam integraliter ſumptam, non eſſe verbum Dei; ſed partim verbum Dei, partim verbum hominum. Namque 1°. res omnes & ſingulæ ſententiæ inſpiratæ ſunt, deinde verba ipſa ſaltem confusè à Spiritu ſancto ſimul ſubminiſtrata eſſe intelligitur exemplo Principis, qui per amanuenſem dupliciter ſcribit epiſtolas, quibus propriâ manu ſubſcribit, aliquando quidem dictando ſingula verba, aliàs verò generatim declarando duntaxat quid epiſtola continuere debeat, quove ſtylo velit eam exarari, an humiliori aut ſublimiori, an ſine aut cum teſtificatione honoris & obſervantiæ erga eum ad quem dirigitur. Certè utrolibet modo epiſtola fuerit ſcripta, legitur ut epiſtola Principis; ipſe ſolus & nullatenus amanuenſis in eâ loquitur.

PARAGRAPHUS II.

De variis Scripturæ ſenſibus.

Q. 1°. SCriptura ſacra habet-ne plures ſenſus ſub una littera.

R. Conſtat ex Scriptura in ſequentibus reſponſionibus laudandâ, eandem litteram parare plures ſenſus. Illud agnoſcunt tum Judæi, tum Chriſtiani. *Dummodo charitas*, (inquit ſanctus Bernardus ſerm. 51. in Cant) *cui Scripturas ſervire oportet, eò ædificet plures, quo plures ex eis in opus ſuum veros erudierit intellectus. Cur enim hoc diſpliceat in ſenſibus Scripturarum, quod in uſibus rerum aſſiduè experimur? In quantos v. g. ſola aqua noſtrorum aſſumitur corporum uſus? Ita unus quilibet divinus ſermo non erit abs re, ſi diverſos pariat intellectus, diverſis animarum neceſſitatibus & uſibus accommodandos.* Et ſanctus Chryſoſtomus hom. 37. in Gen. ait: *In unâ dictione plurima ſæpe multitudo ſenſuum invenitur, divina enim ſunt dogmata, non humana.*

Q. 2°. *Quotuplex eſt Scripturæ ſenſus?*

R. Duplex, litteralis & myſticus, ſeu ſpiritualis.

Senſus litteralis is eſt quem littera ipſa exprimit: v. g. hujus propoſitionis, *Abraham duos filios habuit, unum de ancillâ, & unum de liberâ*, Gal. 4. v. 22. ſenſus litteralis eſt quòd extiterit homo nomine Abraham, qui ex duabus uxoribus, quarum una erat libera, altera ancilla, ſuſcepit duos filios; termini enim propoſitionis illud exprimunt.

Senſus myſticus, qui non verbis ipſis, ſed rebus per verba ſignificatis indicatur, ut in allatæ propoſitionis exemplo, non nomina illa, *ancilla, libera*, ſed perſonæ his nominibus myſticè ſeu

ſpiritualiter ſignificatæ, Jeruſalem terreſtrem & Eccleſiam ſignificant, interprete Apoſtolo, Gal. cap. 4.

Q. 3°. *Quotuplex eſt ſenſus litteralis?*

R. Duplex, alter proprius, alter metaphoricus.

Proprius eſt, quem verba propriè accepta efficiunt, ut in hac propoſitione, Abraham duos filios habuit: metaphoricus verò, qui conflatur ex verbis impropriè acceptis: ut cùm dicitur Chriſtus ſedere ad dexteram Patris, dexteræ enim vocabulo non corporis pars, ſed honoris æqualitas intelligitur.

Q. 4°. *Quotuplex eſt ſenſus myſticus?*

R. Triplex, nempe allegoricus, tropologicus, & anagoricus.

Allegoricus dicitur, cùm res geſtæ in veteri lege, accipiuntur ut figuræ eorum quæ in novâ lege implenda erant; ſic aries inter vepres cornibus hærens, & ab Abrahamo immolatus loco Iſaaci, Gen. 22. in ſenſu allegorico ſignificat Chriſtum ſpinis coronatum, & Cruci affixum.

Tropologicus, qui ad mores informandos pertinet, ſic circuncisio carnis, quæ apud Judæos in uſu erat, in ſenſu tropologico & morali ſignificabat vitiorum & cupiditatum refectionem, Rom. 2. v. 29.

Anagoricus eſt, cùm verba & res geſtæ referuntur ad patriam cæleſtem, quemadmodum Apoſtolus Heb. 9. ingreſſum Pontificis in ſancta ſanctorum refert ad introitum Chriſti in cælum.

Quadruplex autem ille ſenſus memoriæ juvandæ causâ comprehendi ſolet duobus hiſce verſibus:

Littera geſta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas anagogia.

Q. 5°. *Poteſt-ne eſſe multiplex ſenſus litteralis unius & ejuſdem loci ſcripturarum ?*

R. Affirmat ſanctus Thomas 1. p. qu.1.art. 10. & omnes communiter Theologi, probaturque, quia ſenſus litteralis is eſt, quem intendit Scripturæ auctor, nempe Deus: atqui Deus per eandem litteram plura aliquando ſignificare intendit: Ergo.

Minor probatur nonnullis Scripturæ locis, in quibus Deus diverſa ſimul ſignificavit. Exodi c. 12. dicitur tum de Agno Paſcali à Judæis immolando : *os non comminuetis ex eo*, tum de Chriſto, qui in cruce immolatus eſt abſque crurium confractione, Joan. 19. v. 36. De Salomone quoque & de Chriſto ſimul dictum eſt *Ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium*, Hebr. 1. v. 5.

Ergo ſenſus ſpiritualis eſt aliquando litteralis; quia ſenſus litteralis eſt ſenſus à Deo per litteram intentus: atqui conſtat ex allatis Scripturæ exemplis, & pluribus aliis, quæ adduci poſſent, Deum per aliquid corporaliter gerendum, intendere aliud ſpiritualiter intelligendum; v. g. per immolationem Agni Paſchalis, ſpirituale Chriſti ſacrificium; per panes azymos, conſcientiæ puritatem: Ergo.

Q. 6°. *Ex quo Scripturæ ſenſu Theologia certum argumentum ducere poteſt ?*

R. Ex ſolo ſenſu litterali; quia verba Scripturæ detorta ad alios ſenſus, quamvis pios, & contra veritatem minimè pugnantes, non ſunt ſub illo reſpectu verba Dei, ſed verba hominis; cùm, ut ſupponitur, Deus per ea non dixerit, quod ipſis affingitur; ac proinde ſi auctor nullius ſit auctoritatis, nullum robur tribuit verbis in ſenſu à ſe excogitato acceptis.

Dixi, *ſi auctor nullius ſit auctoritatis*; nam ſi ſit Eccleſiæ Doctor, pii illi ſenſus habebunt aucto-

ritatem, quam ipſe meretur, quin & majorem, ſi Eccleſia illos ut tales approbaverit. Ita ſanctus Auguſtinus epiſt. 93. aliàs 48. cap. 8. *Quis autem*, inquit, *non impudentiſſimè nitatur aliquid in allegoria poſitum pro ſe interpretari, niſi habeat & manifeſta teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura?* Et S. Hieronymus in cap. 13. Matth. *Nunquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad auctoritatem dogmatum proficere.*

Supereſt gravis difficultas, quomodo genuinæ Scripturæ poſſint diſcerni à falſis, & verus earum ſenſus; ſed commodiùs diſcutietur ubi de Traditionibus & de Eccleſia, quam demonſtrabimus contra Novatores eſſe Judicem controverſiarum, quæ in materia fidei occurrunt.

PARAGRAPHUS III.

De diviſione Scripturæ ſacræ.

Q. 1°. QUOMODO *dividitur Scriptura ſacra?* R. Dividitur in vetus & novum Teſtamentum. Vetus continet 45. libros, & novum 27. ſicque ſunt omnino 72. libri divini, ſcilicet Geneſis, Exodus, & alii, quos Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. recenſet & declarat ſacros & canonicos his verbis; *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſiâ Catholicâ legi conſueverunt, & in veteri vulgatâ Latinâ editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit... anathema ſit.*

Q. 2°. *Unde Libri ſacri appellantur Canonici?*

R. Duplici ex causâ. 1°. quia ſunt norma & regula fidei & morum. 2°. ac præſertim, eo quòd in Eccleſiæ canonem ſeu catalogum relati ſint.

Q. 3°. *Omnes illi Libri fuerunt-ne ſemper ſacri & canonici?*

R. Fuerunt

R. Fuerunt quidem ſemper ſacri; quia ſingu-
, Spiritu-Sancto afflante, ſunt editi; ſed non
mnes ab initio in Eccleſiæ canonem relati fuê-
e, eò quòd nonnulli Catholici de eorum auc-
oritate dubitarint. Hinc.

Libri ſacri alii dicuntur protocanonici, id
ſt, ante alios, alii Deuterocanonici, hoc eſt
oſteriùs in canonem relati.

Q. 4°. *Quinam Libri ſunt Deuterocanonici?*

R. In veteri Teſtamento occurrunt Libri To-
iæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch,
piſtola Jeremiæ, duo Machabæorum, non-
ullæ partes Danielis & Eſtheris. In novo au-
em Marci caput ultimum, Lucæ Hiſtoria de
idore Chriſti ſanguineo cap. 22. Joannis Hiſto-
ia de Muliere adulterâ cap. 8. Epiſtola ad He-
ræos, Jacobi epiſtola, Petri epiſtola 2. Joan-
is 2. & 3. Judæ epiſtola, & Apocalypſis.

Q. 5°. *Qua ratione, quove fundamento Concilium
ridentinum omnes illos Libros in Canonem inſe-
it.*

R. Eâ prorſus ratione, quâ Eccleſia ſolet di-
mere alias fidei controverſias, ſcilicet Scrip-
râ vel Traditione: ipſius enim eſt definire quis
verus Scripturæ ſenſus, ubi de eo ambigitur,
ſecernere Divinas Traditiones à falſis: ſic in
ontroverſiâ tum Millenariorum, qui nixi teſti-
oniis quorumdam veterum, negabant animas
lenè purgatas ſtatim avolare in cælum; tum
onaſtitarum, qui auctoritate Tertulliani, SS.
ypriani, & Firmiliani probare conabantur non
ſe ratum baptiſmum ab Hæreticis collatum,
ccleſia declaravit, quæ eſſet vera Apoſtolorum
raditio, & juxta eam proſcripſit illos errores:
tqui Patribus Tridentinis ſat aperta erat Apo-
olica Traditio, ut prædictos Libros in canonem
ferrent; namque 1°. conſtat ex epiſtolâ tertiâ

Innocentii I. ad Exuperium ſcriptâ anno 405. ex Concilio tertio Carthaginenſi, cui interfuit S. Auguſtinus anno 419. ex cap. 8. lib. 2. de Doctrinâ Chriſtianâ euſdem ſancti Doctoris, & ex Decreto Gelaſii in Concilio Romano anno 494. illos Libros tanquam divinos priùs repoſitos fuiſſe in canone Eccleſiæ Romanæ & Africanæ. Omittitur quidem alicubi, ut apud S. Auguſtinum citato cap. 8. liber Baruch, quia cùm Propheta ille fuerit ſcriba Jeremiæ, prophetiæ illius à quibuſdam laudatæ ſunt tanquam prophetiæ Jeremiæ. 2°. Quamvis Patres, qui floruerunt ante quartum ſeculum, non texuerint catalogum Librorum ſacrorum, laudaverunt tamen Libros Deuterocanonicos tanquam divinos, ut Clemens Romanus, S. Ignatius, S. Juſtinus, S. Clemens Alexandrinus, S. Irenæus, Tertullianus, S. Cyprianus, quin & Origenes contra Julium Africanum vindicavit Suſannæ Hiſtoriam. Vide Bellarminum, qui Libro de verbo Dei ſigillatim illorum profert teſtimonia: Sed illud non omittendum, quòd cùm Ruffinus crimini dediſſet S. Hieronymo, quòd ejuſmodi Libros, ac præſertim Librum Judith, veluti apocryphos rejeciſſet, ſanctus Doctor in ſuâ Apologiâ diluat criminationem, aſſerens ſe locutum fuiſſe, non ut ipſe, ſed ſicut ſentiunt Hebræi, qui illos Libros non recipiunt: adeò tunc temporis erat conſtans auctoritas illorum Librorum, quamvis non defuerint poſterioribus ſeculis, qui illam in dubium revocarint. Sed omnem dubitandi locum ſuſtulerunt Eugenius quartus in Decreto pro Armenis ad calcem Concilii Florentini anno 1439. ac tandem Tridentini Patres citatâ ſeſſ. 4.

Dices: libri veteris Legis, qui nec divini, nec canonici fuerunt in Synagoga, non poſſunt eſſe

tales in Eccleſiâ: atqui libri Deuterocanonici veteris Legis nec divini nec canonici fuerunt in Synagogâ: Ergo.

Reſpondeo 1°. Conceſsâ primâ parte majoris, nego ſecundam. Verum quidem eſt libros, qui non fuerunt divini in Synagogâ, non poſſe eſſe tales in Eccleſiâ; quia ex dictis Liber ſacer & divinus editus eſſe debet, afflante Spiritu-Sancto: ac proinde libri ante Chriſti adventum conſcripti ſine inſpiratione Spiritûs ſancti, poſt adventum ejus divini eſſe nequeunt. Sed falſum eſt Libros divinitus inſpiratos, qui in Judæorum canone non fuerunt repoſiti, non poſſe canonicos ab Eccleſiâ declarari; ipſius enim eſt definire quinam ſint Libri ſacri & divini, ac conſequenter illos in canonem referre. Quemadmodum ergo epiſtolam ad Hebræos, & Hiſtoriam Mulieris adulteræ, Joan. 8. de quibus olim ambigebatur, in canone repoſuit, quia revera divinæ ſunt; potuit quoque Libros veteris Legis, de quibus ſermo eſt, canonicos declarare in hypotheſi quòd ſint divini. Unde

Reſpondeo 2. Negando primam partem minoris, & concedendo ſecundam. Itaque Libri illi planè ſunt divini, quamvis ſeriùs recogniti; nec ulla ſufficiens ratio in contrarium afferri poteſt, quod facilè demonſtraremus, ſi brevitas, cui conſulimus, ſingulos illos libros expendere permitteret.

Cur autem Judæi ejuſmodi libros non habuerint in Canone, facilis eſt reſponſio de libris Machabæorum & Eccleſiaſtici, editis poſt confectum ab Eſdrâ librorum ſacrorum canonem, & clauſum, vel ab ipſomet, ut nonnulli exiſtimant; vel in aliorum ſententiâ, ipſo jam mortuo, & circa finem imperii Medorum, quos devicit Alexander Græcorum Imperator. Re-

gnantibus autem Græcis conſcripti ſunt libri Machabæorum & Eccleſiaſtici, adeoque in omnium ſententiâ poſt clauſum canonem.

Major eſt difficultas circa Libros Tobiæ; Judith, & Sapientiæ; cùm enim editi ſint ante ſolutam captivitatem Babylonicam, cur Eſdras illos omiſit in ſuo canone, quem redux è captivitate condidit?

Reſpondeo 1°. generatim Eſdram non collegiſſe omnes omninò Libros ſacros, qui diſperſi fuerunt ſive per incuriam ſacerdotum, ſive per incendium Templi & Urbis deſtructionem. Conſtat enim ex variis Scripturæ locis, ac præſertim ex num. 21. verſ. 14. ex 2. Reg. cap. 1. verſ. 18. ex 2. Machab. cap. 1. verſ. 24. aliquos periiſſe. Quidni ergo in re tam obſcura dici poſſit tres illos libros Eſdræ diligentiam fugiſſe?

Reſpondeo 2°. ad ſingula.

Ad primum, hæc ratio afferri poteſt, cur Eſdras librum Tobiæ ſuo catalogo non inſeruerit; nempè liber ille, ut veriſimile eſt, nondum à Synagogâ habebatur tanquam divinus tempore Eſdræ; Chaldaïcè enim fuit ſcriptus, teſte ſancto Hieronymo, & quidem apud Aſſyrios, ad quos Tobias cum ſuis contribulibus Iſraëlitis captivus tranſlatus fuerat à Salmanaſar rege Aſſyriorum; atqui regnum Iſraël conflatum ex decem Tribubus, ex quarum unâ ſcilicet Nephtali oriundus erat Tobias vir religioſiſſimus, defecerat à vero Dei cultu, & religione ſeparatum erat à regno Juda; unde difficile fuit ut liber ille ad notitiam Synagogæ deveniret ante captivitatem Babylonicam, quæ non longo temporis intervallo ſubſecuta eſt tranſlationem Iſraëlitarum in Aſſyriorum plagas.

Ad ſecundum. Hiſtoria Judith contingit vel poſt captivitatem Babylonicam ſub Artaxerxe

ilio Darii Hyſtaſpis Rege Medorum, ut multi :xiſtimant: vel ante captivitatem Babylonicam 'egnante Manaſſe, juxta plurium ſententiam: i primum, liber ille editus eſt poſt confectum Eſdræ catologum.

Si autem quæratur à patronis illius ſententiæ, juare non æquè repoſitus ſit in catalogo ac libri Nehemiæ & Eſther, utpotè qui in illorum ſententiâ eodem ferè tempore ſcriptus fuerit?

Reſpondent ideo non eſſe repoſitum, quia criptus non eſt, ſicut alii libri, linguâ Hebraïcâ, quâ Deus hactenus Judæos allocutus fuerat, ſed inguâ Chaldaïcâ omnino peregrinâ in uſu ſacrorum, & hæc ratio probatiſſima eſt pro omnibus ibris Deuterocanonicis, qui alio idiomate, quàm Hebraïco editi ſunt in veteri Lege, ſive oſt Eſdram, ſive ante, ut Tobias & Judith in oſteriore ſententiâ; illos quippe Synagoga ſeoſuit ut apocryphos, non quidem poſitivè, hoc ſt, ut falſos & ſuppoſititios, ſed negativè tantum, d eſt, nondum recognitos: nam apud Judæos nagno in pretio habiti ſunt, quemadmodum & pud Chriſtianos ab initio naſcentis Eccleſiæ, ujus judicio tandem relati ſunt in canonem.

Ad tertium. Circa librum Sapientiæ non una ſt Catholicorum ſententia. Sanctus Iſidorus b. 1. de Officiis cap. 12. vult illum à Salomone Hebraïcè ſcriptum, & nunc à Judæis pro canoico habitum; ſed cùm interciderit ille textus, juſmodi liber jam in canone Judæorum non eperitur. Sed communior eſt ſententia librum lum continere quidem ſententias Salomonis, ui ſeipſum prodit cap. 9. verſ. 7 & 8. his veris: *Tu elegiſti me Regem populo tuo ... & dixiſti e ædificare Templum in monte ſancto tuo*; ſed ſenentias eſſe collectas & Græcè conſcriptas à quoam Philone antiquiore, qui fuit unus ex ſep-

tuaginta Interpretibus ſub Prolemæo Philadelpho Rege Ægypti.

Q. 5° *Quo idiomate editi ſunt Libri ſacri?*

R. Primò, Libri omnes veteris Teſtamenti, quos Judæi in canone ſuo referunt, Hebraïcè ſcripti ſunt, ex Deuterocanonicis verò Tobias & Judith Chaldaïcè ſunt exarati, Sapientia & ſecundus Machab. Græcè, primus Machab. Hebraïcè, & Eccleſiaſticus, qui Hebraïcè ſcriptus eſt à Jeſu filio Sirach, quem multi putant eſſe unum è ſeptuaginta Interpretibus, & in Græcum idioma tranſlatus ab ejus nepote, ut conſtat ex prologo, quem Jeſus junior libro avi ſui præfixit. Hodiè non extat textus originalis, ſed tantummodo Græcus.

R. Secundo, textus originalis librorum novi Teſtamenti Græcus eſt, exceptis Evangelio S. Matthæi, & Epiſtolâ ad Hebræos ſcriptis Hebraïcé ſeu Syriacè; nam lingua purè Hebraïca non erat tunc apud Judæos vernacula, ſicut nec à pluribus ſeculis apud Latinos lingua Latina. Evangelium ſancti Marci primò latinè ſcriptum opinatur Baronius. At ſanctus Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 2. aliique vulgò ſancti Patres docent ſanctum Marcum ſcripſiſſe Græco ſermone.

Q. 7°. *Textus Scripturæ ſacræ originarius eſt-ne purus & incorruptus?*

R. Primò, textus utriuſque Teſtamenti non eſt immunis à mendis levioribus. Probatur ex variis lectionibus codicum Hebraïcorum, Græcorum & Latinorum; varietas enim illa in rebus levioribus argumentum eſt in iis aliquid nævi irrepſiſſe.

R. Secundò, nullum dubium eſt quin textus originarius novi Teſtamenti purus fluat in iis quæ ad finem & mores ſpectant. Difficultas ſo-

ùm eſt circa textum Hebraïcum veteris Teſtamenti, Catholici enim non pauci, aliis repugnantibus, affirmant illum eſſe corruptum etiam in rebus gravioribus. Sed ſanus & integer viſus eſt ſancto Auguſtino, quippe qui pro regulâ ſtatuit recurrendum ad textum originarium, quando verſiones variant, docetque lib. 18 de civitate Dei cap. 46. & in Pſal. 56. Judæos ideò per orbem diſperſos, ut ex libris, qui in manibus eorum ſunt, Gentiles convincamus, Prophetias de Chriſto non eſſe à nobis confictas; cùm illas proferamus ex infenſiſſimis Religionis Chriſtianæ adverſariis: *Codicem*, inquit, *portat Judæus, unde credat Chriſtianus. Librarii noſtri facti ſunt; quomodo ſolent ſervi poſt dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant... ſic apparent Judæi de Scripturâ ſanctâ, quam portant, quomodo apparet facies cæci de ſpeculo: ab aliis videtur, ab ipſo non videtur.*

Q. 8°. *Quomodo Libri canonici dividuntur ratione materiæ, quæ in iis tractatur?*

R. Solent dividi in legales, hiſtoricos, ſapientiales ſive morales, & propheticos, quanquam idem liber aliquando eſt ſimul hiſtoricus & legalis, ut Exodus & quatuor Evangelia.

Legales in veteri quidem Teſtamento ſunt libri quinque Moyſis, qui à nomine Græco appellari ſolent Pentateuchus: in novo autem quatuor Evangelia; ii quippe Libri continent Dei Leges & vitæ præcepta, de quibus agit Deut. 6. *Eruntque & movebuntur inter oculos tuos, & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens.* Et cap. 4. *Ut audientes univerſi præcepta hæc, dicant: En populus ſapiens & intelligens.*

Hiſtorici veteris Legis ſunt Libri Joſue, Judicum & Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Eſdræ, Tobiæ, Judith, Eſther, Job,

duo Machabæorum; novæ autem Legis, Acta Apoſtolorum.

Liber Joſue hiſtoriam quam Moyſes in Geneſi, & aliis Pentateuchi libris à creatione mundi deduxerat uſque ad ingreſſum filiorum Iſraël in terram promiſſionis, proſequitur, referens quæ geſta ſunt Judæis ingredientibus terram promiſſam, quæ ſtupenda prodigia operatus eſt Deus, ut Chananæos ſubverterent, & urbibus eorum tandem potirentur.

Liber Judicum narrat quæ poſt mortem Joſue contigerunt uſque ad tempora Samuelis ultimi Judæorum Judicis, ſub quo mutatum eſt eorum regimen, Saüle in Regem electo.

Ruth refert ſpecialem Hiſtoriam, quæ contigit tempore Judicum, ſcriptam à Samuele, ut poſteris conſtaret de proſapia Davidis, ſimulque Chriſti Domini ex Davide orituri.

Quatuor Libri Regum exſequuntur eorum Hiſtoriam uſque ad captivitatem Babylonicam. In hâc autem Hiſtoriâ duo imprimis memoranda contigêre.

Primum, eſt conſtructio Templi per Salomonem. Mirum quippe eſt, quòd Deus, qui ab orbe condito, hoc eſt, per ter mille annos & ampliùs, noluerat ſibi condi domum ſuper terram, *cœlum*, inquit, *mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum, quam domum ædificabitis mihi?* Act. 7. votis Davidis tamen annuerit, conceſſeritque filium ejus Salomonem ædificare primum templum. Ab hâc inſigni rerum mutatione Hiſtorici auſpicantur quartam mundi ætatem, & figunt novam epocham.

Alterum notatu dignum in Regum Hiſtoriâ, & ſine quo quamplurima Scripturæ loca intelligi nequeunt, eſt ſciſſio regni Salomonis facta ſtatim poſt ejus mortem. Nempe à Roboam Sa-

lomonis filio defecerunt decem Tribus; conſtituto ſibi Rege nomine Jeroboam, & duæ duntaxat Tribus, ſcilicet Juda & Benjamin, adhæſerunt familiæ David; & ita in domo Patriarchæ Jacob duo regna extitêre à ſe invicem diviſa, etiam religione; namque regnum Iſraël (ſic enim deinceps appellatæ ſunt decem Tribus) abjecit veri Dei cultum, ac propterea, Deo vindicante, penitus exciſum eſt per Regem Aſſyriorum, ad quos Tobias conſtans Dei cultor, cum contribulibus ſuis tranſlatus eſt, ibique ſcripſit ſuam Hiſtoriam. Regnum verò Juda ex duabus Tribubus conflatum, aliquantò poſt everſionem regni Iſraël interruptum eſt, non penitus extinctum per captivitatem Babylonicam. Ab illo autem temporis intervallo, quod fluxit ab exciſo regno Iſraël ad captivitatem Babylonicam, contigit Hiſtoria Judith, regnante Manaſſe rege Juda, niſi malis illam referre ad tempus ſubſequens reditum Judæorum è captivitate Babylonicâ, quo conſtat ſcriptam eſſe Hiſtoriam Eſther.

Liber Job, quamvis ſit ſacer & divinus, non ingreditur tamen filum Hiſtoriæ populi Iſraëlitici. Job quippe non fuit Judæus, ſed Idumæus, ex ſtirpe quidem Abrahæ, ſed per Eſaü fratrem Patriarchæ Jacob. Creditur hanc hiſtoriam Arabicè ſcriptam ab ipſomet Jobo, & in Hebræum tranſlatam à Moyſe, ut omnibus, & maximè Judæis ſub id tempus in Ægypto graviter afflictis, vivum daretur exemplum patientiæ.

Libri Paralipomenon, ut fert illud nomen: (Paralipomenon enim latinè eſt derelictio) ſupplent quod in hiſtoriâ Regum fuerat prætermiſſum.

Eſdras & Nehemias deſcribunt reditum Judæorum è captivitate Babylonicâ, templi Jero-

ſolymitani, & urbis inſtaurationem ex edicto Cyri & Artaxerxis Regum Medorum, repugnantibus licet eorum adverſariis. Atque ab eo tempore uſque ad annum centeſimum quadrageſimum primum vel quintum imperii Græcorum, qui Medos ſub Alexandro magno proſtraverunt, hoc eſt, per ducentos circiter annos, nihil in ſacrâ Hiſtoriâ habetur de rebus Judaïcis.

Duo Machabæorum libri commemorant immanes perſecutiones, quas Judæi paſſi ſunt à Regibus Græcorum, maximè verò ab Antiocho Epiphane, & inſignes victorias, quas Deus tandem illis dedit per Judam Machabæum & fratres ejus per annos triginta & ampliùs, nempe uſque ad mortem Simonis Machabæi, in quo finitur Hiſtoria ſacra veteris Teſtamenti, annis circiter centum quinquaginta ante Chriſtum natum.

Acta Apoſtolorum à ſancto Lucâ conſcripta exhibent ex parte ſtupenda exordia naſcentis Eccleſiæ, innumera miracula, quibus Deus evidenter probavit eam ipſam eſſe, quam Prophetæ unâ voce prædixerant, quamque tota lex præfiguraverat.

Dixi, *ex parte*; ſanctus quippe Lucas, expletâ narratione rerum quæ Jeroſolymis, & per univerſam Judæam mirabiliter contingerunt à Paſſione Domini uſque ad diviſionem Apoſtolorum, ſola deinceps geſta ſancti Pauli, comes ejus individuus, proſequitur uſque ad quartum imperii Neronis annum, quo Apoſtolus, biennio in captivitate exacto, liber dimiſſus eſt. Quibus autem prodigiis ceteri Apoſtoli ad Chriſtum traxerint alias orbis partes ad quas Spiritu ſancto aſpirante profecti ſunt, quidve S. Paulus vinculis ſolutus egerit per octo annos, qui uſque ad ejus mortem fluxêre, omninò prætermittit

ſanctusEvangeliſta,quamvis omnibus Apoſtolis, uno Joanne excepto, ſuperſtes extiterit, nempe uſque ad annum ſextum imperii Veſpaſiani, ut probat Baronius.

Quam verò accuraté diſcenda ſit ſacra Hiſtoria, ſuadent 1°. neceſſaria ejus connexio cum aliis ſcripturæ libris; namque Prophetæ, Apoſtoli, & alii ſacri Scriptores ex hiſtoriâ plerumque argumenta deſumunt, quæ ſine ejus notitiâ nullus intelliget. 2°. primarius hujuſce hiſtoriæ auctor, nempe Spiritus ſanctus, qui illam adornavit, ut nos non pigeat legere, quod Deus ad noſtram doctrinam dignatus eſt ſcribere. *Si legatio à rege ad nos veniret, nunquid non mox, aliis curis poſtpoſitis, promptâ voluntate, cum omnnidevotione, litteras acciperemus? . . . Ecce de cœlo Rex Regum & Dominus Domantium per Prophetas & Apoſtolos dignatus eſt nobis dirigere litterras*, &c. cap. 9. libri de ſalutaribus documentis apud S. Auguſtinum. 3°. ejuſdem hiſtoriæ lectionem commendat rerum, quæ in ea tractantur, utilitas; dicitur enim Iſaiæ 48. verſ. 17. *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia*, non vana non curioſa, non faſtuoſa, quemadmodum Hiſtorici profani, ſed quæ curandæ ſaluti tuæ & præſenti & æternæ conveniant.

Enimvero in libris hiſtoricis Deus ſuam, non regum terrenorum, texit hiſtoriam, narratque quâ ſapientiâ, quâ bonitate & æquitate, quâve fortitudine regnum ſuum, hoc eſt, Eccleſiam ab initio in æternum fundaverit, hactenuſque adminiſtraverit, ut religio non videatur opus humanum, & à ſapientiâ politicâ excogitatum, ſed planè divinum. Oculis legentium exhibet quomodo per ſuccedentes ſibi mundi ætates una & eadem Eccleſia ſemper conſpicua & indefectibiiis, inter mundi ſcandala & cadentibus regnis

temporalibus, nova incrementa ſuſceperit, donec ultimam ſuam perfectionem in cælo, ex quo originem ducit, tandem conſequatur.

Hæc ab orbe condito uſque ad Patriarcham Noë patenter agnoſcitur in filiis Dei per Seth ab Adamo progenitis, & in univerſali diluvio liberatur à contagione filiorum hominum qui erant maledicta Caïni progenies. A diluvio autem Noë & filii ejus, præſertimque Sem primogenitus, ille per trecentos quinquaginta annos, iſte per quingentos, nempe uſque ad centeſimum vigeſimum nati Abrahæ annum, facti ſunt publici præcones Juſtitiæ Dei contra Idololatriam, quam primò induxit Nemrod ſeu Belus, ac poſtea vehementer dilatavit Ninus filius ejus. Ninus quippe conditor civitatis Ninives, & dictus Aſſur. Gen. 10. Ex eo quòd regnum Aſſyriorum amplificaverit, avum ſuum Chus, & patrem Nemrod ſive Belum tanquam Deos colendos præcepit, illum, ut creditur, ſub nomine Saturni, hunc ſub nomine Baal & Jovis. Cùmque Idololatria per orbem invaleſceret, Deus ab illo univerſali incendio feſtinavit educere Abraham, Gen. 11. per quem Eccleſiam inter errorum nebulas clariorem reddidit, quatenus ſancti Patriarchæ familiam per Iſaac natum, viginti circiter annis priuſquam Sem obiret ſicut ſtellas cæli multiplicavit, & in eà mirabilia operatus eſt, ſive in Ægypto, ſive in terra Chanaan, quæ Eccleſia hodie in Pſalmis & aliis veteris Teſtamenti lectionibus gratulabunda commemorat, tanquam in gratiam ſui facta, donec veniret ſemen, nempe Chriſtus Dominus, in quo Deus ſua promiſſa complevit, ut conſtat ex lectione Libri Actuum Apoſtolorum.

Libri ſapientiales ſeu morales ſpectandi ſunt ut commentarii à Spiritu ſancto editi ad eorum

intelligentiam, quæ preſsè & ſummatim in libris legalibus tradita ſunt. Quis v. g. intelliget in libris Evangeliorum, virtutem baptiſmi, myſterium gratiæ, & ſacrificium Crucis ſine epiſtolis Apoſtolorum? Neceſſariò itaque conſulendi ſunt divini illi commentarii, ut diſcatur quanta ſit latitudo & ſublimitas divinæ Legis; quæ myſteriorum profunditas; quàm immenſæ divitiæ & pretioſa dona ſub cortice litteræ recludantur.

Libri prophetici appoſitivè movent & excitant ad legem Dei obſervandam, & fugienda quæ illi adverſantur. Deus enim, qui ut hominum plaſtes, novit quomodo mollienda & flectenda eorum corda, antiquis Prophetis argumenta & verba inſpiravit, quibus convenienter perſuaderent, & ad obtemperandum accenderent: ubi vehementes eſſe, ubi miteſcere deberent: quando minis terrere, promiſſis blandiri, & ſpe conſolari. Ex quibus patet, quàm aſſiduè Paſtores, & alios Verbi Dei miniſtros in ejuſmodi librorum lectione verſari oporteat.

Atque hæc ſummatim de libris ſacris dicta ſint, ut Theologiæ Candidatus intelligat ſaltem confusè immenſos ſapientiæ theſauros in Scripturis recondi, ſciatque quem librum pro occurrente neceſſitate potiſſimum conſulere debeat.

PARAGRAPHUS IV.

De variis ſacræ Scripturæ verſionibus.

CUm paucis admodum conceſſum ſit ſacras Scripturas in propriis fontibus legere, operæ pretium eſt præcipuas Scripturarum verſiones referre, & diſcutere quænam ex illis ſint genuinæ & authenticæ, hoc eſt, indubitatæ auctoritatis, Itaque

Q. 1°. *Quot ſint Scripturæ ſacræ verſiones?*

R. Præcipuæ ſunt Græca, Syria, Arabica, Chaldaïca, & Itala ſeu Latina.

Q. 2°. *Quot ſunt verſiones Græcæ veteris Teſtamenti?*

R. Ex pluribus quatuor ſunt magis celebres.

Prima & antiquiſſima eſt ſeptuaginta Interpretum, qui rogante Ptolemæo Philadelpho Ægyptiorum rege, ab Eleaſaro Summo Judæorum Pontifice in Ægyptum miſſi ſunt, ibique non Pentateuchum duntaxat, ut aſſerit Scaliger & nonnulli Recentiores, contra Veterum ſententiam, ut ſancti Juſtini, Irenæi, & Clementis Alexandrini; ſed omnem veteris Teſtamenti Scripturam ex Hebræo in Græcum ſermonem ante Machabæorum tempora converterunt. Ex illâ autem verſione, quæ ſola tunc inerat, Apoſtoli Prophetarum oracula protulêre.

Secunda eſt Aquilæ, qui ex Chriſtiano Judæus factus eſt, vixit imperante Adriano circa annum à Chriſto nato 130. Vide S. Epiphanium, lib. de menſuris num. 15.

Tertia eſt Symmachi Samaritani, qui ex Judæo factus Chriſtianus, tandemque ex Catholico factus Ebionita hæreticus, ſcripſit poſt Aquilam, imperante Commodo.

Quarta eſt Theodotionis, qui poſt ſuſcepta Chriſtiana ſacra, & Marcionis hæreſes amplexatus, ad Judæos tranſiit ſub Antonino Caracallâ, ineunte tertio ſeculo. Nunc autem trium poſteriorum verſionum non extant niſi quædam fragmenta.

Origenes quatuor illas verſiones in unum volumen collegit, quâlibet pagina in quatuor columnas diſtinctâ, ita ut uno intuitu omnes videri poſſent: quod opus appellatum eſt Tetrapla, id eſt, à voce Græca quaternaria exemplaria. Tum addidit textum Hebraïcum caracteribus Hebraïcis in unâ columnâ, & Græcis in al-

terâ; & ita opus illud ex ſex illis columnis nuncupatum eſt Hexapla. Denique ſex illis columnis duas adjunxit, in quarum altera deſcripta erat verſio, quam in urbe Jerichuntinâ, & in alterâ, ea, quam Nicopoli repererat, & ex illis octo columnis poſtremum ejus opus dictum eſt Octapla; quæ ideo referenda duximus, quia eorum mentio frequens eſt apud Eccleſiaſticos Scriptores.

Q. 3°. *Quatuor illæ verſiones ſunt-ne authenticæ & minimè dubiæ veritatis?*

R. 1°. Tres poſteriores nunquam ab univerſali Eccleſiâ fuerunt approbatæ, periculumque eſt, ne ea, quæ ad Chriſtum ſpectant & Religionem Chriſtianam, deſertores homines de induſtriâ obſcuraverint. In ceteris verò utiles ſunt, ut conſtat tum ex Origene, qui in ſuis Hexaplis ea, quæ in Septuaginta deerant, ſupplevit ex Theodotione: tum ex ſancto Hieronymo, qui Theodotionis verſione uſus eſt, ut teſtatur præfatione in Pſalterium: tum ex Eccleſiâ, quæ olim Danielem, non juxta ſeptuaginta Interpretes, ſed juxta Theodotionis verſionem legebat ex ſancto Hieronymo præfatione in Danielem; & etiamnunc legit caput decimum tertium, decimum quartum, & pluries capitis tertii verſus. Major eſt difficultas circa primam verſionem, quæ eſt Septuaginta. Quapropter.

R. 2°. Verſio Septuaginta olim authentica fuit. Probatur 1°. quia Apoſtoli eâ verſione uſi ſunt ad confirmanda noſtra myſteria. 2°. quia univerſalis Eccleſia quinque prioribus ſeculis illam adhibuit. 3°. quia fuit in magno pretio tum apud Judæos Helleniſtas, hoc eſt, qui Græco ſermone uſi ſunt, ſive ante, ſive poſt Chriſtum natum, quin ipſe Philo vult illos non tam In-

terpretes ſcripſiſſe, quàm Prophetas divino Spiritu afflatos: tum apud ſanctos Patres, tam Græcos quàm Latinos. S. Auguſtinus lib. 18. de civ. Dei cap. 42. & 43. enar. in Pſalm. 87. lib. 2. de Doctr. Chr. cap. 15. & alibi paſſim, ſcribit illos Spiritûs-ſancti afflatu interpretatos eſſe. *Spiritus*, inquit lib. 18. de civ. cap. 43. *qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in ſeptuaginta viris, quando illa interpretati ſunt.* Et cit. cap. 15. lib. 2. de Doctrinâ Chriſtianâ, *qui ſi, ut fertur; multique non indigni fide prædicant* (ut ſanctus Juſtinus, & Tertullianus) *ſinguli cellis etiam ſingulis ſeparati cùm interpretati eſſent, nihil in alicujus eorum codice inventum eſt, quod non iiſdem verbis eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris; quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?*

Verùm ſanctus Hieronymus Hiſtoriam de cellulis, ut confictam fabulam planè irridet; ſic enim habet in prologo Pentateuchi: *Neſcio quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxit, quibus diviſi eadem ſcriptitarent, cùm Ariſtæas ejuſdem Ptolemæi* ὑπερασπιςὴς, *& multo poſt tempore Joſephus nihil tale retulerint; ſed in unâ baſilicâ congregatos contuliſſe ſcribant.* Ita etiamnunc communiter Theologi contendentes libellum, qui circunfertur nomine Ariſtææ, confictum eſſe ab aliquo recentiore.

R. 3°. Bellarminus & alii probare conantur verſionem Septuaginta nunc eſſe vitiatam & minime authenticam; ſic enim de ea ſcribit ſanctus Hieronymus præfatione in libros Paralipomenon: *Si ſeptuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperfluè me impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino ſermone transferrem. Nunc verò, cùm pro varietate Religionum diverſa ferantur exemplaria, & germana illa, antiquaque tranſlatio corrupta ſit, atque violata,* &c. Idem

affirmat ſanctus Juſtinus dialogo cum Triphone, confirmarique poteſt ex eo quod, cùm tradat Ariſtæas hanc interpretationem cum Hebræo conſenſiſſe, jam non ſolùm diſcrepet in multis; ſed multa habeat quæ non ſunt in Hebræo, quemadmodùm viciſſim non pauca Hebræus habeat, qui in illa non reperiuntur.

Nohilominus plures Theologi illam interpretationem ut authenticam vindicant, cùm tota Eccleſia Græca à tempore Apoſtolorum uſque ad ſeculum nonum, quo contigit ejus ſchiſma, conſtanter eâ uſa ſit, & etiam nuncupatur. Quis verò credat adulteratam fuiſſe eam verſionem, quæ tantâ curâ aſſervata eſt; aut Eccleſiam Græcam à tempore ſchiſmatis carere ſinceris Scripturis, cùm nullus è Latinis hactenus id ei objecerit, Sixtuſque quintus anno 1582. eandem verſionem typis mandari curaverit & ſolemniter approbaverit?

Quod ſpectat diſſonantiam, ſeu diſcrepantiam, quæ objicitur inter Hebræum, & Græcum ſeptuaginta Interpretum, reſpondet ſanctus Auguſtinus cit. cap. 43. lib. 18. de Civitate Dei, Spiritum ſanctum, cujus afflatu (ut ipſe credit) tranſlatio illa ſuſcepta eſt, potuiſſe aliquid prætermittere, & aliquid addere, *etiam ut hinc oſtenderetur non humanam fuiſſe in illo opere ſervitutem, quam verbis debebat Interpres, ſed divinam potiùs poteſtatem, quæ mentem replebat, & regebat Interpretis;* ſimilia habet lib. 2. de Doctrinâ Chriſtianâ cap. 15. ſed juxta communem ſententiam ſeptuaginta duo illi viri (tot enim laboraverunt in illo opere, quamvis ſeptuaginta rotundè numerentur) fuerunt duntaxat Interpretes, non Prophetæ.

R. 4°. Ultro concedendum exemplaria ſive Judæorum, ſive Hæreticorum fuiſſe adulterata & corrupta, ubi Septuaginta eorum ſectæ adver-

ſantur, faventque Religioni Catholicæ; ſed fieri non potuiſſe, ut in iis quæ pertinent ad fidem & bonos mores, exemplaria, quæ religioſè ſervabat Eccleſia, quibuſque utebatur ad confirmanda ſua dogmata, fuerint vitiata; alioquin univerſalis Eccleſia per quinque prima ſecula caruiſſet ſinceris Scripturis. Quæ ergo emendanda cenſuit ſanctus Hieronymus in verſione ſeptuaginta Interpretum, non ſpectant fidem & bonos mores, ſed alia leviora, quæ non impediunt quominus verſio authentica habeatur, cùm Catholici non negent ejuſmodi nævos reperiri in noſtrâ vulgatâ, quam authenticam declaravit Concilium Tridentinum.

Q. 4°. *Quid ſentiendum eſt de verſione Syriacâ, Arabicâ, Chaldaïca, & Latinâ, tam veteri quàm vulgata?*

R. 1°. Tres priores utiles ſunt ad intelligentiam Sciptur æ ſacræ, maximè verò antiquior Syriaca, de qua ſanctus Baſilius hom. 2. Hexameron ſic ſcribit: *Syrorum vox ſignificantior & evidentior & ob affinitatem, quam habet cum Hebraïcâ linguâ, ſententias Scripturarum propiùs attingit.*

Hæc eadem fuit olim authentica, ut quâ publicè & communiter uſa fuerit Syrorum Eccleſia, apud quam non pauci extitêre Eccleſiæ Doctores, quales Jacobus Syrus, ſanctus Ephrem, &c.

Chaldaïca non tam eſt tranſlatio quàm paraphraſis, & ideo Targum, id eſt paraphraſis, nuncupari ſolet: à tribus Rabbinis exarata eſt V. ſeculo, & quamvis lucem afferat locis obſcuris, authentica tamen non eſt: tum quia ab Eccleſiâ auctoritatem non accepit: tum quia non à Sanctis Patribus laudatur, & aliquando non ſat accuratè textum explicat: tum denique quia illâ extant fabulæ.

R. 2°. Inter innumeras ferè latinas verſiones

duæ potiſſimùm laudantur, ſcilicet Itala & vulgata. Prior nunc dicitur vetus tum abſolutè, ut omnium antiquiſſima, & ut creditur, ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo adornata: tum reſpectivè ad vulgatam noſtram quæ eſt longè recentior.

Itala fuit olim authentica, & à S. Auguſtino lib. 2. de Doctr. Chriſt. c. 15. cæteris prælata. *Itala*, inquit, *cæteris præfertur; nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ*: vocatur à ſancto Hieronymo epiſt. 135. communis & vulgata; quia uſque ad illius ætatem Eccleſia hâc verſione utebatur.

Italæ Vulgata ſuceſſit, eique meritò prælata eſt, ut quæ non ex verſione veteris Teſtamenti ſicut Itala, ſed ex ipſo originario textu edita fuerit, atque ideo fonti vicinior ac purior.

Q. 5°. *Qui eſt auctor vulgatæ verſionis?*

R. Sanctus Hieronymus antiquam novi Teſtamenti verſionem emendavit, libros verò veteris Teſtamenti, quibuſdam exceptis, ex Hebræo in Latinum tranſtulit, ut ipſe teſtatur in fine libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Novum*, inquit, *Teſtamentum Græcæ fidei reddidi, juxta Hebraïcum tranſtuli.* Idipſum agnoſcit ſanctus Auguſtinus, lib. 18. de Civitate Dei cap. 43. his verbis: *Non defuit temporibus noſtris Preſbyter Hieronymus, homo doctiſſimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, ſed ex Hebræo in Latinum eloquium eaſdem ſcripturas convertit.*

Dixi, *quibuſdam exceptis*, non enim vertit libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, & duos Machabæorum, fortè quia illos Hebraïcos non invenit, ut ipſemet de Sapientiâ declarat præfatione in Proverbia, & de Baruch præfatione in Jeremiam. Tranſtulit tamen libros Tobiæ & Judith, quamvis Deuterocanonicos, ut patet ex ejus præfationibus in hoſce libros. Quòd autem

ſanctus Doctor non converterit libros quos excepimus, probatur tum quia nulla apud eum mentio hujuſmodi verſionis, cùm tamen Epiſtolæ 89. cap. 6. affirmet ſe præfatiunculas cuilibet divinorum voluminum, quæ tranſtulit, præpoſuiſſe: tum quia phraſes ac verba quæ in his libris habet vulgata noſtra verſio, inveniuntur eadem in Patribus ſancto Hieronymo antiquioribus, v. g. in ſancto Cypriano.

Porrò licèt ſanctus Hieronymus pſalterium ex Hebræo in Latinum converterit, nihilominus Eccleſia antiquam verſionem ſeptuaginta Interpretum ab ipſo ſancto Doctore emendatam retinuit eâ fortaſſè de causâ, quòd mutatio in hâc parte violenta foret, turbaretque fideles, qui Pſalmos juxta Septuaginta decantare aſſueverant.

Q. 6°. *Quæ eſt vulgatæ auctoritas?*

R. Summa eſſe debet, 1°. quia eſt antiqua, & multorum ſeculorum uſu in Eccleſiâ uſurpata & probata, ut patet ex dictis. 2°. quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. eam ut authenticam declarat his verbis, *Sacroſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in ipsâ Eccleſiâ probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authenticâ habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.*

Q. 7°. *Quis eſt hujuſce decreti ſenſus, quidve per illam vocem*, authentica, *ſignificatur?*

R. 1°. Senſus non eſt 1°. in noſtrâ vulgatâ nihi reperiri quod meliùs & clariùs verti poſſet, cùm ipſemet Hieronymus nonnulla in ſuâ ver-

ſione emendarit, falſuſque ſit rectiùs aliter verti potuiſſe: 2°. noſtram vulgatam prorſus immunem eſſe à nævis levioribus in iis quæ non pertinent ad fidem & bonos mores, ut in chronologiâ & aliis minutioribus. 3°. eſſe anteponendam ipſis fontibus Hebraïcis & Græcis: Patres quippe Tridentini non contulerunt vulgatam editionem cum textu originario, ſed cum aliis Latinis editionibus.

R. Itaque 2°. Tridentini Concilii Decreto ſignificatur vulgatam noſtram abſolutè & ſimpliciter eſſe fidelem & ſinceram in iis quæ pertinent ad fidem & mores, & ceteris editionibus Latinis præferendam.

CAPUT VII.

De Traditionibus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De notione & diviſione Traditionis.

Q. 1° QUid eſt Traditio?

R. Eſt verbum ſine Scripturâ traditum. Sine Scripturâ, inquam, divinâ & canonicâ; nam in Scripturis Sanctorum Patrum & actis Conciliorum Traditiones conſervantur.

Q. 2°. *Quotuplex eſt Traditio?*

R. Duplex, divina ſcilicet & humana. Prior Deum ſeu Chriſtum habet auctorem: poſterior homines.

Q. 3°. *Quotuplex eſt Traditio humana?*

R. Duplex, Apoſtolica, quæ originem ducit b Apoſtolis; & Eccleſiaſtica, quæ initium ſumit à ſucceſſoribus Apoſtolorum. Apoſtoli quippe dupliciter ſpectari poſſunt: 1°. ut præcones orum, quæ à Chriſto audierunt: 2° ut Eccle-

ſiæ paſtores, qui propriâ auctoritate nonnulla fidelibus regendis utilia ſanxerunt. Quæ ut verbi Dei præcones tradiderunt, ea ſunt Traditionis divinæ: quæ verò ordinaverunt tanquam Eccleſiæ paſtores, cenſentur Traditionis Apoſtolicæ. Utrumque Apoſtolicum munus clarè diſtinguit S. Paulus 1. Cor. cap. 7. ait enim v. 10. *Præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere.* Et verſ. 12. *Ego dico, non Dominus.* Priori loco tradit, quòd à Domino acceperat: poſteriori verò, quod magis congruere judicat.

Inter Traditionem autem divinam & humanam illud maximè intereſt, quòd divina diſpenſationem quidem aliquando admittat, ut dicemus ubi de Legibus; ſed prorsùs abrogari nequeat: humana verò pro circunſtantiarum exigentiâ mutari poſſit, Apoſtolica quidem difficiliùs ob reverentiam Apoſtolis debitam, & perſuaſionem quòd nihil inſtituerint niſi perutile, & quodammodo neceſſarium regimini Eccleſiaſtico. Unde Eccleſia Apoſtolicam Traditionem diſtinguere ſolet à Traditione merè Eccleſiaſticâ, illamque religioſiùs conſervat.

Poſſet addi tertia ſpecies traditionis humanæ, nimirum Phariſaïca, hoc eſt, vana, ſuperflua, & divinæ Legi contraria, quam Chriſtus Matth. 15. v. 9. appellat doctrinam & mandatum hominum; quia eam homines non inſpirante Deo, ſed ſuopte ingenio & arbitratu effingunt contra mentem & voluntatem Dei. Sed cùm ejuſmodi traditionem Eccleſia exemplo Chriſti cit. cap. 15. reprobet, rejiciatque, numerari non poteſt inter Eccleſiæ Traditiones, quæ nedum Legibus divinis adverſentur, illis ſtabiliendis, & in praxim redigendis ſubſerviunt, nec tam hominum ſunt, quàm Dei mandata; ut qui præcipiat obedire filios parentibus, & ſubditos præpoſitis ſuis.

Ergo Novatores non ſolùm fruſtra, ſed & injuſtè objiciunt illud cap. 15. Matthæi contra Traditiones Eccleſiaſticas.

Q. 4°. *Poteſt-ne elici concluſio Theologica ex triplici recenſitâ Eccleſiæ Traditione?*

R. Non poteſt niſi ex divinâ; & ratio eſt, quia ex dictis, concluſio Theologica ducitur ex propoſitionibus ſupernaturalibus, & à Deo revelatis: atqui ſolæ propoſitiones Traditionis divinæ ſunt à Deo revelatæ, reliquæ auctores habent Apoſtolos & eorum ſucceſſores: Ergo. Quare de Traditionibus divinis hîc duntaxat agendum eſt

Q. 5° *Quomodo definitur Traditio divina?*

R. Definitur, verbum Dei ſine ſcripto traditum. Duæ priores particulæ obtinent locum generis, in quo conveniunt Scriptura & Traditio; utraque enim eſt verbum Dei: reliquæ verò habent rationem differentiæ; per eas quippe Scriptura & Traditio ab invicem diſtinguuntur: Scriptura eſt verbum Dei ſcriptum: Traditio verò eſt verbum Dei non ſcriptum.

Q. 6°. *Quibus notis & indiciis Traditio divina inter Apoſtolicas & Eccleſiaſticas deprehendi poteſt?*

R. Primò, facilè ſecernitur ab Eccleſiaſtica; hæc quippe, cùm poſt tempora Apoſtolorum emanarit, non ſemper & ubique viguit: illa verò, ut à Chriſto inſtituta, ſemper & ubique obſervata eſt: Eccleſia enim verbum Dei, fidei ſuæ creditum fideliter & religiosè cuſtodit. Ita Vincentius Lyrinenſis in ſuo commonit. Et ſanctus Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas: *Quod*, inquit, *univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi ab Apoſtolicâ auctoritate traditum rectiſſimè creditur.* Sed longè difficiliùs Traditiones divinæ ab Apoſtolicis diſtinguuntur; tum quia utriſque iidem

caracteres ſæpè conveniunt, nimirum quædam Traditiones Apoſtolicæ æquè ac divinæ ſemper & ubique ſervatæ ſunt, ut obſervatio diei Dominicæ, & Quadrageſimæ: tum quia interdum apud ſanctos Patres confunduntur nomina divinæ & Apoſtolicæ Traditionis; divina nonnunquam vocatur Apoſtolica, ut à ſancto Auguſtino cit. lib. 4. Contra verò Apoſtolica appellatur divina, ut à ſancto Leone ſerm. 4. & 6. de Quadrageſima. Nam in priore loco dicit Quadrageſimam eſſe inſtitutionis divinæ, & in poſteriore, Apoſtolicæ. Quare

R. Secundò, Traditiones divinæ his notis diſtinguuntur ab Apoſtolicis. Prima quando mos aliquis in Eccleſiâ ſemper retentus eſt, tanquam ad fidem pertinens, at mos baptizandi parvulos, & non iterandi Baptiſmum ab Hæreticis collatum, ad divinam Traditionem proculdubio referendus eſt, cùm fides ſolâ auctoritate divinâ nitatur. Secunda, quando Patres & Theologi communiter conſuetudinem aliquam ad Chriſtum referunt, ſcribuntque eſſe divini præcepti. Quòd ſi in Veterum ſcriptis, & praxi ſit aliqua obſcuritas, explicatio expectanda eſt ab Eccleſiâ, quæ eſt Judex controverſiarum naſcentium circa Scripturas & Traditiones, ut infra dicetur.

PARAGRAPHUS II.

De exiſtentia Traditionis divinæ.

Q. *EST-ne agnoſcenda Traditio divina tanquam regula fidei & morum?*

R. 1°. Certum eſt ex cap. 20. v. 30. Joannis & cap. 21. v. 21. Chriſtum multa dixiſſe & feciſſe, quæ non ſunt ſcripta. Id agnoſcunt Pſeudoreformati; ſed negant ea poſſe eſſe fidei regulam,

contenduntque

contenduntque Scripturam omnia ad ſalutem neceſſaria continere, & à Spiritu ſancto nobis datam, tanquam unicam fidei noſtræ regulam, per quam nos exteriùs interiuſque docet abſque traditionis auxilio, quidquid vitæ æternæ conſequendæ neceſſarium eſt Contra hos errores.

R. 2°. De fide eſt Traditiones divinas eſſe admittendas, tanquam regulam fidei & morum. Sic enim definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. *Traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Chriſto, vel à Spiritu-ſancto dictatas, & continuâ ſucceſſione in Eccleſiâ Catholicâ conſervatas* (Sancta Synodus) *pari pietatis affectu ac reverentiâ ſuſcipit & veneratur.* Et infra: *Si quis... Traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit; anathema ſit.*

Probatur 1°. ex Scriptura, 2. Teſſalon. cap. 2. Apoſtolus hortatur Teſſalonicenſes, ut ſtent in fide, adhæreantque iis, quæ ab ipſo acceperant ſive ſcripto, ſive verbo tenus. *Tenete*, inquit *Traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.*

Nec dicant Adverſarii verba Apoſtoli eſſe reſtringenda ad tempus, quo Fideles nondum habebant integras Scripturas; nam ſancti Patres illa ad omne tempus extendunt, ut patebit ex argumento ſequenti. Itaque

Probatur 2°. ex Traditione ſanctorum Patrum. Sanctus Chryſoſtomus in laudatum Apoſtoli locum, ſic ſcribit: *Hinc eſt perſpicuum, quòd non omnia tradiderunt* (Apoſtoli) *per Epiſtolam; ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque ſunt de fide divinâ. Quamobrem Eccleſiæ Traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt Traditio, nihil quæras ampliùs.* Sanctus Baſilius lib. de Spiritu-ſancto cap. 27. *Dogmata*, inquit, *quæ in Eccleſiâ ſervantur & prædicantur, quæ*

dam habemus doctrinâ ex ſcripto tradita; quædam rurſum, ex Apoſtolorum Traditione in myſterio (id eſt occultè) *tradita recipimus, quæ utraque parem vim ad veritatem habent.*

Objiciunt nonnullos Scripturæ textus, quibus ſuum errorem ſtabilire conantur, ut Deut. c. 4. ubi habetur : *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Et apoc. 22. *Siquis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Ergo rejiciendæ ſunt Traditiones.

Nego conſequentiam. Ad antecedens jam dudum reſpondit ſanctus Auguſtinus tract. 89. in Joan. non prohibitum eſſe citatis locis addere utilia, & conformia iis, quæ jam tradita ſunt ; alioquin non debuiſſent ſcribi multi Prophetarum libri poſt Deuteronomium, nec Evangelium ſancti Joannis poſt Apocalypſim. *Sibi ipſi,* inquit, *præjudicaret* (Apoſtolus) *qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, ut ſuppleret quæ eorum fidei defuerant ; ſed qui ſupplet, quod minùs erat addit : non quod inerat tollit.* Ubi videre eſt quàm deſperata ſit Adverſariorum cauſa, cùm pro eâ ſtabiliendâ ad tam inanem rationem recurrere cogantur.

Inſtant : Atqui non ſolùm prohibetur addere, ſeu opponere contraria iis, quæ ſcripta ſunt, ſed etiam aliena, quantumcunque utilia & conſentanea. Ait enim Apoſtolus Gal. 1. *Licèt nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema ſit . . . & nunc iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* In quem locum ſic ſcribit Theophilactus : *Apoſtolus non dixit, ſi contraria, aut pugnantia prædicent; ſed, ſi parvum quid annuntient præter id, id eſt, ſi pluſculum quidpiam adjecerint.* Sanctus quoque Baſilius ait, ubi de confeſſione fidei, non licere addere aliquid, quod non ſcriptum eſt. Ergo.

Nego conſequentiam. Apoſtolus enim non ait, *ſi quos evangelizaverit præterquamquod ſcripſimus*, ſed *præterquamquod evangelizavimus, & accepiſtis*: atqui Apoſtolus evangelizavit verbo, & Galatæ multa ex ore Apoſtoli acceperant. Porrò Eccleſia Catholica per Traditiones divinas non alia docet, quàm quæ tradiderunt Sanctus Paulus, & alii Apoſtoli. Allatis itaque textibus & aliis ſimilibus prohibemur obtrudere verba hominum tanquam verba Dei, Pſeudoprophetarum more, qui dicebant, hæc dicit Dominus, cùm Dominus non eſſet locutus; & laudare traditiones humanas tanquam divinas.

Inſtant iterum: Sanctus Hieronymus lib. contra Helvidium, abſolutè rejicit omnem traditionem; ſic enim ſcribit: *ut hæc quæ ſcripta ſunt, non negamus, ita ea, quæ non ſunt ſcripta renuimus*. Et in cap. 23. Matthæi, quod de ſcripturis auctoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.

Reſpondeo: contra mentem ſancti Doctoris iſta injuſtè proferuntur; non enim agit his in locis de Traditionibus divinis, ſed de Hiſtoriis fabuloſis, aut planè incertis, v. g. quòd Beata Virgo poſt mortem ſancti Joſeph alteri nupſerit, quòd Chriſtus ſecundùm Helvidium ex utero virgineo exierit ſordibus inquinatus, quemadmodum ceteri infantes; quòd Zacharias filius Barachiæ occiſus inter Templum & Altare, ſit pater Joannis-Baptiſtæ, ideò à Judæis interfectus, quòd prædicaret Dominum Jeſum eſſe Meſſiam.

PARAGRAPHUS III.

Utrùm nihil in Traditionibus divinis contineatur ad ſalutem neceſſarium?

R. AFfirmant Novatores, conſtanter verò negant Catholici.

Probatur Doctrina Catholica, ex verbis Apoſtoli jam laudatis 2. Theſſ. 2 *Tenete*, inquit, *Traditiones*. Modus enim ille imperavivus, *tenete*, indicat præceptum, quod ſine periculo ſalutis æternæ contemni nequit, ait quippe Chriſtus Matth. 19. *Si . . . vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

Probatur 2°. tribus exemplis rerum ad ſalutem neceſſariarum inter alias ſelectis, quæ non continentur in Scriptura ſacrâ. Neceſſarium eſt 1°, remedium contra peccatum originale, 2°. indicium quoddam, quo libri ſacri & canonici ſecernantur ab Apocryphis, 3°. ratum eſſe baptiſma ab Hæreticis collatum: atqui hæc tria quantumcunque ad ſalutem neceſſaria, non continentur in Scripturâ.

Non primum, namque in nullâ Scripturâ authenticâ ſit mentio remedii pro feminis in veteri lege præparati contra peccatum originale.

Opponit Wittakerus illud 1. Cor. 7. *ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem*, & ex eo concludit feminas fuiſſe ſanctificatas per marium circuncisionem.

Sed illud effugium indignum eſt homine, qui ſit rationis compos: tum quia Scriptura illa non eſt athentica apud Judæos, ut inde ſumant regulam fidei: tum quia non eſt exarata, niſi poſt abrogatam circunſionem & promulgatum Evan-

gelium: tum quia eo loci ſcribit Apoſtolus virum infidelem æquè ſanctificari per mulierem fidelem quæ in veteri lege non circuncidebatur.

Non ſecundum, quia nulla Scriptura docet quinam ſint libri canonici, qui verò Apocryphi, ſed illa diſtinctio ſolâ traditione haberi poteſt. *Libri Apocryphi vocantur*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 15. de civ. Dei cap. 23. *eo quòd eorum occulta origo non claruit Patribus, à quibus uſque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certiſſimâ & notiſſimâ ſucceſſione pervenit*; & lib. contra Epiſtolam fundamenti Manichæorum c. 4. *Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ Catholicæ me moveret auctoritas.*

Nec dicant Adverſarii principia non probari, ſed ſupponi; nam id verum eſt duntaxat de principiis notis quoad nos. Atqui Scripturæ ſacræ non ſunt Religionis Chriſtianæ principia nota quoad nos, ſed innoteſcunt nobis per ſolam traditionem, ut ſupra obſervabat ſanctus Auguſtinus.

At, inquiunt, Scripturæ prædeſtinatis notæ ſunt proprio ſapore, & interiori ſancti Spiritûs illuſtratione.

Contra. Si admittatur illa reſponſio, liberum erit cuilibet Hæretico rejicere veras Scripturas, quæ ejus errori opponuntur; & obtrudere falſas tanquam genuinas, utpote ipſi faventes, & depravato ſuo guſtui accommodatas, ſic Epiſtola ſancti Jacobi palato Lutheri eſt ſtraminea & inſipida, cùm Calvino ſapiat tanquam divinum opus: quis autem illos in hâc parte conciliabit, non fides prædeſtinationis, uterque enim firmiter credit & aſſerit ſe eſſe prædeſtinatum.

Non tertium, nempe ratum eſſe baptiſmum ab Hæreticis collatum, nec ſine ſacrilegio poſte-

repeti; Nam *Apoſtoli*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 5. de Bap. cap. 23. *nihil quidem inde præceperunt. Sed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano* (neganti ratum eſſe ejuſmodi baptiſmum) *ab eorum traditione exordiom ſumpſiſſe credenda, ſicut ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, quæ abhinc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.* Et lib. de unitate Eccleſiæ cap. 19. *hic fortè dicis, lege ergo quemadmodum Chriſtus juſſerit recipi eos, qui ab Hæreticis baptizati ſunt. Hoc apertè atque evidenter neque ego lego, neque tu.*

Cur ergo, inquies, ſanctus Auguſtinus congerit tot Scripturarum teſtimonia ad probandam baptiſmi ab Heræticis collati veritatem, ſi dogma illud ex Scripturis non eruitur.

Reſp. Ideo ſanctus Doctor teſtimonia illa adhibet; quia cùm Donatiſtæ ex Scripturis duo probare conarentur, ſcilicet baptiſma apud Hæreticos eſſe irritum; & Catholicos contrarium aſſerentes, Scripturæ ſacræ adverſari, debuit opponere plures Scripturæ textus, quibus palam fieret Doctrinam Catholicam Scripturæ eſſe admodum conſentaneam, nedum ei opponatur. Primum evidenter demonſtrat, ſecundum vero probabiliter duntaxat adſtruit.

Ergo Scriptura, quamvis ex Apoſtolo 2. Tim. 3. ſit *utilis* ... *ad docendum, ad arguendum* ... *ad erudiendum in juſtitiâ, ut perfectus ſit homo Dei*, ſola tamen non ſufficit, nec eſt unica fidei & morum regula, cùm non contineat omnia ad ſalutem neceſſaria.

Paragraphus IV.

Utrùm Traditio ſit neceſſaria ad eruendum vel propugnandum verum Scripturæ ſenſum ?

UT quæſtioni fiat ſatis, duo præmittere neceſſe eſt.

Primum, Scriptores ſacros obſcurè interdum ſcripſiſſe, ut conſtat tum ex Scripturâ, tum ex ſanctis Patribus, tum ex cu uſque experientiâ: Primò quidem ex Scripturâ; nam 2. Petri cap. 3. legitur in Epiſtolis ſancti Pauli ineſſe *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Secundò ex ſancto Auguſtino, qui lib. 83. ſic ſcribit; *Deus noſter ſic ad ſalutem animarum divinos libros Spiritu-ſancto moderatus eſt, ut non ſolùm manifeſtis paſcere, ſed etiam obſcuris exercere nos vellet.* Tertiò ex cujuſque experientiâ: omnes quippe cum Eunucho, de quo Act. 8. v. 31. experiuntur ſe ſine Interprete plura Scripturæ loca intelligere non poſſe.

Cauſæ autem hujuſce obſcuritatis ſunt 1°. rerum, quæ in Scripturis tractantur, altitudo, 2°. abſentia factorum, quæ in eis narrantur, 3°. figurata locutio, 4°. ſenſuum varietas, quos una eademque litterà includit, 5°. ipſa in aliam linguam tranſlatio.

Secundum, Pſeudoreformatos docere Scripturam obſcuram quidem eſſe in iis, quæ ſine diſpendio ſalutis ignorari poſſunt, ut deſcriptio Templi Ezechielis, & Prophetia Apocalypſis: ſed claram fluere, ubi tractat de rebus ad ſalutem neceſſariis, puta de Deo uno, de Incarnatione, & de fide juſtificante. Si autem eis objiciatur

hæc ipſa loca falſis Hæreticorum Interpretationibus obſcurari, & in alienos ſenſus detorqueri: *neque enim natæ ſunt hæreſes*, inquit, S Auguſtinus tract. 10. in Joan. *niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur*, ac proinde in ejuſmodi ſaltem circunſtantiis ad Apoſtolicam Traditionem recurrendum, ut vindicetur genuinus Scripturæ ſenſus: Reſpondent quemlibet maximè prædeſtinatum, Spiritu privato, hoc eſt, revelatione Spiritûs ſancti ſibi immediatè factâ percipere verum Scripturæ ſenſum, & conſtitui Judicem omnium controverſiarum, quæ circa fidem & mores oriri poſſunt: adeò ut juxta Lutherum tanta ſit connexio inter eſſe Chriſtianum & edoceri à Spiritu ſancto, atque Judicem eſt controverſiarum, quanta inter rationale & riſivum.

His præmiſſis, directè ad propoſitam quæſtionem.

R. 1°. Scriptura ſacra aliquando obſcurè tradit ea quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria.

Probatur nonnullis textibus valdè obſcuris, nec per alios elucidandis.

Primus habetur Matth. 5. verſ. 32. *omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Locus ille quamvis ad fidem & ad mores pertinens, eſt valde difficilis, videturque favere Græcorum errori, quo docent licere viro aliam uxorem ducere, cùm prior adhuc ſuperſtes adulterii rea convincitur. Nec dicant Adverſarii hanc obſcuritatem tolli Marc. 10. v. 11. & 12. ubi Chriſtus abſque exceptione prohibet ſecundam uxorem ducere, quandiu prima vixerit; nam Chriſtus apud Marcum minùs ſe explicat, quàm apud Matthæum; laudato quippe textu Matth.

docet fornicationem juſtam eſſe cauſam dimittendi uxorem, quod apud Marcum ſub ſilentio prætermittit: ergo, inquiunt Græci, ſicut ex textu Marci colligi non poteſt non licere etiam in causâ fornicationis dimittere uxorem, ita rectè non infertur in eâdem causâ prohibitum eſſe aliam ducere; unde ſequitur hanc difficultatem non ſolvi niſi ex Traditione.

Secundus locus petitur ex eodem capite Matt. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omninò.* Non poteſt eſſe locus expreſſior, (inquiunt Anabaptiſtæ) ad probandum omne juramentum interdictum eſſe Chriſtianis, nec ſine periculo æternæ damnationis poſſe exigi, aut reddi.

Tertius legitur 1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem Sancti ſunt.* Hæc ſanè obſcurè ſcripta ſunt; quis enim abſque Interprete intelligat quo ſenſu Apoſtolus ſcribere potuerit virum infidelem & ejus filios eſſe ſanctos per mulierem fidelem? Si ex hoc loco colligitur, ut contendunt Calviniſtæ, filios mulieris fidelis ſine baptiſmo ſalvari poſſe, ergo & parentem eorum, quamvis infidelis; de illo enim Apoſtolus æquè ac de filiis pronuntiat, quòd ſancti ſint per mulierem fidelem.

Quartus locus depromitur ex cap. 5. verſ. 32. Epiſt. ad Epheſios, ubi Apoſtolus, poſtquam egit de unione Chriſti cum Eccleſiâ, & de vinculo matrimonii, in hæc verba prorumpit, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſiâ.* Secluſâ autem Traditione obſcurum eſt & prorſus incertum an Apoſtolus in his verbis intelligendus ſit de unione Chriſti cum Eccleſiâ, vel de ſigno mirabilis hujuſce unionis, nimirum de matrimonio; poſſitque prædicari

abſque periculo ſalutis, matrimonium eſſe magnum Sacramentum.

Ergo Scriptura ſacra obſcura eſt, etiam ubi tractat de rebus ad ſalutem neceſſariis.

Dices: Sanctus Auguſtinus lib. contra Creſconium cap. 31, ſic ſcribit, *Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant; quos omninò judicare non audeamus, & ſecundùm quos de ceteris libris vel fidelium vel infidelium liberè judicemus*: & lib. de Doctrinâ Chriſtiana cap. 9. *in iis*, inquit, *quæ apertè poſita ſunt in Scripturâ inveniuntur ea omnia, quæ continent fidem moreſque vivendi, ſpem ſcilicet, & charitatem*. Unde lib. 2. de pec. mer. cap. ultimo, de modo quo traducitur peccatum originale, ait *hinc divinorum eloquiorum clariſſima auctoritas eſſet, ſi homo illud ſine diſpendio promiſſæ ſalutis ignorare non poſſet*. Et lib. 5. contra Julianum cap. 1. reprehendit illum Hæreticum, quòd obſcuritatem Scripturarum exaggeraret, diceretque eas doctis duntaxat eſſe pervias. Similia habent ceteri Patres. Nam ſanctus Chryſoſtomus hom. 5 de Lazaro, *non ex neceſſitate*, inquit, *ſed ex noſtra ſocordia evenit, ut ſit in Eccleſiâ opus aliquo, qui verba faciat, & ſermonem habeat*; & hom. 5. in 2. ad Theſſal. *manifeſta ſunt quæcunque ſunt neceſſaria*. Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 7. contra Julianum docet Scripturas ſimplici ſtylo fuiſſe exaratas, ut cuivis notæ eſſent & perſpectæ: Ergo.

Nego conſequens; namque in allatis textibus & aliis ſimilibus volunt duntaxat Sancti Patres privato cuilibet, qui vivit in fide ſanctæ Matris Eccleſiæ, aperta eſſe ea omnia, quæ neceſſaria ſunt ad nutriendam ejus fidem, moreſque ad normam Evangelii inſtituendos. In Scripturis v. g. intelligit, ſicut à Paſtoribus edoctus eſt, Verbum eſſe Deum, carnem factum, eandem car-

nem vivificam in Sacramento relictam in ſpiritualem noſtram alimoniam, per unum hominem peccatum intraſſe in hunc mundum, Deum ſuper omnia diligendum, & proximum ſicut ſeipſum, non eſſe jurandum, carnis curam non eſſe faciendam, & cetera quæ in Symbolo & Decalogo continentur. Nec movetur fallaciis & argutiis, quibus Hæretici circumlatrantes fundatiſſimam hanc doctrinam ſubvertere nituntur, putà Verbum dici Deum, eo modo, quo Scriptura dicit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt: ſcriptum eſſe carnem non prodeſſe quidquam, filium non portare iniquitatem patris ſui, & alia hujuſmodi quæ Paſtoribus Eccleſiæ diſſolvenda relinquit. Solvunt autem illi partim ex aliis Scripturæ textibus, partim ex Traditione Apoſtolicâ, ut dicemus in tertiâ noſtrâ reſponſione.

Meritò itaque ſanctus Auguſtinus reprehendit Julianum quòd ita exaggeraret obſcuritatem Scripturarum, ut nollet vulgus Chriſtianorum poſſe in illis deprehendere peccatum originale, quod contra multitudinis fidem ipſe negabat, fatetur quidem cit. lib. 2. de pec. mer. modum, quo traducitur, non æquè clarè exponi, ac ejus exiſtentiam; quia utriuſque notitia non eſt æquè neceſſaria. Sed quid inde?

Quòd autem objicitur ex libro ſecundo contra Creſconium, non pugnat contra noſtram reſponſionem; ibi enim S. Auguſtinus reſpondet Creſconio Donatiſtæ, qui ex ſcriptis ſancti Cypriani confirmabat ſuum errorem nempe irritum eſſe baptiſma ab Hæreticis collatum, aitque: *Ego litteras Cypriani non ut Canonicas habeo; ſed eas ex canonicis conſidero.* Ex quibus verbis nihil poteſt concludi contra doctrinam Catholicam.

Inſtabis: S. Chryſoſtomus cit. hom 5. de La-

zaro dicit, habentibus Scripturas non opus eſſe aliquo, qui in Eccleſiâ ſermonem habeat: Ergo.

Diſtinguo antecedens ut ſupra; dicit fidelibus, qui jam edocti rudimenta Religionis Chriſtianæ vivunt in fide matris Eccleſiæ, Concedo: dicit infidelibus, qui vel nihil audierunt de Myſteriis noſtris, vel Hæreticorum argutiis ſeducti aut commoti ſunt, Nego antecedens: *Quomodo enim credent...ſine prædicante*, ait Apoſtolus Rom. 10? Si Virgilius, inquit ſanctus Auguſtinus lib. de utilitate credendi, ſine Interprete non intelligitur, multò minùs Scriptura, quæ de rebus ſupernaturalibus ita tractat, ut nonnulla videantur contradictoria, qualia ſunt iſta Joan 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt;* &c. *caro non prodeſt quidquam: verba, quæ locutus ſum...ſpiritus & vita ſunt.* Item Joan. 14 *Pater major me eſt*, & Joan. 10. *Ego & Pater unum ſumus.* Quomodo verò unum? obſcurum reddit oratio, quam pro fidelibus fundit, Joan. 27. *ut & ipſi in nobis unum ſint...ſicut & nos unum ſumus.* Unde S. Chryſoſtomus citatâ hom. *etiamſi non intelligas illic recondita; tamen ex ipsâ lectione multa naſcitur ſanctimonia.* Et infra: *Sume librum in manus, lege hiſtoriam omnem, & quæ nota ſunt memoriâ tenens, quæ obſcura ſunt, frequenter percurre: quòd ſi non potueris aſſiduitate lectionis invenire, accede ad ſapientiorem;* &c. Sanctus itaque Chryſoſtomus in hâc homiliâ auditores increpat, quòd lectioni divinarum litterarum non incumbant, quemadmodum Magiſter Scholæ, qui diceret Diſcipulis ſcripta negligentibus non fore opus tot exercitationibus, ſi, ut par eſt, lectiones ſcriptis exceptas evolverent; fideles enim ex lectione & meditatione Scripturarum ad contemptum terrenorum, ad miſericordiam erga pauperes, & alia Religionis officia accenderentur ſine fre-

quentioribus Paſtorum exhortationibus; quemadmodum de iis, qui in ſolitudine agebant, refert S. Auguſtinus; ſed non ſolverent ſine eorum ope difficultates, quæ vel in ipsâ lectione naſcuntur, vel ab Hæreticis moventur circa myſteria, etiam maximè neceſſaria. Unde.

R. 2°. Spiritus ſanctus cuilibet etiam prædeſtinato immediatè non revelat verum Scripturæ ſenſum.

Probatur 1°. ex Scriptura, Malach. 2: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt*; id eſt nuntius & interpres mandatorum ejus: ſic per Moyſen notas fecit voluntates ſuas filiis Iſrael. Sic Chriſtus ipſe ſanctum Paulum recèns converſum miſit ad Ananiam, qui eum doceret, Act. 9. Et Angelus Cornelium ad ſanctum Petrum, Act. 10. Quid ita? quia ex Apoſtolo, 2. Corint. cap. 11. *Sæpe Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis*, Ne itaque circunveniamur à Satanâ, ſimuſque ſapientes in oculis noſtris, Deus voluit fidem eſſe ex auditu, Rom. 10. & propterea, Eph. 4. *dedit quoſdam quidem Apoſtolos. . . . alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti. . . ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in aſtutiâ ad circumventionem erroris*. Nihil luculentius dici potuit contra ſpiritum privatum.

Probatur 2°. ratione duplici. 1°. hæc doctrina pugnat contra conſuetudinem omnium Veterum, qui hactenus ſenſum Scripturarum ex Traditione haurire & propugnare ſoliti ſunt, ut demonſtrabimus in ſequenti reſponſione. 2°. viam aperit Schiſmatibus, omneque medium tollit, quo nata extingui poſſint. Si enim, ut docent adverſarii, privatus quiſque, ſaltem prædeſti-

natus, per interiorem & immediatam ſancti Spiritûs revelationem percipit verum Scripturæ ſenſum, conſtituiturque Judex contraverſiarum, quæ circa fidem oriri poſſunt, ita ût Paſtorum definitionibus adhætere non debeat, niſi idipſum, quod illi credendum proponunt, ſibi immediatè revelatum fuerit; ſi, inquam, hujuſmodi impietas prævaleat, quæ pax, quæ ſocietas? Annon Socinianus, Calvinianus, & quivis Hæreticus ex certâ fiduciâ quòd ſit prædeſtinatus, ſomnia cordis ſui effutiet tanquam Dei revelationes? Quis vero modus, quæve ratio compeſcendi illos fanaticos, cùm incerta illis ſint Paſtorum judicia, nihilque pro vero habeant, niſi quod ſpiritu privato tale judicaverint? Potuit-ne Infernus quidquam peſtilentius evomere?

R. Igitur 3°. Traditio neceſſaria eſt ad eruendum verum Scripturæ ſenſum, illumque propugnandum contra Hæreticos. Ita ferè Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. ubi ſic habet: *Præterea, ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſcripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat.*

Probatur reſponſio ex conſtanti Eccleſiæ uſu, quæ primo ſeculo damnavit Cerinthum jactitantem ſe privatas revelationes ab Angelo accipere, & ſecundo ſeculo Montanum, *co quòd*, inquit Euſebius lib. 5 Hiſtor. cap 15. *contra quam Eccleſiæ conſuetudo cum traditione, tum ſucceſſione antiquitus ab Apoſtolorum temporibus eò uſque derivata poſtulabat, prophetare incœpiſſet.* Sanctus Auguſtinus

prologo in primum lib. de Doctr. Chr. probat falſam & pernicioſam eſſe illam cogitationem, omnes homines a Deo ſine operâ hominum accipere intelligentiam Scripturarum. Ruffinus hiſt. lib. 11. cap. 9. refert ſanctos Baſilium & Gregorium Nazianzenum per tredecim annos operam dediſſe ſtudiis ſacrarum Litterarum, *illarum ſententias non ex proprio ingenio, ſed ex Majorum Traditione & a ictoritate interpretantes.* Et Vincentius Lyrinenſis cap. 38. commonitorii, tradit hanc regulam interpretandi Scripturas à Patribus uſque ad ſuam ætatem ſervatam; *ſi*, inquit, *divinis eloquiis, ſententiis, promiſſionibus & Diabolus & diſcipuli ejus utuntur . . . quid facient Catholici omnes, & matris Eccleſiæ filii? Quonam modo in ſcripturis ſanctis veritatem à falſitate diſcernent? Hoc ſcilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commentarii iſtius, ſanctos & doctos viros nobis tradidiſſe ſcripſimus, ut divinum Canonem, ſecundùm univerſalis Eccleſiæ Traditiones, & juxta Catholici Dogmatis regulas interpretentur.* Hujuſce autem regulæ neceſſitatem confirmare licet ex his, quæ in preſenti controverſiâ experimur! Adverſarii quippe doctrinam ſuam quantumcunque abſurdam & pernicioſam per Scripturas probare nituntur; namque pro eâ,

Objiciunt ſequentes textus; Iſa. 54. *Ponam. . . univerſos filios tuos doctos à Domino.* Jerem. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum . . . & non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens, cognoſce Dominum; omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum*, 1. Joan. 2. *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Ergo omnibus, ſaltem prædeſtinatis, Spiritus-ſanctus immediatè revelat verum Scripturæ ſenſum.

Reſpondeo 1°. Verba laudata, præſertim Jeremiæ, ſi accipiantur, ut ſonant, non poſſunt ap-

tari ſtatui præſenti, in quo peregrinamur à Domino, & fidem non concipimus niſi per prædicationem Evangelii; ſed referenda ſunt ad ſtatum Beatorum, qui, cùm Deum intuitivè videant, opus non habent, ut quis dicat, cognoſce Dominum. Ergo in cælo non in terrâ quærendus eſt privatus ille Adverſariorum ſpiritus.

Reſpondeo 2°. diſtinguendo antec. cum ſancto Auguſtino tract. 3. in 1. Joan. omnes erunt edocti à Domino, & interiori Spiritus ſancti unctione, per doctrinam & miniſterium Paſtorum & Doctorum, Concedo: ſecus, Nego antecedens; experientiâ enim conſtat omnes Gentiles, ad quos non pervenit prædicatio Evangelii, Idolorum cultui & aliis ſuperſtitionibus inhærere, quin & plures è Chriſtianis, propter ſilentium & negligentiam Paſtorum, in denſiſſimis ignorantiæ tenebris verſari, nec inde prædeſtinatos emergere niſi mediante Doctrinâ. In laudatis itaque textibus, & aliis ſimilibus, Deus non dicit exteriorem prædicationem in novâ lege non fore neceſſariam; alioquin non poſuiſſet in Eccleſiâ Paſtores & Doctores; ſed promittit uberiorem Spiritûs ſancti gratiam, quâ interiùs illuſtrati & accenſi, rudes etiam & pueri facilè ſuadeantur à Paſtoribus. *Si*, inquit *S.* Auguſtinus loco citato, *unctio ejus docet nos de omnibus, quaſi nos ſine cauſâ laboramus, ut quid tantùm clamamus? ſed quæſtionem illi ipſi Apoſtolo facio; unctionem habebant, quibus loquebaris, ut quid talem Epiſtolam feciſti? quid illos tu docebas? Jam videte magnum ſacramentum, fratres, admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ; ſi non ſit intus qui doceat, inanis fit ſtrepitus noſter ... Magiſteria forinſecus adjutoria quædam ſunt & admonitiones, cathedram in cælo habet, qui corda docet; propterea ait & ipſe in Evangelio: nolite vobis in terra ..... ſic ſunt iſta verba;*

quæ foriſecus dicimus, quomodo eſt agricola ad arborem, forinſecus operatur, adhibet aquam... Nunquid poma format? audite agricolam Apoſtolum, & videte quid ſumus; neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, id eſt, unctio illius docet vos de omnibus.

Inſtant: ſaltem agnoſcendus eſt in quolibet Chriſtiano inſtinctus Spiritûs ſancti, quo judicet de omnibus fidei controverſiis, ait enim Apoſtolus 1. Cor. 2. *ſpiritualis... judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur*, id eſt à nemine redargui vel condemnari poteſt: Ergo.

Nego antecedens, cujus confirmationem diſtinguo, Spiritualis, id eſt, Chriſtianus in fide & virtutibus provectus judicat omnia, hoc eſt, percipit ſublimiorem doctrinam, quam animalis ſeu imperfectus Chriſtianus & parvulus in Chriſto intelligere nequit: Concedo; Judicat cum auctoritate definiendo, Nego. *ſapientiam autem*, inquit Apoſtolus idem, *loquimur inter perfectos;* quia hi ſoli eam aſſequi poſſunt, unde ſubdit cap. 3. *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus; Tanquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis; adhuc enim carnales eſtis.* Et ideo animales nec debent, nec poſſunt judicare Spirituales, cùm eorum ſapientiam non percipiant.

Inſtant iterum: 1. Cor. 12. habetur, *unicuique autem datur manifeſtatio ſpiritûs:* Ergo.

Nego conſequens, ibi enim ſermo eſt de gratiis gratis datis, quibus nunc carent etiam prædeſtinati. Extraordinaria autem illa dona, puta linguarum, virtutum, diſcretionis ſpirituum, quæ primis Chriſtianis ad utilitatem Eccleſiæ dividebantur, ab Apoſtolo vocantur manifeſtatio Spiritûs; quia iis divina illius operatio manifeſtabatur.

Objiciunt 2°. Nullus poteſt elicere actum virtutis ſupernaturalis, niſi motivum illius divinitus ipſi applicetur, ut quis v. g. charitate diligat Deum, neceſſe eſt, ut divinâ bonitate quæ eſt motivum & ratio Dei amandi, interiùs afficiatur & moveatur: atqui motivum fidei ſupernaturalis eſt divina revelatio; ideo enim aſſentimur propoſitioni obſcuræ, v. g. Verbum eſſe incarnatum; quia Deus illam revelavit: Ergo divina revelatio cuique fideli interiùs per Spiritum-ſanctum applicatur.

Diſtinguo majorem, niſi motivum divinitus applicetur vel immediatè vel mediatè, Concedo: niſi applicetur immediatè, Nego majorem.

Conceſſâ minore, diſtinguo ſimiliter conſequens: ergo divina revelatio cuique fideli per Spiritum-ſanctum applicatur mediatè, Concedo: immediatè, Nego conſequentiam.

Hæc ſolutio explicatur exemplo ex politicis ducto. Rex voluntatem ſuam ſingulis ſubditis non declarat immediatè, ſed ſuis duntaxat miniſtris, per quos auctoritas regia alios ad obtemperandum verè impellit. Ita Deus immediatè revelavit Moyſi quæ ad legem veterem, & Apoſtolis quæ ad novam pertinebant: Moyſi quidem ſcripto, Apoſtolis autem verbo tenus; ille autem & iſti ſignis patentibus & indubitatis probarunt ſe mandata Dei perferre, & ita illis mediantibus divina revelatio ad alios pervenit.

Sed quantumcunque credibilia appareant, quæ ab iis renuntiata ſunt, nunquam tamen actu credentur, niſi Spiritus-ſanctus mentes audientium interiùs illuſtret, & corda eorum aperiat, moveatque ad credendum propter divinam revelationem. Et hoc ſenſu omnes ſunt edocti à Domino, & non à fratre aut proximo ſuo; quia, ut ait ſanctus Auguſtinus cit. tract. 3. in 1. Joan. *ſive*

ſantemus, ſive rigemus, loquendo non ſumus aliquid; ed ille qui incrementum dat Deus. Unctio illius docet vos de omnibus.

CAPUT VIII.

De Eccleſiâ.

NOmen tum Eccleſiæ tum Synagogæ convocationem ſignificat. Sanctus autem Auguſtinus exiſtimat ſocietatem Chriſtianorum ideo nomen Synagogæ non retinuiſſe: quia Synagoga tam animalium, quàm hominum, congregationem ſignificat: nomine verò Eccleſiæ nonniſi cœtus Spiritualium, quales debent eſſe Chriſtiani, ſolet intelligi.

Eccleſia dupliciter accipitur 1°. metaphoricè pro loco in quo congregantur veri Dei cultores; ut Judith. 6. *per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt*: 2°. propriè pro ipſamet congregatione; ut Pſal. 149. *laus ejus in Eccleſiâ Sanctorum.*

Rurſus Eccleſia propriè dicta ſumitur vel latiùs, quatenus complectitur triumphantem in cœlis, patientem in purgatorio, & militantem in terris, vel ſtrictiùs pro cœtu fidelium in terris militantium, ſive ante ſive poſt Chriſtum, vel ſtrictiſſimè pro cœtu fidelium baptizatorum ſeu Chriſtianorum. De Eccleſiâ hoc poſteriori modo ſumptâ potiſſimùm agendum ſuſcipimus.

Hæc autem circa Eccleſiam expendere neceſſe eſt. 1°. utrùm in rebus fidei & morum ſit neceſſariò conſulenda. 2°. apud quos exiſtat vera Eccleſia, an apud Judæos, Mahumetanos, Paganos, an apud ſolos Chriſtianos. 3°. utrùm ſint certæ & indubitatæ notæ, per quas Eccleſia verè Chriſtiana diſcerni poſſit ab omnibus ſectis, quæ falsò

ſe dicunt Chriſtianas. 4°. quomodo definitio veræ Eccleſiæ eruenda ſit ex præſtatutis principiis. 5°. quænam ſint affectiones ſeu proprietates & dotes veræ Eccleſiæ, nempe an ſit ſemper viſibilis. 6°. an ſit perpetua & indeficiens. 7°. an ſit infallibilis. 8°. denique an ſit Judex controverſiarum. Ex quibus quæſtionibus facilè colliget Theologiæ candidatus nos verſari in materiâ maximè neceſſaria ad notitiam ſacræ doctrinæ adipiſcendam.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Utrùm in rebus fidei & morum ad Eccleſiam recurrere neceſſe ſit?

R. AFfirmat ſanctus Auguſtinus, & mirâ methodo demonſtrat in aureo opere, cui titulum præfixit, *de utilitate credendi*, ubi hominem inter innumeras ethnicorum Philoſophorum opiniones, & varias Chriſtianorum ſectas fluctuantem, & ferè deſperantem poſſe inveniri viam ſalutis, hoc eſt, veram ſapientiam, manu ducit ad ejus cognitionem.

Ante omnia errantem revocat ad ea, quæ ignorare nec poteſt, nec debet, ſi feriò velit attendere, nempe animam rationalem eſſe immortalem, ſupremumque aliquod numen exiſtere, quod rebus humanis providet. *Sæpe mihi videbatur* (ait ſanctus Doctor de ſuo priſtino ſtatu, in quo errabat) *non poſſe inveniri veritatem, magnique fluctus cogitatianum mearum in Academicorum* (qui de omnibus dubitabant) *ſuffragium ferebantur. Sæpe rurſus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam ſagacem, tam perſpicacem; non putabam latere veritatem, niſi quòd in eâ quærendi modus lateret.... Huic igitur tam immani difficultati, quam de-*

eligione quærimus, Deus ſolus mederi poteſt, quem ſi & eſſe, & humanis mentibus opitulari credimus, c quærere quidem ipſam... Religionem debemus, lis præmiſſis.

Inveſtigat quis ſit ille modus inveniendæ ſapientiæ & veræ Religionis. Ac primo docet uſmodi fluctuantem eam per ſe ipſum invenire on poſſe. 1°. *Quia*, inquit, *nihil facilius quam non lum ſe dicere, ſed etiam opinari verum inveniſſe.* Quod enim mendacium tanquam veritatem ientur? quia ſtulti & peccatores ſic ſe habent ad pientiam, quemadmodum ægra valitudine laborantes ad alimenta: hi ad ſalutaria nauſeant, oxia appetunt: illis quàm ſæpiſſimè error placet, veritas diſplicet; unuſquiſque enim judicat prout affectus eſt. 3°. quia ut aliquis verum ter & falſum ſapientiam & ſtultitiam diſcernat, eum ſapientiam jam noſſe neceſſe eſt; quis nim ſeparet pretioſum â vili, gemmam ſincem ab adulterinâ, ſi gemmæ naturam & proietates ignoret? Atqui ſtultus ſapientiam non ovit, alioquin ſapiens eſſet; ſapiens quippe citur, qui poſſidet ſapientiam: eo autem ipſo ſſidetur ſapientia, quo noſcitur; *non enim*, quit, *ut aurum & argentum cæteraque id genus & gnoſcere cùm videas, & non habere conceſſum eſt... ei... res alienas oculis cernere, cùm earum... nihil beamus: quod autem intellectu capitur, intus apud imum eſt, nec id habere quiquam eſt aliud, quàm dere. Caret autem ſtultus ſapientiâ: non igitur novit pientiam... & dum neſcit, in alio cognoſcere non eſt.*

Deinde ſanctus Doctor expendit dum ſtultus errans ſapientiam haurire poſſit ex lectione orundam librorum, oſtenditque duo potiſſim obſtare quominus eam deprehendere poſ- Primum eſt, quòd ſi Scriptura nova & inau-

edita profeſratur: nulla confirmante ratione, ei credendum non eſt. Secundum etiamſi conſtet nihil niſi verum in ea contineri; tamen cùm res ad Religionem pertinentes ſint admodum à ſenſibus remotæ, aliquo expoſitore indigent: *nullâ*, inquit, *imbutus poeticâ diſciplinâ Terentianum... ſine Magiſtro attingere non auderes... Donatus & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poeta poſſit intelligi.... tu in eos libros, qui quoquomodo ſe habeant, ſancti tamen divinarumque rerum pleni, prope totius generis humani confeſſione diffamantur ſine duce irruis, & de iis ſine præceptore audes ferre ſententiam, nec ſi tibi aliqua occurrunt, quæ videantur abſurda, tarditatem tuam & putrefactum tabe hujus mundi animum, qualis omnium ſtultorum eſt, accuſas potiùs quàm eos, qui à talibus intelligi nequeunt.*

Tertiò, definit hunc eſſe modum, quo ad ſapientiam pervenire liceat, nempe confugere ad Sapientes, eiſque ex animo conjungi. *Cùm enim*, inquit, *ſapiens ſit Deo ita mente conjunctus, ut nihil interponatur quod ſeparet; Deus enim veritas eſt, nec ullo pacto ſapiens quiſquam eſt, ſi non veritatem mente contingat: negare non poſſumus inter ſtultitiam hominis, & ſinceriſſimam Dei veritatem medium quiddam interpoſitum eſſe hominis. Sapiens enim quantùm datum eſt imitatur Deum: homini autem ſtulto, ad imitandum ſalubriter, nihil eſt homine ſapiente propinquius.... nec, ut ita dicam, dominus ſui facti ſtultus exiſtimandus eſt cum eſt tanquam inſtrumentum, miniſteriumque ſapientis... Atque hoc ſi in rebus minoribus, ut in mercando.... in ipsâ re familiari adminiſtranda expedire nemo ambigit, multò magis in Religione; nam & res humanæ promptiores ſunt ad dignoſcendum quàm divinæ, & in quibuſcunque ſanctioribus & præſtantioribus, quo majus eis obſequium cultumque debemus, eò ſceleratiùs periculoſiuſque peccatur.*

Sed oritur hîc difficillima quæſtio quonam

modo ſtultus ſapientem invenire poſſit, cùm plerique hoc nomen ſibi vindicent, & de rebus ipſis, quarum cognitione conſtat ſapientia, inter ſe diſſentiant.

Quartò, ſtatuit ſanctus Doctor priùs explorandos eos qui excellere videntur famæ celebritate, atque omnium penè occupatione populorum. *Nunquidnam... quicunque boni oratores evadere volunt, Cæcilii... potiùs aut Erucii orationibus, quàm Tullianis navandam operam exiſtimant? Hæc appetunt omnes, quæ majorum auctoritate firmata ſunt. Eadem imperitorum turbæ diſcere moliuntur, quæ à paucis docti diſcenda recepta ſunt.*

Quintò, oſtendit Eccleſiam Chriſtanam ipſius etiam generis humani confeſſione ſupra omnes ſocietates eminere: *Plures*, inquit... *jam Chriſtiani ſunt, quàm ſi Judæi ſimulacrorum cultoribus adjungantur. Eo undem autem Chriſtianorum, cum ſint hæreſes plures, atque omnes ſe Catholicos velint videri, alioſque præter ſe hæreticos nominent, una eſt Eccleſia, ut omnes concedunt; ſi totum orbem conſideres, refertior multitudine; ut autem, qui noverunt, affirmant, etiam veritate ſincerior ceteris omnibus. Sed de veritate alia quæſtio eſt. Quod autem quærentibus ſatis eſt, una eſt Catholica*, id eſt univerſalis. Unde concludit ab ipsâ ſumendum quærendi exordium. *Dubitabimus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ uſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolicâ Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra Hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majeſtate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Quam autem aliis demonſtrat viam, eandem ipſe ſe tenuiſſe alibi confitetur. *Propterquod*, inquit, *nunc libera Eccleſiæ poſt longiſſimam ſitim, quam paſſus eram penè exhauſtus, atque aridus* (dum Manichæis ad-

hæreret) *tota aviditate repetit, eòque altiùs flens & gemens concuſſi & expreſſi, ut id mandaret quod mihi ſic affecto ad recreationem ſatis eſſe poſſet, & ad ſpem reducendam vitæ ac ſalutis.*

Hactenus ſanctus Auguſtinus inquirentes ſapientiam, ſeu ſcientiam ſalutis, ad Eccleſiam Chriſtianam deduxit, ut pote quæ omnium ferè Nationum exiſtimatione ſit illa celeberrima Sapientum ſocietas, quos in rebus divinis neceſſariò conſulendos eſſe demonſtravit. Jam verò diligentiùs inveſtigandum quod ſanctus Doctor leviter attigit, num ſcilicet Eccleſia Chriſtiana mereatur illam nominis celebritatem, quam ubique obtinuit, ſitque revera Societas divinitus inſtituta, cui omnes abſque erroris formidine credere teneantur.

Sed illud luculenter præſtitimus tract. de Incarnatione, à paginâ 50. ad 72. ubi contra Infideles, & eos, quos libertinos vocant, ut qui nec fidem nec legem ſequantur, niſi quam ex propriâ præſumptione ſibi conſtituerint, invictiſſimis argumentis demonſtravimus Religionem Chriſtianam verè eſſe divinam. Quæ autem ibi traduntur, hìc non præſupponi, ſed neceſſariò conſuli debent, cùm ex iis omnino pendeant, quæ de Eccleſiâ deinceps dicturi ſumus.

Verùm quia omnes Hæreticorum ſectæ ſeſe Chriſtianas immeritò nuncupant, operæ pretium eſt exponere certas & indubitatas notas, quibus vera Eccleſia à falſis ſecerni queat.

PARAGRAPHUS II.

De notis veræ Eccleſiæ.

Q. 1°. QUot conditiones requiruntur, ut aliquid poſſit eſſe nota veræ Eccleſiæ?

R. Dux,

R. Duæ. 1. Oportet ut nota ſit clarior re ipsâ, quam demonſtrat. Illud fatentur ipſi heterodoxi, *les marques de l'Egliſe*, inquit Molinæus, *doivent être ſenſibles & plus connues que l'Egliſe, puiſque par elles elle eſt connue*. 2. Uni & ſoli Eccleſiæ convenire debet illa nota, ſi non ſeorſim, ſaltem cum aliis conjuncta, alioquin Eccleſiam non diſtingueret, quemadmodum eſſe bipedem, non diſtinguit hominem ab omnibus aliis animalibus; quia volucres ſunt bipedes.

Q. 2°. *Sunt-ne certæ notæ & ſigna ſenſibilia, quibus vera Eccleſia cognoſci poſſit?*

R. Dantur hujuſmodi notæ: probatur ex ſancto Auguſtino, tract. 1°. in Joan. *poſſumus*, inquit, *digito demonſtrare Eccleſiam, & ſunt cæci, qui eam non vident*; & lib. 2. contra Creſconium, *extat Eccleſia cunctis clara atque perſpicua*, ſubſcribunt Novatores: ſic enim habent in Catecheſi pro Dominicâ ſextâ: *Il y a un Egliſe de Dieu, qui eſt viſible, & il nous a donné des enſeignes pour la connoître.*

Q. 3°. *Veritas Doctrinæ eſt-ne nota veræ Eccleſiæ?*

R. Affirmant novatores, negant verò Catholici.

Probatur vera Catholicorum ſententia. 1°. ex ſancto Auguſtino lib. 13. contra Fauſtum c. 13. ubi docet cognoſcendam Eccleſiam, antequam percipiatur ejus doctrinæ veritas, *& tanquam ille*, inquit, *quem catechiſamus, quæreret & diceret quo ergo ſigno manifeſto adhuc parvulus, & nondum valens liquidam diſcernere à tot erroribus veritatem, quo manifeſto indicio tenebo Eccleſiam Chriſti?* &c. & lib. contra epiſt. fundamenti c. 4. *ut ergo hanc omittam ſapientiam, quam eſſe in Eccleſiâ* Catholicâ *non creditis, multa ſunt alia, quæ in ejus gremio me juſtiſſimè tenent. Tenet conſentio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata*, &c.

Probatur 1°. ratione. Veritas Doctrinæ tri-

pliciter ſpectari poteſt, 1°. ut continetur in libris ſacris, 2°. quatenus ſcripta eſt in cordibus fidelium, 3°. prout ore Paſtorum annuntiatur; atqui nullo ex tribus illis modis poteſt eſſe nota veræ Eccleſiæ. Non 1°. quia libri ſacri reperiuntur in pleriſque Hæreticorum ſectis: illos habent Sociniani & Neſtoriani. Non 2°. tum quia Doctrina in cordibus fidelium non eſt ſenſibilis, nec ab aliis percipi poteſt: tum quia ex Adverſariis ſoli prædeſtinati habent intelligentiam Scripturarum, ac proinde illis ſolis nota poſſet eſſe Eccleſia: tum denique quia ex dictis per Eccleſiam aſſequimur verum Scripturæ ſenſum: Ergo Eccleſiam ante Scripturas cognoſcere neceſſe eſt. Non 3°. quia non ſunt audiendi, niſi qui probant ſe à Deo miſſos vel extraordinariè, ut Apoſtoli, vel ordinariè, ut qui ab Eccleſiâ legitimè ſunt ordinati verbi Dei miniſtri, *ſi quis dixerit, hic eſt Chriſtus... nolite credere.* Math. 24. Ergo notitia Eccleſiæ præcedere debet doctrinam Paſtoris.

Dices 1°. articuli fidei in unum collecti dicuntur ſymbolum ſeu ſignum, quo diſtinguuntur Fideles ab Infidelibus: Ergo veritas Doctrinæ eſt nota veræ Eccleſiæ.

Nego conſeq. nam Schiſmatici & pleriquc Hæretici retinent Symbolnm Apoſtolorum. Illa ergo articulorum collectio eſt duntaxat ſignum Religionis Chriſtianæ, quo diſtinguuntur Chriſtiani à non Chriſtianis, putà à Judæis & Mahumetanis, non verò Catholici ab Achatholicis. Porrò agitur hîc de notâ, quâ vera Eccleſia ſecernitur à ſectis Hæreticorum.

Dices 2°. cum Molinæo, non poteſt aliquid cognoſci niſi per ejus definitionem: atqui veritas Doctrinæ pertinet ad definitionem Eccleſiæ; definitur enim Eccleſia, cœtus hominum veram fidem profitentium; Ergo.

Diſtinguo maj. non poteſt aliquid cognoſci per eſſentiam, niſi cognoſcatur ejus definitio, Concedo: non poteſt cognoſci per proprietates & accidentia inſeparabilia, Nego maj. Deinde conceſsâ min. diſt. conſeq. Non poteſt cognoſci Eccleſia niſi per veritatem Doctrinæ ſecundùm eſſentiam, Concedo: non poteſt cognoſci per proprietates & accidentia inſeparabilia, Nego conſequent. Sic pueri cognoſcunt parentes, & ætate provectiores cognoſcunt metalla & alia innumera, quorum ignorant eſſentias.

Q. 4°. *Quænam igitur ſunt notæ Eccleſiæ?*

R. Quatuor recenſentur à Conciliis Nicæno & Conſtantinopolitano in Symbolo his verbis, *Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.*

Q. 5°. *Hæ notæ diſtinguunt-ne Eccleſiam à ſectis Paganorum, Judæorum, & Mahumetanorum?*

R. Non eam diſtinguunt niſi à ſectis Schiſmaticorum & Hæreticorum, quæ ſe Chriſtianas dicunt; nam vera Eccleſia in ſuo ortu non fuit Catholica ſeu univerſalis reſpectu Paganorum, qui univerſum ferè orbem occupabant, ſed reſpectu duntaxat Ebionitarum, Cerinthianorum, & aliorum Hæreticorum qui tempore Apoſtolorum eam ſciderunt; plures enim ſemper fuerunt Catholici, quàm Schiſmatici & Hæretici, ut infra oſtendetur.

Q. 6°. *Quælibet ex quatuor notis recenſitis diſtinguit-ne veram Eccleſiam à ſectis Hæreticorum?*

R. Minimè, ſed debet cum aliis conjunctim ſumi; unitas v. g. poteſt convenire ſectæ Schiſmaticorum; nam Donatiſtæ & Ariani non fuerunt ſtatim inter ſe diviſi. Diſtinguit tamen negativè, quatenus ſenſibiliter demonſtrat illam ſocietatem, quæ caret vel unâ ex quatuor notis, non eſſe veram Eccleſiam, quemadmodum ra-

tio bipedis, licèt poſitivè non deſignet hominem, negativè tamen evincit nullum animal eſſe hominem, quod non fuerit bipes.

PARAGRAPHUS III.

De unitate Eccleſiæ.

Q. 1°. UNitas eſt-ne nota veræ Eccleſiæ?

R. Affirmant Catholici, nec diſſentiunt, niſi in modo explicandi.

Probatur ex Scripturâ, Cant. 6. *Una eſt columba mea.* Joan. 10. *Alias oves habeo... & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Paſtor.* 1. Cor, cap. 10 *Unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Epheſ. 4. *Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in unâ ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium.*

Eccleſia itaque eſt una, 1°. ob unum auctorem, nempe Deum, *Deus unus, Eccleſia una*, inquit S. Auguſtinus ſerm. 103. aliàs 26. de verbis Domini, *non reſpondet uni niſi unitas.* 2°. ob unum Paſtorem & caput, Chriſtum ſcilicet, *in quo omnis ædificatio creſcit.* Epheſ. 2. 3°. ob unum finem, qui eſt vita æterna; ſpes enim illius conſequendæ collegit ſocietatem Chriſtianorum, quemadmodum ſpes lucri & victoriæ in unm corpus congregat mercatores & milites. 4°. ob unitatem Spiritûs corpus Eccleſiæ vivificantis. 5°. ob unitatem mediorum, putà fidei, baptiſmi, Panis Euchariſtici, & aliorum Sacramentorum. 6°. denique ob ſubordinationem Paſtorum, qui poſiti ſunt in ædificationem corporis Chriſti, ne circunferantur fideles omni vento doctrinæ, ut dicitur citato cap. 4. Epheſ.

Q. 2° *Sex illa vincula, quæ compingunt & connectunt corpus Eccleſiæ, ſunt-ne ejus notæ?*

R. Minimè, quia ex dictis nota debet eſſe ſenſibilis & clarior ipsâ re quam notificat: Atqui Deum eſſe auctorem hujus Eccleſiæ, Chriſtum eſſe caput ejus inviſibile, Spiritum-ſanctum influere in ejus membra, non eſt quid ſenſibile nec clarius ipsâ Eccleſiâ. Imò debet priùs cognoſci Eccleſia, quàm iſta ejus privilegia deprehendantur: Ergo.

Q. 3°. *Quæ ergo unitas eſt nota veræ Eccleſiæ?*

R. Unitas tum doctrinæ, tum regiminis ſub uno ſupremo Paſtore, qui eſt caput ejus viſibile, & ſub aliis Paſtoribus ſupremo ſubordinatis, qui omnes, tam ille, quàm illi, continuatâ ſucceſſione ab Apoſtolis ordinati ſunt. Sic nobis ſenſibiliter innoteſcit Regnum Galliæ v. g. eſſe unum corpus politicum & diviſum à quocunque alio, ex eo quòd Galli iiſdem utantur legibus ſaltem generalibus ſub uno ſupremo Principe, qui anterioribus legitimè ſuccedit.

Hanc doctrinæ & cathedræ unitatem unanimiter commendant antiquiſſimi Patres, tanquam viſibilem Eccleſiæ notam, & ex eâ præſcribunt adversùs omnes Hæreticos & Schiſmaticos, eorum ſectas nec eſſe à Deo inſtitutas nec eſſe Corpus Chriſti; nec habere Spiritum vivificantem. *Ut unitatem manifeſtaret*, inquit ſanctus Cyprianus de unitate Eccleſiæ, *unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit .... exordium ab unitate proficiſcitur, ut una Eccleſia monſtretur.*

Optatus Milevitanus, quarti ſeculi auctor, de eâdem unitate ſic ſcribit lib. 2. *in quâ unâ Cathedrâ unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas unuſquiſque defenderent, ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram*

conſtitueret. Et S. Hieronymus contra Jovinianum, *inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio*. Denique S. Auguſtinus ſerm. 103. aliàs 36. de verbis Domini, *non poteſt fieri*, inquit, *ut Eccleſia ſit una, niſi iſti multi, qui recte credunt, in unitatem quandam Eccleſiaſtici Corporis coaleſcant. Da ergo unum, & populus eſt, tolle unum, & turba eſt. Quid eſt enim turba, niſi multitudo turbata? Hanc verò fidelium ſic cohærentium unitatem charitas facit, quæ hoc ipſo læditur, & corpus laceratur, quo membra pertinaciter incipiunt, vel diverſa credere, vel eadem credendo, ſeorſim ab illo toto ſeparata ſibi conventicula conſtituere: illud hæreſim, quæ ſine ſchiſmate eſſe non poteſt: hoc propriè dictum ſchiſma facit*. Et tract. 33. in Joan. docet miraculum, quo unus Diſcipulus die Pentecoſtes omnium linguis loquebatur, & ab omnibus intelligebatur, præfiguraſſe unitatem doctrinæ, quæ eſt in verâ Eccleſiâ, juxta quam quiſquis Corpori Chriſti adunatur, idipſum percipit, credit & profitetur, quod in omnibus orbis partibus docetur & creditur: *diffuſa Eccleſia per Gentes loquitur omnibus linguis: Eccleſia eſt corpus Chriſti, in hoc corpore membrum es. Cùm ergo membrum ſis ejus corporis, quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus. Unitas membrorum charitate concordat, ipſa unitas loquitur, quomodo tunc* (die Pentecoſtes) *unus homo loquebatur. In hâc Eccleſiâ, qui non eſt, nec modò accipit Spiritum; præciſus enim & diviſus eſt ab unitate membrorum;* nam, ut alibi ſcribit, non poteſt vivere Spiritu Chriſti, niſi Corpus Chriſti.

Ergo ſectæ Lutheranorum, Calvinianorum, & Anglicanorum non ſunt vera Chriſti Eccleſia, & immeritò ſe Chriſtianas dicunt; quia deeſt eis unitas tum Doctrinæ; variant enim circa fidei dogmata: tum Cathedræ & regiminis Eccleſiaſtici; Paſtores quippe eorum nec ab Apo-

ſtolis continuâ ſucceſſione ordinati ſunt, ut dicetur, ubi de quartâ Ecleſiæ notâ, nec uni ſupremo capiti ſubordinantur.

Q. 4°. *Quælibet hæreſis ſeparat-ne à verâ Eccleſiâ?*

Negant Pſeudoreformati, atque ut ſibi concilient quandam unitatem, diſtinguunt inter fidei articulos fundamentales & non fundamentales, contenduntque ſolam hæreſim, quæ pugnat contra articulum fundamentalem, excludere à verâ Chriſti Eccleſiâ, ac proinde unam Eccleſiam conflari ex variis ſectis Lutheranorum, Calviniſtarum, & Anglorum, quia hi omnes non diſſentiunt in articulis fundamentalibus. Quinam autem ſint articuli fundamentales, non ſatis explicant. Certè cùm hoc ſit proprium fundamenti, ut ſuſtentet totum ædificium, non negabunt eos articulos eſſe fundamentales, qui continent doctrinam ſine quâ finis ultimus acquiri non poteſt; omnis quippe Religio & ſocietas ultimo ſuo fine veluti fundamento innititur.

Refelluntur 1°. quia hujuſmodi diſtinctio ab ipſis excogitata, nedum fundetur in Scripturâ, quam ſolam fidei regulam conſtituunt, illi manifeſtè repugnat; nam Matth. 18. indiſcriminatim dicitur de quolibet, qui pertinaciter Eccleſiæ refragatur, *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, & Tit. 3. *hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita.*

Refelluntur 2°. ex conſtanti Veterum Traditione. S. Irenæus lib. 3. cap. 3. ſcribit: *Sanctum Apoſtoli & horum diſcipuli morem habuerunt, ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem.* S. Cyprianus Epiſt. 76. *neque enim*, inquit, *Dominus noſter... aliquam ſpeciem hæreſeos deſignavit; ſed omnes omninò Hæreticos.... adverſarios ſuos eſſe oſtendit... nec ipſe ullam hæreſim aut ſchiſma*

diſcrevit. S. Auguſt. Enchirid. cap. 5. *Si diligenter quæ ad Chriſtum pertinent cogitentur, nomine tenus invenitur Chriſtus apud quoſlibet Hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt... quod oſtendere nobis longum eſt; quoniam commemorandæ ſunt omnes hæreſes, ſive quæ fuerunt, ſive quæ ſunt, ſive quæ potuerunt eſſe ſub vocabulo Chriſtiano.* Et lib. de hæreſibus: *Poſſunt eſſe aliæ hæreſes, quæ in hoc opere commemoratæ ſunt, quarum aliquam quiſquis tenuerit, Chriſtianus Catholicus non erit; modicum enim fermentum falſitatis, totam maſſam corrumpit.*

Confirmatur: ſeparati ſunt ab Eccleſiâ 1°. qui docebant I. ſeculo legalia cum Evangelio eſſe ſervanda. 2°. Aëtius, qui negabat Epiſcopos eſſe Preſbyteris ſuperiores. 3o. Donatiſtæ, qui baptiſmum ab Hæreticis collatum iterandum aſſerebant. 4°. Monothelitæ, qui unam in Chriſto voluntatem agnoſcebant: Atqui Hæretici illi non errabant circa articulos fundamentales: Ergo.

Dices: Peccatores ſunt in Eccleſiâ: Ergo & Hæretici.

Nego conſequent. Diſparitas eſt, quòd peccatores, niſi ſint Schiſmatici, aut propter contumaciam excommunicati, unitatem non ſolvant, remaneantque in corpore Eccleſiæ veluti membra ægra & malè affecta, quæ licèt vix aut ne vix quidem à capite moveri poſſint, non carent tamen omni ejus influxu; peccatores enim per fidem adhærent Eccleſiæ, audiunt Paſtores, creduntque vera eſſe quæ docent: contra verò Hæretici ſunt membra à corpore ſeparata, ut qui Eccleſiam non audiant, Doctrinam ejus rejiciant, nec legitimos Paſtores agnoſcant.

Dixi, *peccatores niſi ſint Schiſmatici, aut excommunicati*: nam peccator per Schiſma Eccleſiam ſcindit, & tanquam ramus inutilis à trunco vitali ſeparatur: propter contumaciam verò & inobe-

dientiam pertinacem auctoritate Eccleſiaſticâ veluti membrum noxium à corpore exſcinditur juxta illud, Matth. 18. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, ſed de excommunicatione alibi.

Q. 5. *Quid eſt Schiſma, & quinam Schiſmatici habendi?*

Reſpondet S. Thomas 2.2.qu.39.art. 1. *Nomen Schiſmatis à ſciſſura animorum vocatum eſt . . . & ideo propriè Schiſmatici dicuntur, qui propriâ ſponte & intentione ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparant*, quatenus ſcilicet pertinaciter præcepta Eccleſiæ contemnunt, & cum rebellione judicium ejus ſubire recuſant.

Ergo, inquies, omnis peccator eſt Schiſmaticus, cùm præcepta Dei & Eccleſiæ contemnat.

Nego conſequent. quia non omne peccatum tollit communionem membrorum Eccleſiæ, & ordinem quem habent ad ejus caput. Namque Dux provinciæ v. g. dupliciter peccare poteſt in regem: vel quia privato ſuo commodo, potiùs quàm publicæ utilitati conſulit, ſalvo tamen dependentiæ ordine ad Regem: vel quia contra Regem rebellat, mandata ejus non accipit, provinciamque propriâ auctoritate adminiſtrat. Poſteriori duntaxat modo Dux ſchiſma facit, provinciamque à cæteris regni partibus dividit. Similiter Photius cum ſuis fautoribus Græcis graviter peccavit, dum ejecto S. Ignatio, Sedem Conſtantinopolitanam invaſit contra ſacros Canones; ſed nec ille, nec ejus fautores fuerunt Schiſmatici, donec communionem cum Apoſtolicâ Sede abjecerunt, & obedientiæ illi debitæ jugum excuſſerunt.

Ceterùm, quamvis ſchiſma ſit peccatum ſpecie diſtinctum ab hæreſi, cùm illud directè pugnet contra charitatem, hæc verò contra fidem, nihilominus ex S. Thomâ laudato articulo,

& ex ſancto Hieronymo in epiſtolam ad Gal. *nullum ſchiſma eſt, quod non ſibi aliquam hæreſim confingat, ut rectè ab Eccleſiâ receſſiſſe videatur.* Sic Græci; ut ſuam ſeparationem excuſarent, brevi in apertam hæreſim prolapſi ſunt, negantes ſummum Pontificem eſſe jure divino caput Eccleſiæ, & Spiritum-ſanctum à Filio procedere, quemadmodum docebat, & nunc docet Eccleſia Latina.

PARAGRAPHUS IV.

De Sanctitate Eccleſiæ.

Q. 1°. E*ccleſia eſt-ne ſancta?*

R. Una eſt Catholicorum fides & confeſſio, veram Eccleſiam eſſe ſanctam; ſic enim habetur in Symbolo Nicæno & Conſtantinopolitano, quod decantant inter Miſſarum ſolemnia.

Probatur ex Scripturâ, 1. Petri 2. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta.* Eph. 5. ſcribit Apoſtolus Chriſtum ſe tradidiſſe, *ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam... ſed ut ſit ſancta & immaculata.*

Q. 2. *Sanctitas quæ eſt Eccleſiæ propria, excludit-ne peccatores ab ejus corpore?*

Affirmarunt Donatiſtæ contendentes ſana Eccleſiæ membra infici communione peccatorum, ac præſertim eorum quos accuſabant metu mortis tradidiſſe ſacros libros comburendos, ſæviente in Chriſtianos Diocletiano.

Refellitur hic error. 1°. ex Scripturâ, ubi Eccleſia comparatur convivio, in quo reperitur homo non habens veſtem nuptialem, ac propterea ejicitur projiciendus in tenebras exteriores, Matth. 22. 2°. ſagenæ miſſæ in mare, quæ congregat piſces bonos, & malos non niſi in fine ſeculi ſeparandos, Matth. 13. 3°. decem Virgi-

nibus, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes, Matth. 25. 4°. areæ, in quâ permixtæ ſunt paleæ cum tritico, Matth. 3. hinc poſteriorem locum occluſiſſe ora Donatiſtarum teſtatur S. Auguſtinus in breviculo collationis habitæ Catholicos inter & Donatiſtas, cui præſens adfuerat; cùm ſolerent eludere alios Scripturæ textus; nam per aream manifeſtè ſignificatur Eccleſia, in quâ fideles ex mundo congregantur, ſicut ſegetes ex agro.

Refellitur 2°. tum ex frequentibus Conciliis, in quibus Donatiſtæ damnati ſunt: tum ex ſanctis Patribus, præſertim Cypriano, quem Donatiſtæ in patronum aſſumebant: *impediri non debet*, inquit, *fides aut charitas noſtra, ut qui zizania eſſe in Eccleſiâ cernimus, ipſi de Eccleſiâ recedamus.* Optatus Milevitanus & S. Auguſtinus multum inſudarunt ad extinguendum Donatiſtarum ſchiſma, varioſque libros, præſertim S. Auguſtinus, in hanc rem ſcripſerunt.

Calviniani, ne in Donatiſtis damnati videantur, fatentur quidem peccatores & reprobos ſimul cum juſtis & prædeſtinatis contineri in Eccleſiâ; ſed duplicem diſtinguunt Eccleſiam, alteram viſibilem, quæ eſt peccatorum & reproborum; alteram inviſibilem, quæ eſt prædeſtinatorum. Docent autem adversùs primam portas inferni prævalere, ut quæ non ſit Corpus Chriſti, ſed diaboli: membra ejus eſſe hædos non oves Chriſti; zizania, paleas ex quibus certè non conficitur ille panis, de quo Apoſtolus 1. Cor. 10. *unus panis, unum corpus multi ſumus.* Denique ſententiam eſſe ejuſdem Apoſtoli Rom. 8. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Atqui manifeſtum eſt peccatores non habere Spiritum Chriſti, ſed à diabolo incitari: Ergo ad Chriſtum non pertinent tanquam ejus

membra: *ex nobis prodierunt*, inquit S. Joannes 1. epiſt. cap. 2. *ſed non erant ex nobis.*

At ſocietas Prædeſtinatorum, inquiunt Novatores, eſt vera Ecclesia, verum Chriſti Corpus, cujus ſpiritus diffunditur in ſingula ejus membra; illi quippe & nulli alteri competunt divinæ promiſſiones & eximiæ dotes, quæ in Scripturis leguntur: quòd portæ Inferi adversùs illam non prævaleant, Matth. c. 16. ait enim Chriſtus de Prædeſtinatis ſub ovium nomine, Joan. 10. *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea*; quòd ſit hortus concluſus, fons ſignatus, Cant. 5. quòd non adjiciet ultra, ut per eam tranſeat incircunciſus, Iſaïæ 52. quòd ſit ſancta & immaculata, ſine maculâ aut rugâ, Eph. c. 5. 1. Joan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit... & non poteſt peccare*, quatenus ſcilicet nulla peccata etiam graviſſima imputantur.

Refelluntur, 1°. quia illa diſtinctio, quàm Novatores fingunt duplicis Eccleſiæ, incognita & inaudita fuit omnibus Veteribus, qui conſtanter docent veram Chriſti Eccleſiam in terris militantem complecti bonos & malos, reprobos & prædeſtinatos. S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos errore Donatiſtarum implicatos, ſcribit arcam Noë fuiſſe typum Eccleſiæ; *ut in illâ*, inquit, *omnium animalium genera; ita & in hâc univerſarum gentium & morum homines ſunt: ut ibi pardus & hædi, lupus & agni; ita hîc juſti & peccatores.* Extra arcam Noë, quæ includebat animalia munda & immunda, omnes aquis diluvii ſuffocati ſunt; & extra Eccleſiam, quæ colligit bonos & malos, nulla poteſt eſſe ſalus. *Anathema*, inquit S. Auguſtinus epiſt. 107. & 48. nunc autem 247. & 93. *quiſquis annuntiaverit Eccleſiam præter communionem omnium gentium.*

Et tract. 6. in Joan. *Nos fatemur in Eccleſiâ Catholicâ bonos & malos eſſe, ſed tanquam grana & paleas.*

Vide S. Chryſoſtomum in Pſalm. 39. S. Gregorium hom. 11. & 38. in Evang. & S. Fulgentium lib. de fide ad Petrum cap. 43.

Refelluntur 2°. quia eorum doctrina nititur falſo & impio fundamento, ſcilicet quòd nullus reprobus & peccator habeat veram fidem, aut ullum motum & influxum accipiat à Spiritu ſancto: quòd fruſtra reprobis adminiſtretur baptiſmus, Eucharìſtia, verbum Dei, cùm Chriſtus nullatenus ſit pro eis mortuus, nec Deus velit illis ullam gratiam concedere: quòd Prædeſtinati nec fidem nec juſtitiam, quam habent in Chriſto, amittere poſſint: quòd nulla eis peccata ſive levia, ſive gravia imputentur; ſed ſemper oculis Dei ſancti & immaculati appareant juſtitia Chriſti induti. Cùm autem præjecta hujuſmodi fundamenta ſint falſa & impia, quemadmodum ex profeſſo demonſtramus tract. de Incarnat. à paginâ 214. uſque ad paginum 326. & Tractatu de Gratiâ à paginâ 449. ad paginam 454. doctrina de duplici Eccleſiâ, quam iiſdem fundamentis Novatores ſuperſtruunt, corruat neceſſe eſt. Quare ad propoſitam quæſtionem

Reſp. Vera & una Chriſti Eccleſia, quandiu in terris peregrinatur, colligit prædeſtinatos & reprobos, bonos & malos, ſive occultos, ſive manifeſtos.

Probatur iis Scripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimoniis, quibus oppoſitos tum Donatiſtarum, tum Calviniſtarum errores confutavimus.

Q. 3°. *Quomodo Eccleſia complectens plures malos quàm bonos, quemadmodum in areâ plures ſunt paleæ quàm grana, ſimpliciter & abſolutè dici poteſt ſancta?*

R. Sancta eſt, 1°. ob ſanctitatem capitis, nem-

pe Chriſti, qui Spiritum ſuum diffudit in omnia membra ſui Corporis, *ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque membri*, inquit Apoſtolus Eph. 4. aliis tribuens gratiam juſtificantem, aliis perſeverantiæ donum, omnibus fidem. Unde ſicut homo ſimpliciter & abſolutè dicitur rationalis; quia licèt ſecundùm omnes potentias non ratiocinetur, tamen ſpiritus, quo vivit, omnes potentias ejus rationabiliter movet & agit; ſic Eccleſia ſimpliciter & abſolutè eſt ſancta; quia Spiritus Chriſti capitis ſui, qui eam vivificat, ſingula ejus membra ſanctè incitat, donec illam exhibeat ſine maculâ & rugâ, ſcilicet cùm ad patriam cæleſtem triumphans pervenerit: nunc interim militat contra carnis concupiſcentias & mundi errores, hâc ſpe innixa, quòd Deus non patietur ipſam tentari ſupra id quod poteſt, 1. Cor. 10. quodque portæ Inferi adversùs eam non prævalebunt, nec membra ejus peccare poterunt, quandiu Spiritui ſancto, qui in eâ operatur, obtemperaverint. Cùm autem aliqui fideles voluntariè à gratiâ excidunt, & à doctrinâ Eccleſiæ recedunt, non magis portæ Inferi adversùs eam prævalent, quàm hoſtes adversùs urbem inexpugnabilem, cùm nonnullos cives præſidia ejus derelinquentes invadunt, & captivos efficiunt.

2°. Sancta eſt ob ſanctitatem finis, ſcilicet ob cultum divinum, quem amplificare unicè intendit. 3°. ob inſtituti ſanctitatem; omnia quippe ejus præcepta, conſilia, Sacramenta ſancta ſunt, & ad ſanctificandos fideles accommodata. 4°. ob viva ejus membra, maximè ſi prædeſtinata ſint; ſicut enim urbs ſimpliciter dicitur dives ob præcipuos cives qui in ea ſunt prædivites, quamvis non deſint in plebe pauperes: ita rectè dicitur Eccleſia ſancta, propter præcipua ejus membra ſancta.

Dices : ex ſancto Auguſtino,lib.contra Creſconium cap. 21. *Non poteſt habere Chriſtus membra damnata ;* Atqui peccatores reprobi ſunt membra damnata. Ergo.

Reſpondeo 1°. mirum ſi ſanctus Auguſtinus impegit in errorem, quem tam acriter inſectatus eſt, & propter quem evertendum tot libros ſcripſit.

Reſpondeo 2°. diſtinguendo majorem, non poteſt habere Chriſtus membra damnata, membra, inquam, ſimpliciter dicta, ſibi plenè unita, Concedo ; membra ſecundùm quid dicta, & ſibi unita ſaltem per fidem, Nego majorem: ſic qui Scholas frequentat, & quæ ſunt optimi diſcipuli negligit, poteſt dici diſcipulus, & non diſcipulus. Diſcipulus quidem, quia magiſtrum audit, & ejus doctrinam amplectitur : non diſcipulus verò, quia partes diſcipuli non implet. *Qui Sacramenta habent*, inquit S. Auguſtinus in Pſalm. 47. *& bonos mores non habent, & Dei dicuntur, & non Dei : & ejus dicuntur, & alieni : ejus propter ipſius Sacramentum : alieni propter proprium vitium.*

Inſtabis, idem non poteſt eſſe membrum Chriſti & membrum Diaboli, quæ enim conventio Chriſti ad Belial? inquit Apoſtolus 2. Cor. 6. Atqui peccatores ſunt membra Diaboli. Ergo.

Diſtinguo majorem ; idem non poteſt eſſe membrum Chriſti perfectum, Concedo : imperfectum, Nego maj. nam civis proditor eſt ſimul membrum ſui legitimi Principis, circa quem utcunque ordinem ſervat, & hoſtis, cujus conſiliis regitur.

Inſtat Molinæus : ergo propter plures impios Eccleſia potius dici debet corpus Diaboli, quàm propter pauciores juſtos Corpus Chriſti.

Nego conſequ. namque Eccleſia, ut ſic, eſt ſo-

cietas à Deo inſtituta, cujus caput inviſibile eſt Chriſtus; cujus Spiritu regitur ad ſanctificationem fidelium, qui ſunt membra ejus, ac proinde nullo modo dici poteſt corpus Diaboli, cùm nullatenus ab ipſo regatur. Eſto Diabolus dicatur caput ſocietatis impiorum, cùm eam regat, & impii ſub illo reſpectu ad ipſum pertineant, quamvis ſub alio reſpectu, nempe ratione fidei & Sacramentorum, Eccleſiæ adhæreant, quemadmodum diximus de Cive proditore, qui ſub duobus dominis militat.

Q. 4°. *Sanctitas eſt-ne vera Eccleſiæ nota?*

R. Certum eſt eſſe, tum ex Symbolo Nicæno, tum ex Sanctis Patribus, præſertimque ex ſancto Juſtino apologiâ 2. & ex Tertulliano apologetici cap. 39. qui ex ſanctitate Chriſtianorum infidelibus demonſtrant Religionem Chriſtianam eſſe veram & divinam; favetque illud Chriſti Domini Matth. 5. *videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.*

Q. 5°. *Quomodo Sanctitas eſt nota Eccleſiæ, cùm ſit quid internum, & probanda ſit per veritatem doctrinæ quam diximus non eſſe notam Eccleſiæ?*

R. Sanctitas ſpectari poteſt vel in ſe, vel in effectibus, & in obſervatione mandatorum: priori quidem modo ſpectata, eſt occulta, ſed poſteriori eſt ſenſibus obvia & vera Eccleſiæ nota. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, ait Chriſtus Matth. 7. Ipſe veritatem ſuæ Doctrinæ probavit ex operibus, & morum ſuorum integritate, *Quis ex vobis*, inquit, *arguet me de peccato?* Joan. 8. ſanctus Chryſoſtomus docet Apoſtolos, fidem meruiſſe non minùs candore morum quàm miraculorum ſplendore. Enim verò quis non facilè colligat eſſe ſapientiam & ſcientiam ſalutis penes illam ſocietatem, quæ docet diligere Deum uſque ad contemptum ſui, proximum verò tan-

quam ſeipſum, etiamſi ſit inimicus & crudelis perſecutor; quæ in precibus nihil aliud ambit quàm terrena deſpicere, & amare cæleſtia?

Dices: Sanctitas reperitur extra Eccleſiam, ut videre eſt in Philoſophis Stoïcis, in Montaniſtis, & Priſcillianiſtis: Ergo non eſt vera Eccleſiæ nota.

Reſpondeo 1°. negando antecedens; namque ſuperbia & aliæ ſordes, quas præ ſe ferebant, ſanctitatem deformem, & ingratam efficiebant.

Reſpondeo 2°. diſtinguendo conſequens: Sanctitas non eſt Eccleſiæ nota cum aliis conjuncta, Nego: ſeorſim ſumpta, ſubdiſtinguo; non eſt nota, quâ poſitivè probetur hanc ſocietatem eſſe veram Eccleſiam, Concedo: quâ negativè demonſtretur ſectam, cui non convenit ſanctitas, non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, Nego conſequentiam; namque ex impietate quâ Pſeudoreformatores docuerunt Deum eſſe auctorem peccati, proditionem Judæ non minùs eſſe opus Dei, quàm confeſſionem ſancti Petri, rectè infertur eorum ſectam non eſſe veram Eccleſiam.

PARAGRAPHUS V.

De notione nominis Catholici.

Q. 1°. QUid eſt eſſe Catholicum?

R. Secundùm vim nominis græci idem eſt, ac totum, & univerſitatem tenere.

Q. 2°. *Quot requiruntur ut Eccleſia dici poſſit Catholica?*

R. Duo ſcilicet unitas & multitudo partium, cælum v.g. eſt unum corpus latè diffuſum; quia innumeræ partes, ex quibus componitur, inter ſe conjunguntur: arena verò quæ in littore maris eſt innumerabilis, unum corpus non efficit;

quia ſingula grana à ſe invicem ſunt diviſa. *Da ergo unum*, inquit S. Auguſtinus ſerm. 103. *& populus eſt : tolle unum & turba eſt. Quid eſt enim turba, niſi multitudo turbata ? hanc verò fidelium ſic cohærentium unitatem charitas facit, quæ hoc ipſo læditur & corpus laceratur, quo membra pertinaciter incipiunt, vel diverſa credere, vel eadem credendo, ſeorſim ab illo toto ſeparata ſibi conventicula conſtituere.*

Ergo Schiſmaticorum & Hæreticorum ſectæ, quamvis Chriſtianas ſe dicant, non ſunt Catholicæ: vel enim collectivè ſumuntur, ut omnes Schiſmatici Orientales, & omnes Pſeudoreformati Occidentales: vel diſtributivè, ut Eccleſia Conſtantinopolitana, Anglicana, Calviniana. Si primum, non ſunt quid unum, non enim Epiſcopi qui plures ſunt in vaſtiſſimis Orientis regionibus, quam in Occidente, in unitatem quandam Eccleſiaſtici corporis coaleſcunt. Æthiopes communione diviſi ſunt ab Ægyptiis & Alexandrinis, hi ab Armenis, Armeni rurſus à Conſtantinopolitanis: ſimiliter Angli à Calvinianis; Calviniani ab Anabaptiſtis, & Zuinglianis, &c. ſi ſecundum, ſingulæ ſectæ ſeorſim ſpectatæ, non tenent univerſitatem, ſed ſunt modicæ partes à toto ſeparatæ, ac proinde Catholicæ dici nequeunt.

Q. 3°. *Vera Chriſti Eccleſia eſt-ne Catholica?*

R. Eſt Catholica reſpectu earum Eccleſiarum, quæ ſe Chriſtianas dicunt.

Probatur ex Scriptura, Pſal. 2. *dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ* : Pſal. 71. verſ. 8. *dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum*, & v. 11. *omnes gentes ſervient ei*. Iſaiæ 60. *Gens... & regnum quod non ſervierit tibi, peribit*, Marci 16. *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium*

omni creaturæ . . . qui . . non crediderit, condemnabitur. Ex quibus ſic argumentari licet: illa Eccleſia eſt verè Catholica & univerſalis, quæ ita ſe extendit ad omnes gentes, ut quiſquis extra eam remanſerit, ſalutem conſequi non poſſit: atqui talis eſt Eccleſia à Chriſto inſtituta, quo differt à ſynagogâ, quæ erat particularis Judæorum Religio, ad quam alienigenæ accedere quidem poterant, ſed minimè tenebantur.

Q. 4°. *Catholicum eſſe, eſt-ne nota Eccleſiæ verè Chriſtianæ?*

R. Conſtat eſſe notam ex conſenſione omnium SS. Patrum. Sanctus Pacianus Epiſtola ad Sempronianum, *Chriſtianus*, inquit, *nomen meum, Catholicus cognomen; hinc nominor, inde prodor.* Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus Cathec. 18. *Catholica vocatur, quia per univerſum eſt orbem diffuſa à finibus terræ uſque ad extrema.* Sanctus Auguſtinus collatione adverſus Donatiſtas, *nos Eccleſiam Catholicam retinere ipsâ noſtræ communionis teſtificatione demonſtramus*, Epiſt. 107. *anathema quiſquis annuntiaverit Eccleſiam præter communionem omnium gentium*: & lib. de utilitate credendi cap. 7. *Cùm plures ſint hæreſes, atque omnes Catholicos velint ſe videri, una eſt Eccleſia, ut omnes concedunt, ſi totum orbem conſideres, refertior multitudine; ut autem qui noverunt affirmant, etiam veritate ſincerior ceteris omnibus. Sed de veritate alia eſt quæſtio. Quod autem quærentibus ſatis eſt, una eſt Catholica, cui aliæ hæreſes diverſa nomina imponunt, cùm ipſæ ſingulæ propriis vocabulis, quod negare non audent, appellentur.* Hinc alibi advertit peregrino civitatem ingredienti (in qua plures ſunt Hæreticorum ſectæ) & interroganti, ubi ſit Eccleſia Catholicorum, Donatiſtam aut Novatianum, niſi velit fallere, non indicare ſuam Eccleſiam, ſed eam quæ verè Catholicorum eſt.

PARAGRAPHUS VI.

Expenditur quo ſenſu vera Chriſti Eccleſia ſit Apoſtolica.

Q. 1°. UT *Eccleſia ſit Apoſtolica, ſufficit-ne quod doceat quæ docuerunt Apoſtoli?*

Affirmant Novatores, atque eo titulo ſuam Eccleſiam Apoſtolicam jactitant quòd Scripturæ ſacræ unicè adhæreant, & ex eâ ſola omnia ſua dogmata depromant: contra hunc errorem

Reſpondeo, non ſufficit veritas Doctrinæ, ut Eccleſia verè ſit Apoſtolica.

Probatur 1°. ex Patribus.

Ex Tertulliano lib. de præſcript. c. 15. *Scripturas*, inquit, *obtendunt Hæretici & hâc ſuâ audaciâ ſtatim quoſdam movent, in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus non admittendi illos ad ullam ex Scripturis diſputationem*, & c. 37. *Si hæc ita ſe habent, ut nobis veritas adjudicetur: quicunque in regulâ incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo tradidit; conſtat ratio propoſiti noſtri definientis non eſſe admittendos Hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos ſine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere*; ubi contendit Tertullianus ſacram Scripturam eſſe patrimonium Eccleſiæ, cùm ab Apoſtolis ipſi ſit tradita, Hæreticos verò rem alienam detinere; ac proinde non audiendos, ſi quid ex Scripturâ ſibi vindicent, quemadmodum fur non auditur, cùm ex Chirographo, quod alteri ſurripuit, debitum in eo expreſſum exigit, ſed cogitur illud chirographum reddere, ad quem pertinere convincitur. Et hanc agendi rationem adversùs omnes

Hæreticos tenendam eſſe docet citato capite : *nunc quidem*, inquit, *generaliter actum eſt à nobis adversùs omnes hæreſes certis & juſtis præſcriptionibus repellendas à collatione Scripturarum ſacrarum*

Ex ſancto Paciano Epiſt. 3. ad Sempronianum : *age, inquies : certemus exemplis & ratione pugnemus. At ego huc uſque ſecurus ipsâ Eccleſiæ ſerie congregationis antiquæ pace contentus, nulla diſcordiæ ſtudia didici, nulla certaminum argumenta quærimus. Tu poſtquam à reliquo corpore ſegregatus es, & à matre diviſus, ut rationem facti tui redderes, totos librorum receſſus aſſiduus ſcrutator inquiris.*

Ex ſancto Chryſoſtomo, Hom. 11. in Epiſt. ad Eph. ubi ſic habet, *exiſtimatis ne, quæſo, ſufficere ſi dicatur quod ſint Orthodoxi : pereat autem & intereat Rectorum electio ? Et quid juvat, ſi ea non ſit exacta & accurata? ſicut enim pro fide, ita & pro hâc pugnandum eſt.*

Probatur 2°. ratione triplici. 1. Si ex doctrinâ colligeretur Eccleſiam verè eſſe Apoſtolicam, priùs veritas Doctrinæ cognoſcenda eſſet, quàm Eccleſia, quod falſum eſſe demonſtravimus paragrapho ſecundo 2. Chriſtus Dominus ea docuit, quæ ſcripſit Moyſes, nec propterea fuit diſcipulus Moyſis, ſed aliam cathedram conſtituit; quia non docuit auctoritate à Moyſe per ſeriem ſucceſſionis accepta : Ergo non cenſetur quis diſcipulus Apoſtolorum & in eorum cathedra docere, eò præcisè quòd eadem doceat ac Apoſtoli. 3. Schiſmatici Apoſtolorum Doctrinam retinent; nam ex dictis ſchiſma præcisè, ſi non habeat admixtam hæreſim, non pugnat contra fidem, ſed contra charitatem duntaxat : atqui Eccleſia Schiſmaticorum non eſt Apoſtolica fatentibus adverſariis : ergo non ſufficit veritas doctrinæ, ut Eccleſia ſit verè Apoſtolica.

Q. 2°. *Quid itaque requiritur, ut Eccleſia dicatur Apoſtolica ?*

R. Præter Doctrinam Apoſtolicam, quæ inſeparabilis eſt à vera Eccleſiâ, requiritur inſuper ut ſucceſſione non interruptâ ab Apoſtolis deſcendat, & mediante illâ ſucceſſione Paſtores ejus ab illis ordinati & miſſi fuerint.

Explicatur reſponſio quibuſdam exemplis, antequam probari poſſit. 1°. Niſi Deus in Noe ſemen reliquiſſet, genus humanum, quod nunc eſt; non eſſet idem propter identitatem naturæ, quod erat ante diluvium; quia non eſſet ex ſtirpe Adami. 2°. Ideo Scribæ & Phariſæi Sacerdotes, qui tempore Chriſti, & ante promulgatum Evangelium ſedebant ſuper cathedram Moyſis, erant verè Aaronici; quia per continuam generationum ſeriem ab Aarone deſcendebant; Chriſtum vero non fuiſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Aaron probat Apoſtolus, non ex ejus doctrinâ, ſed ex ejus ortu. 3°. Ens ſucceſſivum amittit ſuam unitatem per quamlibet partium diviſionem, motus v. g. qui in ſucceſſione conſiſtit, unus eſt quandiu fluentes ejus partes abſque diviſione ſibi invicem ſuccedunt; Sed ſi quies vel minima intercedat, ſi avis in medio volatu tantiſper ſubſiſtat, jam non eſt unus motus, ſed duplex: Atqui Eccleſia eſt velut ens ſucceſſivum, eo quòd Sacerdotes morte prohibentur permanere: Ergo nunc eſt eadem, quam Chriſtus fundavit in Apoſtolis, quamque fide divinâ credimus, ſi Paſtores ejus ſunt ordinati, & miſſi ab Apoſtolis per continuatam ſucceſſionem. Contra verò alia nunc exiſtit; nec Apoſtolica dicenda eſt propter identitatem doctrinæ, ſi Paſtores ejus extraornariè inſtituti ſunt, nec ab Apoſtolis continuatâ ſucceſſione originem ducunt. Hâc explicatione præmiſſâ.

Probatur noſtra reſponſio, 1°. ex conſenſione ſanctorum Patrum.

S. Irenæus lib. 4 cap. 43. ait : *Eis qui ſunt in Eccleſiâ, Presbyteris obedire oportet iis, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis.... reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, & quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes* (id eſt ſchiſmaticos) *& elatos.* Similia repetit c. 45. & lib. 3. cap. 3. poſt enumeratos Epiſcopos Sedis Romanæ à tempore Apoſtolorum uſque ad ſuam ætatem ſubdit, *hâc ordinatione & ſucceſſione ea, quæ ab Apoſtolis in Eccleſiâ traditio, & veritatis præconiſatio, pervenit uſque ad nos, & eſt pleniſſima hæc oſtenſio unam & eandem vivificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſiâ ab Apoſtolis uſque ſit conſervata & tradita in veritate.*

Tertullianus lib. de præſcript. paſſim. Sic autem cap. 32. habet : *Edant origines Eccleſiarum ſuarum : evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolicis perſeverarint, habuerint auctoritatem... ſicut Roma Clementem à Petro ordinatum edit.*

S. Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ ſcribit : *Hi ſunt, qui ſe ultrò apud temerarios convenas ſine dominicâ diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine ullâ ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt, quos deſignat Pſalmiſta ſedentes peſtilenti in cathedrâ.*

Optatus Milevitanus lib. 2. *veſtræ cathedræ*, inquit, *vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare.*

S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, quorum auctor Lucifer erat tantùm Diaconus, ait : *Cum homine pariter interiit & ſecta, qui poſt ſe nullum Clericum Diaconus potuit ordinare : Eccleſia autem non eſt quæ non habet Sacerdotem.*

S. Auguſtinus in operibus ſuis contra Donatiſtas totus ferè eſt in hoc argumento, lib. contra partem Donati ſic loquitur; *Numerate Sacerdotes vel ab ipſâ Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit, videte. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*: lib. de unitate Eccleſiæ cap. 17. *Niſi fortè*, inquit, *hoc reſtat hominum inſaniæ, ut dicant, non ex illis Eccleſiis, quæ fundatæ ſunt per Apoſtolorum labores, adimpleri prædicationem Evangelii in omnibus Gentibus, ſed illis pereuntibus, earum reparationem ex Africâ futuram per partem Donati. Puto quòd ipſi etiam videant cùm hoc audiunt: & tamen niſi hoc dicant, quod erubeſcunt, ſi dicant; non habent omninò quia dicant.* Illud tamen Lutherus impudenter de ſe ipſo affirmat, ut mox videbitur.

Tot veterum teſtimoniis refragari non poteſt Molinæus Calviniſtarum pſeudominiſter; ait enim lib. 1. de vocatione Paſtorum cap. 9. *Où il y a déja une Egliſe & une bonne vocation ordinaire, il eſt hors de doute que nul ne peut être reçû qu'avec les formes requiſes, & avec une miſſion ordinaire.*

Ergo Eccleſia Romana cum ceteris, quæ ei communicant, eſt verè Apoſtolica, cùm Paſtores ejus à Chriſto per ſanctum Petrum ſucceſſione non interruptâ, evidenter ordinati & miſſi fuerint.

Ergo Pſeudoreformatorum Eccleſia non eſt Apoſtolica, nec proinde Chriſtiana, ut quæ viſibiliter à Romanâ, & ab aliis Apoſtolicis ſit diviſa; nec conſequenter à Chriſto originem ducat per ſucceſſivam & continuatam Paſtorum ſeriem, ſed novo jure Paſtores ſibi præfecerit.

Novatores in omnem partem ſe vertunt, ut declinent vim hujus argumenti, quod illos Schiſmaticos viſibiliter & ſenſibiliter oſtendit, nec

nec inveniunt ubi firmum figant pedem.

Dicunt 1°. ſe ordinatos & miſſos Paſtores à Principibus & Magiſtratibus, quemadmodum aliquando in Eccleſiâ Romanâ electi ſunt Epiſcopi.

Contra 1°. hæc evaſio Adverſariorum manifeſtè pugnat contra articulum eorum fundamentalem, quo ſtatuunt nihil definiendum niſi ex Scripturâ; namque hujuſmodi Paſtorum ordinationem prorſus reprobat Scriptura, nedum illam præſcribat aut commendet. Chriſtus non ſeipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, *Filius meus es tu*, ait Apoſtolus Hebr. capite 5. Idem Apoſtolus Titum Cretæ reliquit, ut Preſbyteros per civitates conſtitueret, Tit. 1. Et Timotheum à ſe ordinatum Epheſum miſit, præſcribens ritum & formam conſecrandi Epiſcopos, adeo ut nullus in illis partibus potuerit eſſe Epiſcopus aut Preſbyter, niſi accepta à Tito & Timotheo manuum impoſitione. 2°. Hunc morem ordinandi Sacerdotes conſtanter tenuit univerſalis Eccleſia. Nequidem Diaconus poteſt Clericum ordinare ex S. Hieronymo mox laudato, multò minùs Laïcus. Epiſcopi quidem, & alii Eccleſiæ miniſtri aliquando à plebe poſtulati ſunt, ſive etiam electi, ſed nunquam ordinati & miſſi niſi à Paſtoribus, qui & ipſi mediante ſucceſſione ab Apoſtolis, ordinationem & miſſionem acceperant. 3°. Si Magiſtratus poteſtatem habent præficiendi Paſtores, corruunt omnia ſanctorum Patrum argumenta ſuprà laudata contra Marcionitas, Novatianos, Donatiſtas, Luciferianos, & alias quaſlibet Hereticorum ſectas, ut quæ Paſtores non accepiſſent, niſi ab iis qui in ſectâ auctoritate præpollerent.

Dicunt 2°. ſe miſſionem accepiſſe ab Eccleſiâ Romanâ.

Contra 1°. Falſum eſt Eccleſiam Romanam eos ordinaſſe & vocaſſe ad regimen animarum. Lutherus non erat Epiſcopus, nec ullius Eccleſiæ paſtor. Calvinus jactitat manus ſuas non fuiſſe pollutas fœtido oleo, quo manus Sacerdotum inaugurari ſolent.

Contra 2°. Si Eccleſia Romana eos vocavit & miſit, ergo erat Apoſtolica & vera Chriſti Eccleſia: quæ enim ab Apoſtolis diviſa eſt, & à Chriſto defecit, omni auctoritate & juriſdictione caret. Ergo rei ſunt manifeſti ſchiſmatis, utpote qui à verâ Chriſti Eccleſiâ ſe ſeparaverint.

At, inquiunt, non nos ſeparavimus, ſed immeritò & violenter ejecti ſumus. Sed imponunt ſimplicibus, qui ignorant Hiſtoriam Schiſmatis de quo eſt ſermo. Nonne ipſi cœperunt ſeorſim conventus agere? Annon Eccleſia omnibus modis ſtuduit eos revocare ad ſinum maternum, quem tandiu ipſis expandit, quandiu aliqua ſpes reditûs eorum affulſit? Quid reſponderunt piis illis ſollicitationibus, niſi quod legitur in 28. articulo confeſſionis ſuæ, ſcilicet omnem ſuperſtitionem vigere in cœtibus, quibus Papa præeſt, & eum qui iis ſeſe admiſcet, ſeparatum eſſe à Corpore Chriſti?

Contra 3°. Eccleſia, quæ totaliter à Chriſto defecit, non poteſt ordinare nec mittere Paſtores: atqui ex adverſariis talis erat Eccleſia Romana tempore ſciſſionis; ſic enim Calvinus ſcribit, lib. 1. Inſtitut. cap. 1. *Doctrina citra quam Chriſtianiſmus non conſtat, tota ſepulta & exploſa eſt.* Et in articulo tertio confeſſionis Calvinianæ habetur: *L'état de l'Egliſe a été tellement interrompu, qu'il a fallu que Dieu ait ſuſcité des gens d'une façon extraordinaire pour redreſſer l'Egliſe de nouveau.* Lutherus quoque tanquam Apoſtolus immediatè à Deo miſſus de ſeipſo ait: *opus miniſterii ejus, ad quod vocatus ſum*

à Deo, non accepi ab hominibus, neque per hominem; ſed per donum Dei, & revelationem Jeſu Chriſti. Hinc

Dicunt 3°. ſuam miſſionem eſſe partim ordinariam, partim extraordinariam. Nempe, inquiunt, alia eſt vocatio, ſeu miſſio fundamentalis, qualis erat vocatio Aaronis & Apoſtolorum, quæ fuit fundamentum miſſionis ordinariæ Sacerdotum ſibi ſuccedentium, illa in veteri lege, hæc in novâ: alia collateralis, qualis fuit miſſio Prophetarum. Prima quidem iterari non poteſt, quin mutetur ſtatus Legis ſeu Religionis. *Tranſlato enim Sacerdotio,* inquit Apoſtolus Heb. 7. *neceſſe eſt ut & Legis tranſlatio fiat.* Secunda poteſt ſæpius iterari, manente eodem ſtatu Religionis, ut videre eſt tum in Prophetis, quos identidem Deus miſit ad corrigendos pravos mores & tollendos abuſus: tum in Apoſtolicis viris, ut Euſebio Vercellenſi, qui turbulentiſſimo Arianorum tempore per alienas Diœceſes diſcurrebant, & Epiſcopos, ubi opus erat ordinabant. Porrò ad alia neceſſaria charitatis officia vocatio expectanda non eſt, ſicut ad extinguendum incendium, quod conſumit vicinam domum, non expectatur Magiſtratûs auctoritas: atque Lutherus & Calvinus extraordinariè à Deo ſuſcitati ſunt, ut collabenti Eccleſiæ ſuccurrerent, & ſomnolentos Paſtores, quemadmodum olim anſeres, Gallis in Capitolium irruentibus, ſopitos cuſtodes, clamoribus excitarent. Quare, inquiunt, non minùs inſulsè Papiſtæ à nobis inquirunt, quàm aliàs Sacerdotes & Phariſæi à Chriſto, *in quâ poteſtate hæc facitis.*

Contra 1°. Cùm in Eccleſiâ identidem ſurgant Pſeudoprophetæ ad ſeducendos homines, Deus ipſe Deuter. 18. v. 22. dedit ſigna, qnibus verus Propheta dignoſci poſſit. Unde S. Hieronymus in cap. 3. Iſaïæ, docet Prophetas miſſos ad præ-

dicenda quæ non niſi longo poſt tempore ventura eſſent, prophetaſſe nonnulla brevi tempore complenda, ut horum experimento auditores faciliùs adducerentur ad credenda remotiora. Atqui Lutherus & Calvinus nedum probarent ſe à Deo extraordinariè miſſos, caracteres, quibus S. Petrus epiſt. 2. cap. 2. & S. Judas in ſuâ epiſtolâ falſos Prophetas pingunt, utrique Novatori apprimè conveniunt. Hi quippe homines audaces, ſibi placentes, in conviviis ſuis luxuriantes, dominationem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant. *Lutherus*, inquit Calvinus epiſt. 57. *magnis vitiis laborat.* Apud Germanos Lutheranicè vivere, idem eſt ac voluptuosè, ſcripta ejus dæmoniis ſunt plena, ex Theologis Tygurinis, ipſemet ſcribit lib. de abrogandâ Miſſâ, ſed ex colloquio cum dæmone perſuaſum fuiſſe Miſſam abrogandam. Scripta Calvini non inſpirant, ſicut Sanctorum libri, illam ſapientiam, quæ deſurſum eſt, pudicam, modeſtam; ſed quæ ex zelo amaro proficiſcitur, terrenam, animalem, diabolicam, ut habetur Jac. 3. in iis quippe homo petulans, & inſolentiſſimæ ſuperbiæ ſupra omnes mortales ſeſe extollit; homines etiam ſpectatiſſimos, & in Dignitate conſtitutos, conviciis atrociſſimis continuò onerat, Majeſtatem Divinam blaſphemat, Deum faciens lib. 1. Inſtit. c. 18. & lib. 2. c. 4. auctorem nom minùs operis mali, quàm operis boni, æquè proditionis Judæ, ac confeſſionis S. Petri. Fruſtra dicunt Calviniſtæ ſe non eſſe diſcipulos Calvini, qui, ut homo errare potuit, ſed Chriſti Domini; namque adhærent ſectæ, quàm evidens eſt non eſſe à Deo, vel hoc ſolo titulo, quòd collecta ſit ab homine, quem Deus in hoc opus extraordinariè non miſit, utpote hominem ſuperbum, ſibi placentem, contumelioſum & blaſphemum.

Nec dicas Deum nonnunquam opus ſuum perficere per homines impios, gratiam Sacramenti conferre per Miniſtrum ſacrilegum. Id enim verum eſt duntaxat de concurſu generali, quo Deus ordine naturæ vel gratiæ jam conſtituto, tanquam primus motor concurrit ad exigentiam cauſarum ſecundarum ad actiones bonas & malas, dat incrementum v. g. ſementi furtivæ, per impoſitionem manuum Paſtoris impii imprimit characterem ſacerdotalem in ſubjecto indigno. Sed abſit, ut dicatur, Deum ut cauſam particularem extraordinariè, & ſupra ordinem à ſe conſtitutum eligere indignum verbi ſui miniſtrum; *Peccatori .... dixit ... quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum?* Pſal. 49.

Contra 2°. Non licet domum alienam invadere, & omnem ejus ſupellectilem ejicere ſub prætextu incendii, quod nec apparet, nec præſumi debet: atqui conflagratio, quam Novatores prætexunt, nec à quoquam cernitur, niſi ab ipſis prædonibus, nec præſumi poteſt in Eccleſiâ, Chriſto dicente, Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.*

Contra 3°. Si antiqui Prophetæ ordinem Leviticum à miniſterio altaris removiſſent, & contemptâ Sacerdotum Aaronicorum ſucceſſione, Sacerdotes ex aliâ Tribu & familiâ inauguraſſent, profectò ſtatum veteris Legis evertiſſent, & alium ſubſtituiſſent, *tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & Legis tranſlatio fiat.* Quo argumento Apoſtolus Hebr. 7. probat per novum Chriſti Sacerdotium evacuatam fuiſſe Legem veterem: atqui Novatores ordinem ſacerdotalem, qui ab Apoſtolis ſpirituali ſucceſſione & vocatione hactenus decurrerat, ſicut in veteri Lege ordo Aaronicus carnali generatione pro-

pagabatur, ſubvertere præſumpſerunt: manu armatâ, & inſtructo exercitu altaria ſuffoderunt, templa ſuccenderunt, quæ in eis erant ſacratiora proculcarunt, omnibus Sacerdotibus bellum indixerunt, quos potuêre, crudeliter enecarunt, & qui effugëre manus eorum, in illos anathema pronuntiarunt: *Nous condamnons*, inquiunt in articulo 28. Confeſſionis ſuæ, *toutes les aſſemblées de la Papauté;* ac tandem ſpretâ, & quantum in ipſis fuit, abolitâ Apoſtolicâ ſucceſſione, crearunt Paſtores novæ originis. Interim verò ſtomachantur, & modeſtè ferunt, quòd cum Tertulliano lib. de præſcript. capite 39. & S. Paciano Epiſt. contra Novat. ab ipſis tam inaudita & tam ſæva molientibus quæramus: *Qui eſtis? quando & unde veniſtis? quâ poteſtate, limites meos commoves? quid hîc ceteri* (hæretici) *ad voluntatem veſtram ſeminatis, paſcitis? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas ab ipſis auctoribus, quorum fuit res: Ego ſum heres Apoſtolorum, Novatus novis linguis locutus eſt? prophetavit? ſuſcitare mortuos potuit? horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret.* Sic Chriſtus ipſe miſſionem ſuam probavit, meritòque Sacerdotes Aaronici ab illo petiiſſent; quis dediſſet ei hanc poteſtatem, ſi ea opera non feciſſet, quæ ipſum à Deo exiiſſe manifeſtè declarabant. Joannes quidem Baptiſta nullum ſignum fecit; ſed præterquam quod erat de genere Sacerdotali, juſque habebat ſedendi in cathedrâ Moyſis; miracula, quæ in ejus nativitate divulgabantur per omnia montana Judeæ, & vitæ ejus ſanctitas teſtimonium perhibebant, quòd eſſet Propheta Domini. Sanctus Euſebius Epiſcopus Vercellenſis & alii, non ſine conſenſu ceterorum Epiſcoporum per alienas Diœceſes cucurrerunt ad reparandas ruinas ab

Arianis ſanctuario illatas, ordinandoſque legitimos Paſtores in Eccleſiis, quas furor perſecutionis invaſerat.

Nihil ergo Novatores juvant Prophetarum & aliorum Sanctorum exempla, tum quia illi ſive ordinariè, ſive extraordinariè fuerint miſſi, non caruerunt mediis, quibus ſuam miſſionem probarent: tum quia Sacerdotum ſucceſſionem non præſciderunt, Paſtores novi ordinis non præfecerunt; ſed in vitia duntaxat exarſit eorum zelus, peccantes increparunt, terruerunt verbo Dei. Pſeudoreformati verò nec oſtendunt ſuam vocationem, nec ſolvunt quæ contra objiciuntur, & quod caput eſt, Paſtorum ſucceſſionem ab Apoſtolis uſque ad ſuum ſchiſma decurrentem interruperunt, novam Sacerdotum originem propriâ auctoritate inſtituerunt, nec contenti clamoribus ſuis excitare cuſtodes Sanctuarii ad inſtar anſerum, quas in parabolam aſſumunt, ſed inſuper illos interfecerunt, & extraneos eorum loco præfecerunt.

At, inquiunt, clamavimus, ſed auditi non ſumus, ad arma cucurrimus quidem, ſed coacti, non ut bellum inferremus, ſed vim vi repelleremus Machabæorum exemplo.

Imò ſæpiùs fuerunt auditi, ſed Eccleſiæ judicio parere detrectantes ſchiſma facere & ſeorſum in Gallis conventicula conſtituere cœperunt, obſiſtente licèt Franciſco primo Rege Chriſtianiſſimo, unde regno ſuo metuens in rebelles tandem animadvertit. Quid hîc carpere poſſunt Adverſarii? an non ipſimet in ſimili causâ Michaëlem Servetum Socinianorum Præcurſorem, & in impietate ſuâ obſtinatum, Genevæ vivum combuſſerunt Calvino præſide? Fruſtra Machabæorum exemplum oſtendunt, ut qui non contra legitimos principes, ſed con-

tra tyrannos terram, quam Deus in poſſeſſionem ipſis dederat, devaſtantes, ſtrenuè decertaverint. Sed hactenus inauditum, Chriſtianos contra præceptum Apoſtoli, Rom. 13. *omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, arma ſumpſiſſe contra Imperatores à Deo ſibi præpoſitos, qui injuſtè in illos ſævierunt, & omni tormentorum genere crudeliter torſerunt, licèt ipſi fortitudine & numero impares non eſſent ad ſe defendendum, quemadmodum exponit Tertullianus in ſuo Apologetico. Cùm ergo ea ipſa, quæ Novatores in ſui defenſionem proferunt, illos apertæ rebellionis & manifeſti ſchiſmatis reos conſtituant, nullus poteſt eſſe dubitandi locus quin Eccleſia Romana ſit vera Chriſti Eccleſia, ut quæ viſibiles Eccleſiæ Chriſtianæ notas præ ſe ferat, ex quibus facilè eſt eruere ejus definitionem.

PARAGRAPHUS VII.

De notione Eccleſiæ.

Q. *Quomodo definitur Eccleſia?*

R. Definitur, cœtus fidelium baptizatorum tam corpori reliquo, quàm ſuo capiti viſibili in terris adhærentium.

Dicitur 1°. *cœtus:* illud enim ſonat nomen Eccleſiæ, quod ex dictis congregationem ſignificat.

Dicitur 2°. *fidelium*, quo ab Eccleſiâ excluduntur Infideles & omnes Hæretici, ut qui ſint membra à corpore abſciſſa; hæreſis enim tollit fidem & charitatem, quibus tanquam vinculis membra Eccleſiæ ſibi invicem cohærent. Ad hæreſim autem duo requiruntur, nempe error contra propoſitionem immediatè revelatam, & contumacia, quâ quis monitus pertinaciter reſiſtit.

Unde ſi quis ex inadvertentiâ aut ex ignorantiâ etiam culpabili erret, non eſt Hæreticus, donec ſufficienter monitus fiat contumax. Hinc. S. Auguſtinus, Epiſt. 43. aliàs 162. ſcribit, *errare quidem potero, ſed Hæreticus non ero.*

Dicitur 3°. *baptizatorum*, ſive illi ſint juſti aut prædeſtinati, peccatores aut reprobri ex dictis Paragrapho 4. quia ſicut per circuncifionem olim fiebat profeſſio Religionis Moſaïcæ; ita per baptiſmum nunc fit profeſſio Religionis Chriſtianæ. Hinc baptiſmus dicitur in decreto Eugenii quarti janua ad Eccleſiam.

Ergo Cathecumeni, quamvis fideles, actu non ſunt in Eccleſiâ, nec ſubjacent ejus judicio, ut, ſi delinquant, ab ea puniri poſſint.

Dices: extra Eccleſiam non eſt ſalus: atqui de ſalute Cathecumenorum Eccleſia non deſperat, teſte ſancto Ambroſio in oratione funebri pro Valentiniano Imperatore, qui obierat adhuc Catechumenus: Ergo Catechumeni non ſunt extra Eccleſiam.

Diſtinguo majorem, extra Eccleſiam non eſt ſalus iis qui nec actu nec voto ſunt in Eccleſiâ: Concedo: iis qui voto ſunt in Eccleſiâ; Nego majorem. Porro Cathecumeni voto ſunt in Eccleſiâ, & ut loquitur S. Gregorius Nanziazenus orat. in ſanctum baptiſma, ſtant in veſtibulo pietatis: vota illorum, juxta S. Auguſtinum, ſunt conceptionibus ſimilia; *non tantùm autem concipi*, inquit, *ſed & naſci neceſſe eſt.*

Dicitur 4°. *Tam corpori reliquo, quàm ſuo capiti viſibili in terris adhærentium;* quibus ab Eccleſiâ eliminantur, 1°. Schiſmatici qui ejus membris, ac præſertim capiti non cohærent; Eccleſia enim dicitur à ſancto Cypriano Epiſt. 96. *Plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens.* 2°. Excommunicati, utpote ab Eccleſiâ præciſi ob

contumaciam, juxta illud, Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

Hactenus de exiſtentiâ & eſſentiâ ſeu definitione Eccleſiæ, ſupereſt ut dicamus de ejus proprietatibus & dotibus.

PARAGRAPHUS VIII.

De viſibilitate Eccleſiæ.

Q. E*ccleſia eſt ne ſemper viſibilis?*

R. Conſtat ex dictis veram Chriſti Eccleſiam ſemper eſſe viſibilem; namque Eccleſia, quæ nunquam non habet notas viſibiles & ſenſibiles, ſanè eſt viſibilis: atqui talis eſt vera Chriſti Eccleſia: Ergo.

Confirmatur 1°. ex Scripturâ, in quâ hæc tria leguntur. Primum, fidem non concipi ſine prædicante, Rom. 10. v. 17. *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Secundum, fidelem debere exterius profiteri quod intus corde credit. Et v. 10. *corde... creditur ad juſtitiam: ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Tertium, ſemper futuram in Eccleſiâ verbi Dei prædicationem, Iſaïæ 59. *Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus,* &c. 63. *ſuper muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes, totâ die & nocte in perpetuum non tacebunt.* Atqui viſibilis eſt illa ſocietas, in quâ ſemper exiſtunt, & qui verbum Dei prædicent, & qui illud audiant, credant, & ore confiteantur: Ergo.

Confirmatur 2°. ex S. Auguſtino lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. *In nullum nomen Religionis ſeu verum ſeu falſum homines coadunari poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum conſortio colligentur*: lib. de fide & ſymbolo cap. 1. *Fides à no-*

bis officium exigit & cordis & linguæ : lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 19. *Eccleſia abſcondi non poteſt*, etiam in perſecutionibus quibuſque, ut idem ſanctus Doctor ſcribit Epiſt. 9(..aliàs 48. cap. 9. *Aliquando obſcuratur & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum, ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet... non fruſtra dictum eſt de ſemine Abrahæ*, ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena maris, *ut in ſtellis cœli pauciores, firmiores, clarioreſque intelligantur : in arenâ autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum atque carnalium, quæ aliquando tribulationum & tentationum fluctibus operitur. Tale tunc erat tempus, de quo ſcripſit Hilarius* (nempe quòd Ariani freti potentiâ Imperatoris Conſtantii fidem in maximum periculum adduxiſſent, & multos quâ vi, quâ arte & fraudibus ſeduxiſſent) *quanquam & illi qui firmiſſimi fuerunt, & verba Hæreticorum inſidioſa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione ceterorum; ſed tamen ipſi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant.* Latitabant autem ſicut olim Chriſtiani in perſecutione Diocletiani, Decii & aliorum Imperatorum Paganorum, in quâ non erant omnino inviſibiles, quemadmodum teſtantur tot glorioſæ nominis Chriſti confeſſiones. Annon Martyres innumeri, quos gladius Paganorum & Arianorum coronavit, Eccleſiam reddebant ubique conſpicuam ?

Dices ex ſancto Hieronymo : univerſus orbis tempore Arianorum, miratus ſe Arianum eſſe, ingemuit : Ergo.

Diſtinguo antecedens, eſſe Arianum ſpecie tenus & ſecundùm vulgarem famam, Concedo : in rei veritate, Nego antecedens Atqui ut intelligatur hæc ſolutio, opere pretium eſt referre quâ occaſione S. Hieronymus ita ſcripſerit.

Igitur in Arianâ perſecutione Epiſcopi nume-

ro quadringinti Ariminum convenêre, ubi primùm fidem Nicænam conſtanter aſſeruerunt, ut patet ex eorum Epiſtolâ Synodicâ ad Conſtantium, quæ habetur apud ſanctum Athanaſium. Sed cùm Arianus Imperator id indignè ferret, propterea que Epiſcopis veniam ad proprias Eccleſias redeundi denegaret, plures ex iis tædio & inediâ fatigati, novæ fidei formulæ tandem ſubſcripsêre, in quâ Filius, non quidem conſubſtantialis, ſed ſimilis Patri dicebatur, voce ſynonyma ſecundùm Arianos, ſed revera æquivocâ, nam imago Regis ſcitè picta, & filius ejus ſunt ipſi ſimiles; ſed diverſimode; illa in quibuſdam accidentibus, hic in naturâ. Ariani, qui conteſtati fuerant, formulam intelligendam de ſimilitudine in naturâ, acceptâ tot Epiſcoporum ſubſcriptione, alios Epiſcopos per Orientem facilè adduxerunt ad ſubſcribendum ſuæ formulæ. Quo peracto illam evulgarunt in ſenſu hæretico, falsòque prædicarunt Epiſcopos, tum Occidentis, tum Orientis rejicere vocem, *conſubſtantialis*, ac cum ipſis confiteri Filium eſſe Patri ſimilem ſimilitudine duntaxat accidentali, quomodò dicitur 1. Joan. 4. nos fore Deo ſimiles, cùm videbimus eum ſicuti eſt. Tunc miràtus eſt univerſus orbis ſe dici Arianum, cùm contra Arianos viriliter decertaret, ingemuitque quòd formulæ æquivocæ imprudenter ſubſcripſiſſet, eò particeps, ſi non flammæ, ſaltem fumi, ut loquitur S. Greg. Nazianzenus. Sed audiendus eſt S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos negantes recipi debere Epiſcopos ſic deceptos & pœnitentes; *cur*, inquit, *damnarent illos, qui Ariani non erant? Cur Eccleſiam ſcinderent in concordiâ fidei permanentem? Cur denique credentes bene, obſtinatione ſua facerent Arianos?... periclitabatur navicula Apoſtolorum, urgebant venti, fluctibus latera tun-*

debantur, nihil ſupererat ſpei, Dominus excitatur, imperat tempeſtati, beſtia (Imperator) *moritur, tranquillitas redit, manifeſtiùs dicam, Epiſcopi qui de propriis ſedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis ad Eccleſias redeunt.* Cur autem illi Epiſcopi è ſedibus ſuis ejecti fuerant, niſi quia fidem Catholicam apertè profitebantur? Ergo Eccleſia in illâ perſecutione ſæviſſimâ erat viſibilis in firmiſſimis ſuis membris, licèt in infirmis lateret tanquam luna, juxta S. Auguſtinum, quam Dominus prædixit aliquando non daturam lumen ſuum.

Ergo Pſeudoreformatorum ſectæ non ſunt vera Chriſti Eccleſia, cùm recentes ſint, nec in terris viſæ ſint ante Lutherum & Calvinum.

Reſpondent duas Eccleſias eſſe diſtinguendas, alteram, quæ ſub nomine Chriſtiano per communionem eorundem Sacramentorum, & per verbi Dei prædicationem, ſive ſinceram, ſive adulteram, colligit bonos & malos prædeſtinatos & reprobos tanquam triticum & paleas: alteram quæ conſtat ex ſolis prædeſtinatis per veram fidem coadunatis. Prior, inquiunt, aliquando viſibilis eſt, aliquando diſparet, v. g. in perſecutione, & deficere poteſt: poſterior eſt inviſibilis & perire nequit. Ad hanc pertinent Angeli beati prorſus inviſibiles: hanc indigitat Symbolum Apoſtolorum his verbis, *Credo.... Eccleſiam ſanctam Catholicam*, fides enim eſt de inviſibilibus, non de viſibilibus: adversùs eam duntaxat portæ inferi non prævalebunt; nam de priori dubitari non poteſt, quin identidem vincatur, cùm ab eâ videamus auferri integras provincias & regna: denique S. Auguſtinus paſſim docet ſolos prædeſtinatos eſſe Eccleſiam, cui datæ ſunt claves, & factæ ſunt promiſſiones.

Refelluntur 1°. quia hæc duplicis Eccleſiæ di-

ſtinctio fictiria eſt, nec in ullo Scripturæ aut Traditionis teſtimonio fundatur. Imò S. Auguſtinus in tertia collatione cum Donatiſtis circa medium expreſsè illam impugnat aliquot exemplis adductis. Chriſtùs v. g. ante paſſionem mortalis, & poſt Reſurrectionem non moriturus, eſt unus & idem Chriſtus: ſimiliter Eccleſia militans, quæ conſtat ex hominibus mortalibus, non ex Angelis, & Eccleſia triumphans, in quâ omnes ſunt immortales, non eſt duplex Eccleſia, ſed una & eadem. Item homo interior & inviſibilis, & homo exterior & viſibilis eſt unus homo diverſimodè ſpectatus: ſic una & eadem Eccleſia ſub uno reſpectu viſibilis eſt, & eatenus non creditur; ſub altero inviſibilis & fidei noſtræ objectum. Vident omnes fideles & infideles ſocietatem hominum baptizatorum ſub regimine ſummi Pontificis & aliorum Paſtorum, quemadmodum ambo latrones videbant Chriſtum in cruce pendentem: Quòd autem hæc ſocietas ſit à Deo inſtituta, regatur à Spiritu-ſancto, nulli extra eam ſperanda ſit ſalus, non cernitur, ſed à Catholicis creditur, ſicut latronum alter Chriſtum, quem videbat crucifixum, credidit Deum, quem non videbat.

Nec magis dicendæ ſunt portæ inferi prævalere adversùs Eccleſiam viſibilem, à quâ nonnunquam urbes & Provincias integras exſcindunt, quàm hoſtis adversùs civitatem, quam expugnare non poteſt, licèt aliquò ejus præſidio ſit potitus; præterquamquod jam monuimus ideo ſatanam adversùs nonnulla Eccleſiæ membra prævalere, quia ab ejus regimine ſeſe ſubtrahunt, alioquin expugnari non poſſent.

Verum quidem eſt claves & alia Eccleſiæ chariſmata potiſſimùm eſſe conceſſa in gratiam juſtorum, præſertim qui perſeveraturi ſunt; ſed

inde concludi non poteſt cum Donatiſtis contra ipſummet Auguſtinum, illa per peccatores & reprobos validè non adminiſtrari; nam & apud adverſarios baptiſmus à reprobis collatus ratus habetur.

Refelluntur 1°. quia fieri nequit, quin Eccleſia, quam ſupponunt conſtare ex ſolis prædeſtinatis, ſit ſemper viſibilis. Namque 1°. illi prædeſtinati nec fidem accipiunt niſi ex auditu & per miniſterium prædicantis, nec baptiſmo & aliis Sacramentis initiantur ſine Miniſtro: atqui illa communio audientis & docentis, baptizati & baptizantis eſt quid ſenſibile ac viſibile. 2°. Neceſſarium eſt ad ſalutem, ut prædeſtinati ſigno externo profiteantur quod credunt ex Apoſtolo jam laudato; nulla perſecutio etiam ſuaviſſima impedire poteſt illud fidei & Religionis officium, nec Nero, nec Decius, nec quivis alius crudelis perſecutor efficere potuerunt, quin Chriſtiani ſemper dederint egregia fidei ſuæ teſtimonia ſive ſcripto, quando latitabant, ſive verbo & ſanguinis effuſione, quando deprehenſi interrogabantur. 3°. Nunquam licet communicare cum infidelibus in ipſorum infidelitate & ſuperſtitionibus, juxta illud Apoſtoli 2. Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate... Propter quod exite de medio eorum & ſeparamini;* utqui illa ſeparatio prædeſtinatos reddit conſpicuos & viſibiles, per illam potiſſimùm Chriſtiani detegebantur à Paganis, & Catholici ab Arianis in ipſos ſævientibus, neque etiam nunc latere poſſunt in Anglia & Batavia: Ergo ſocietas, quam adverſarii fingunt, prædeſtinatorum, inviſibilis eſſe nequit.

Ergo ſectæ Pſeudoreformatorum ante Lutherum & Calvinum non præextiterunt, cùm ante

eos nullus viſus ſit, qui eorum doctrinam prædicaret qui ex auditu eam crederet, exteriùſque profiteretur, imò omnes Paſtores fidem Eccleſiæ Romanæ docerent, ceteri, Lutherus ipſe & Calvinus cum ipſis communicarent in iis actionibus, quas vocant ſuperſtitiones ſacrilegas & idololatricas; omnes quippe publicos Catholicorum conventus frequentabant, in quibus adoratur Euchariſtia, invocantur Sancti, pro defunctis orationes fiunt, Imagines & Reliquiæ Sanctorum in honore habentur, & cetera obſervantur, de quibus ſic pronuntiant in articulo 28. ſuæ confeſſionis: *Nous condamnons toutes les aſſemblées de la Papauté, & nous tenons que tous ceux qui ſe mêlent en tels actes, ſe ſeparent & ſe retranchent du corps de Jeſus Chriſt*: Ergo in eorum ſententiâ ante Lutherum & Calvinum, vel fortè ante Valdonem, à quo originem ſe trahere falsò dicunt, nulla erat prædeſtinatorum ſocietas; cùm Paſtores & privati in ejuſmodi cœtibus uſque ad mortem perſeveraverint. Supereſt ut expendamus num vera Chriſti Eccleſia, quoquo modo ab ipſis ſpectetur, perire poſſit.

PARAGRAPHUS IX.

De perpetuitate Eccleſiæ.

Q. E*ccleſia Chriſti poteſt-ne deficere?*

Novatores, velint, nolint, ex mox dictis fateri coguntur Eccleſiam etiam prædeſtinatorum, ut vocant, aliquando deficere; Calvinus lib. 1. Inſtitut. cap. 2. illud ipſum expreſſè docet his verbis, *Doctrina, citra quam Chriſtianiſſimus non conſtat, tota ſepulta & exploſa eſt.* Contra quos.

R. Eccleſia deficere non poteſt.

Probatur 1°. ex Scripturâ Iſaïæ cap. 59. *Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & uſque in ſempiternum;* Matth. 19. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Ubi Eccleſia à Chriſto fundata, & in Apoſtolis ſuperædificata, invincibilis prædicitur. Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* In quem locum S. Hieronymus ſic ſcribit: *qui uſque ad conſummationem ſeculi cum Diſcipulis ſe futurum eſſe promittit, & illos oſtendit ſemper eſſe victuros* (nempe in ſucceſſoribus) *& ſe nunquam à credentibus receſſurum.*

Probatur 2°. ex Patribus.

Tertullianus contra omnes Hæreticos, qui hactenus idem jactitarant quod noviſſimè Lutherus & Calvinus, ſe ideo ab Eccleſiâ recedere, quòd eſſent ſanioris doctrinæ & purioris vitæ, docet *illud eſſe dominicum & verum, quòd ſit priùs traditum; id verò extraneum & falſum, quòd ſit poſteriùs immiſtum* c. 31. lib. de præſc. & lib. 4. contra Marcionem cap. 4. *Ego meum Evangelium dico verum Marcion,* (Lutherus & Calvinus) *ſuum: quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio ei præſcribens auctoritatem?*

Sanctus Ambroſius lib. 4. Hexam. c. 4. ait: *Videtur Eccleſia ſicut deficere, ſed non deficit; obumbrari poteſt, deficere non poteſt.*

S. Chryſoſtomus in cap. 7. Iſaiæ, *Faciliùs eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam deleri.* Verba ſancti Hieronymi in cap. 28. Matthæi mox retulimus.

S. Auguſtinus in Pſalm. 101. *ſed ex.ſtunt, qui dicant* (Donatiſtæ,) *illa Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, periit: hoc dicant qui in illâ non ſunt, ô impudentem vocem! ... abominabilem & deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, nullâ veritate ſuffultam,*

nullâ ſapientiâ illuminatam, perniciosam! Et in Pſal. 60. *non vincetur Eccleſia, non eradicabitur, non cedet quibuſlibet tentationibus, donec veniat hujus ſeculi finis.*

Dices 1°. habetur Pſalm. 13. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Ergo aliquando defecit Eccleſia.

Diſtinguo antec. non eſt ex iis de quibus loquitur Pſalmus, nempe ex Atheis, qui dicunt in corde ſuo, *non eſt Deus*, qui non requirunt Deum, Concedo: non eſt in omnium hominum univerſitate, Nego anteced. nam David ipſe, ſancti Prophetæ, Gad, Nathan, Iſaïas, tota Synagoga Deum requirebant, & colebant juxta præſcriptos legis ritus.

Dices 2°. tota Synagoga defecit, judicans Chriſtum eſſe blaſphemum & reum mortis: Ergo.

Reſp. 1°. Synagoga non erat Eccleſia univerſalis, cùm extra ipſam poſſet eſſe ſalus; nec à Deo inſtituta, ut uſque ad conſummationem ſeculi permaneret: ſed debuit deſinere, præſente Chriſto, ſicut evaneſcit umbra & figura, fulgente Sole & veritate.

Reſp. 2°. Non defecit Synagoga, priuſquam Chriſtus manifeſtis ſignis probaret ſe eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum, & novi fœderis auctorem, ipſe enim ei teſtimonium perhibet, Matth. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi... quæcunque dixerint ... facite:* ipſa quippe cathedra non permittebat malis hominibus ſua loqui, ut advertit S. Auguſtinus. Tum itaque defecit ſaltem Jeroſolymis (quamvis multi ibidem non conſenſiſſent conſilio & judicio iniquo Sacerdotum) cùm Chriſtus opus, ad quod miſſus fuerat, conſummavit.

Dixi, *ſaltem Jeroſolymis;* nam Synagogis per orbem diſperſis Decretum Jeroſolymitanorum

non innotuit, nec ab iis acceptatum eſt, niſi cùm ejus injuſtitiam detegere potuerunt prædicatione & miraculis Apoſtolorum.

Dices 3°. Lucæ 18. Chriſtus ſic alloquitur Apoſtolos, *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ?* Ergo Eccleſia Chriſtiana poteſt aliquando deficere.

Reſp. 1°. retorquendo argumentum contra inviſibilem Prædeſtinatorum Eccleſiam, quæ eſt in terrâ, & quam Adverſarii docent non poſſe deficere, ſi enim nulla futura ſit fides in terrâ Chriſto adveniente, nulli quoque futuri ſunt Prædeſtinati.

Reſp. 2°. cum S. Auguſtino lib. de unitate Eccleſiæ, & cum S. Hieronymo Dialogo contra Luciferianos, diſtingnendo antec. *putas inveniet fidem* qualemcunque, Nego antecced. Fidem aliquam, ſcilicet perfectam, de quâ agitur in illò textu, ſubdiſtinguo, *putas inveniet*, quia rara erit & difficilis inventu, Concedo: quaſi nulla futura ſit, Nego antec. *Nos*, inquit S. Auguſt. citato loco, *intelligimus dictum vel propter ipſam fidei perfectionem, quæ ita difficilis eſt in hominibus, ut in ipſis quoque admirabilibus ſanctis, ſicut in ipſo Moyſe, inveniatur aliquid ubi trepidaverint, vel trepidare potuerint: propter illam iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum... propterea enim tanquam dubitans hoc Dominus dixit; neque enim ait, veniens filius hominis, non inveniet fidem in terrâ; ſed putas, inveniet fidem in terrâ?* Item S. Hieronymus laudato Dialogo: *Hæc eſt fides*, inquit, *quæ etiam apud eos, qui bene credunt, difficilè perfecta invenitur... v. g. ad orationem adſto, non orarem, ſi non crederem; ſed ſi verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, hærerem trunco Crucis, nec priùs amitterem, quàm miſericordiam impetrarem: nunc verò creberrimè in oratione meâ per porticus ambulo, &c.*

PARAGRAPHUS X.

De infallibilitate Eccleſiæ in proponendis rebus fidei & morum.

Q. *Eccleſia eſt ne infallibilis in iis proponendis & definiendis, quæ ad fidem & mores pertinent?*

Novatores huc revocant ſuam diſtinctionem articulorum fundamentalium, & non fundamentalium, docentque Eccleſiam poſſe errare circa poſteriores, *aut nullam relinquamus Eccleſiam*, inquit Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 1. *aut hallucinationem condenemus in iis rebus, quæ & inviolatæ Religionis ſunt, & extra ſalutis jacturam ignorari poſſunt:* Contra quos,

R. Eccleſia Catholica infallibilis eſt in iis omnibus proponendis & definiendis, quæ ad fidem & mores pertinent.

Probatur 1°. ex Scripturâ, cujus duos inſignes præ ceteris proferimus textus.

Primus habetur Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum* (Conſolatorem) *dabit vobis, ut maneat nobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Et v. 26. *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Ubi advertes 1°. hæc non dirigi ad Apoſtolos ut ad privatas perſonas duntaxat; ſed potiſſimum quatenus Eccleſiam repræſentabant: quia ut privatæ perſonæ non erant in æternum permanſuri, ut Spiritus-ſanctus in eis ſemper maneret, quemadmodum Chriſtus promittit. 2°. Spiritus-ſanctus docturus eſt omnia quæcumque hactenus Chriſtus eis dixerat, & dicturus erat poſt reſurrectionem; nam redivivus per quadraginta dies apparens eis, locutus eſt de regno Dei, Act. 1. verſ. 3. Quæ manifeſtè oſtendunt Eccleſiæ pro-

miſſam eſſe aſſiſtentiam Spiritûs ſancti, ne ipſa erret in proponendis ac definiendis, quæ Chriſtus Apoſtolis revelavit, ſive illa ſint gravia, & quomodo Eccleſiæ credendum, ubi definit ea, ut loquuntur Novatores, fudamentalia, ſive leviora & minimè fundamentalia. An verò & quomodo Eccleſiæ credendum, ubi definit ea, quæ licèt à Chriſto non ſint revelata, utilia tamen vel etiam neceſſaria ſunt ad regendos fideles, & diſciplinam ſervandam, expendimus tractatu de Gratiâ, cap. 3. pag. 360. & ſequentibus. 3°. Spiritus Sanctus Eccleſiæ ſuggeret omnia quæcumque Chriſtus revelabit, ne ſcilicet lapſu temporum aliqua è memoria excidant. Unde Eccleſia poſterioribus ſeculis eâdem infallibilitate gaudet, quâ prioribus. *Chriſti Eccleſia*, inquit Vincentius Lyrinenſis commonit. c. 33. *ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil unquam permutat, nihil minuit, nihil addit.*

Secundus textus petitur ex 1. ad Tim. c. 3. ubi ſic ſcribit Apoſtolus: *Hæc tibi ſcribo.... ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

Hic locus Novatores non parum cruciat, ideoque illius ſenſum totis viribus detorquere conantur. Calvinus vult Eccleſiam ideo dici columnam & firmamentum veritatis; quia conſervat ſacram Scripturam, quæ errare non poteſt. Sed abſurda prorſus interpretatio; nam pari jure Synagoga, quæ hodie ſollicitè conſervat Scripturam veteris Teſtamenti, & omnis Bibliopola, qui licèt hæreticus, venales coacervat omnes Scripturæ libros, dicentur columna & firmamentum veritatis. Quare Molinæus fatetur aliquid amplius hîc Eccleſiæ tribui, conceditque deſignari ejus officium, ſcilicet quid debeat, non verò quid ſemper faciat; cùm aliquando ſuo deſit officio, & veritatem concul-

cari ſinat. Sed illud officium eſt cujuſvis privati etiam perditiſſimi; omnes quippe tenentur pro veritate decertare, peccantque ſi vel eam deſeruerint, vel ſi cùm poſſint, ab adulterantibus non vindicaverint.

Eccleſia itaque vocatur ab Apoſtolo, *columna & firmamentum veritatis*, quia Chriſtus, qui per Spiritum ſuum Eccleſiam, veluti Corpus ſuum, regit, in eâ tanquam in baſi veritatem ita ſtabilivit, firmavitque, ut corruere non poſſit.

Dices: perabſurdum eſt dicere Eccleſiam eſſe fulcrum & ſtabilimentum veritatis, cùm ipſa veritas ſit robur & fortitudo Eccleſiæ: Ergo.

Diſtinguo anteced. veritatis ſpectatæ quoad ſe, Concedo; veritatis ſpectatæ quoad nos, Nego anteced. Itaque ſicut verba Chriſti adhuc mortalis, quamvis ſecundùm ſe ſpectata merentur omnimodam fidem & obedientiam, in mentibus tamen audientium auctoritatem & firmitatem non habebant, niſi per ejus miracula & teſtimonium Joannis-Baptiſtæ; ita & nunc nonniſi per Eccleſiam. Eatenus ergo dicitur columna & firmamentum veritatis; quatenus eam infallibiliter proponit, firmiterque ſtabilit in cordibus Fidelium.

Probatur 2°. ex Patribus.

Tertullianus lib. de præſcript. cap. 28. ſic inſectatur Hæreticos objicientes Eccleſias defeciſſe à doctrinâ Apoſtolorum, *Age, nunc: omnes erraverint.... nullam reſpexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret: neglexerit Officium Dei villicus, Chriſti vicarius, ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipſe per Apoſtolos prædicabat. Ecquid veriſimile eſt, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? Variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos erraſſe qui tradiderunt.*

Sanctus Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium cap. 33. *Scripturarum*, inquit, *à nobis tenetur veritas, cùm id facimus quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam iſta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit alicujus auctoritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.* Et lib. de hæreſibus, *Cur contra iſta cenſeat Eccleſia Catholica ſuperfluè quæritur, cùm propter hoc ſcire ſufficiat eam contra iſta ſentire?*

Sanctus Fulgentius epiſt. ad Probum cap. 5. ſic ſcribit: *Eccleſia virgo in fide & charitate perſiſtens, & ſapientiam poſſidet & virtutem; ideo nec ſeductione decipitur, nec violentiâ vincitur, quæ internæ virginitatis integritate fulcitur.*

Confirmatur ex iis, quæ diximus de Traditionibus, & de perpetuitate Eccleſiæ; hæc enim planè demonſtrant infallibilitatem Eccleſiæ; alioquin nec firmiter tenendæ eſſent ejus Traditiones, nec perpetua ſive indeficiens dici poſſet.

Dices: S. Auguſtinus lib. 2. de Bapt. cap. 3. ſcribit *ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagibus cedere ipſaque plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* Ergo Eccleſia in ſententia S. Auguſtini errare poteſt.

Nego conſeq. abſurdum quippe eſt, & ab omnium ſenſu alienum obſcuritate vel unius loci, ubi ſcriptor mentem ſuam ſatis non explicat, refellere cetera quæ in toto ſuo opere clarè & copiosè proſequitur. Atqui S. Auguſtinus in ſeptem libris de Baptiſmo, & in omnibus aliis, quos contra Donatiſtas ſcripſit, veritatem Baptiſmi ab Hæreticis collati, non aſtruit contra

illos Hæreticos, niſi ex auctoritate & definitione Eccleſiæ, *nec nos ipſi*, inquit immediatè poſt verba in objectione laudata, *tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firmati, cui & ipſe* (Cyprianus) *cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur.* Incertum eſt autem, & in Scholis valde controvertitur, quodnam ſit illud plenarium Concilium, in quo ſanctus Doctor ſcribit quæſtionem à Donatiſtis motam, fuiſſe terminatam, an Nicænam primum, quod fuit œcumenicum & univerſale: an Arelatenſe I. ad quod cùm Epiſcopi ferè ex univerſo orbe conveniſſent, dicitur plenarium, quamvis non fuerit univerſale, nec Eccleſiam Catholicam repræſentaverit. Ergo S. Auguſtinus in objectione loquitur, vel de Concilio plenario, quale fuit Arelatenſe primum, cui non tribuitur omnimoda infallibilitas; vel ſi de univerſali Eccleſiam Catholicam repræſentante, intelligendus eſt de quæſtionibus, quæ ad mores & diſciplinam pertinent; in quibus fieri poteſt mutatio, cùm ſcilicet, mutato rerum & temporum ſtatu, abrogare neceſſe eſt, quæ prius prudenter & utiliter ſancita fuerant.

Inſtabis: Concilium Epheſinum ſecundum fuit œcumenicum, ſicut & Chalcedonenſe & Conſtantienſe: Atqui illa Concilia errarunt in iis, quæ ſpectant fidei dogmata; namque Concilium Epheſinum ſecundum emendatum eſt à Chalcedonenſi; Chalcedonenſe verò à Conſtantinopolitano ſecundo, quod fuit generale quintum, & Conſtantienſe à Concilio Tridentino in iis quæ pertinent ad fidem: Ergo.

Reſp. 1°. diſtinguendo primam partem majoris, Concilium Epheſinum fuit œcumenicum quoad convocationem, Concedo: nam ad illud vocati

vocati ſunt Epiſcopi ex univerſo orbe, convenerunt que Legati ſummi Pontificis quoad exitum, Nego majorem. In illo quippe Concilio omnia per vim acta ſunt; Legati Summi Pontificis reclamantes non ſunt auditi, ex ſancto Leone epiſtolâ ad Theodoſium Imperatorem, ſanctus Flavianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſtrenuè pro veritate decertans contra Eutychetem, pugnis & calcibus interfectus eſt. Unde merito Latrocinium Epheſinum vocatum eſt illud Concilium, & damnata in Chalcedonenſi ejus definitio, quâ ſtatuebatur una in Christo natura. Quare.

Reſp. 2°. ad minorem, verum quidem eſſe latrocinium Epheſinum fuiſſe reprobatum à Concilio Chalcedonenſi, falſum verò Chalcedonenſe emendatum à Concilio generali quinto, & Conſtantienſe à Tridentino.

Enimverò in Concilio generali quinto confirmata eſt definitio Concilii Chalcedonenſis, & ventilatæ ſunt tres quæſtiones facti, quas Chalcedonenſe non attigerat. 1ª. Utrùm Theodorus Epiſcopus Mopſueſtenus, cujus Neſtorius quondam fuerat auditor, damnandus eſſet ut Hæreticus, & ejus ſcripta proſcribenda. 2ª. Utrùm Anathematiſmi à Theodoreto contra ſanctum Cyrillum, & pro Neſtorio exarati cenſuram Eccleſiæ mererentur. 3ª. An ſimile judicium eſſet ferendum de Epiſtola, quam Ibas contra eumdem S. Cyrillum ſcripſerat. Hæc ſunt tria capitula apud Scriptores Eccleſiaſticos & in ſcholis famoſiſſima, propterque idem coactum eſt Conſtantinopoli Concilium generale quintum; quia Eutychiani in invidiam trahebant Concilium Chalcedonenſe, in quo ſederant Theodoretus & Ibas Neſtorii fautores. Sed immeritò; namque à Concilio priùs non admiſſi

ſunt, quàm anathema palàm dixiſſent Neſtorianæ hæreſi, & ipſi Neſtorio. Nihilominus ad ſedendas turbas, & conciliandam pacem, Eccleſia Conſtantinopoli congregata tria illa capitula examini ſuo ſubjecit, damnavitque perſonam ſimul & ſcripta Theodori Mopſueſteni, anathematiſmos Theodoreti, & epiſtolam Ibæ, ſed adhærens judicio Concilii Chalcedonenſis æquiſſimo, eorum perſonas abſolvit.

Quod ſpectat Concilium Conſtantienſe, Novatores contra illud objiciunt, quòd definierit fidem datam hæreticis non eſſe ſervandam, conqueruntur que ex hujuſmodi Decreto Joannem Hus, & Hieronymum Pragenſem, qui cum ſalvo-conductu ad Concilium acceſſerant, Conſtantiæ flammis traditos.

Sed ad propulſandam calumniam ſatis eſt Concilii Decretum proferre, quod ſic ſe habet ſeſſ. 17. *Præſens ſancta Synodus ex quovis ſalvo-conducto per Imperatorem, Reges & alios ſeculi Principes Hæretici, quocunque vinculo ſe aſtrinxerint, conceſſo, nullum fidei Catholicæ, vel juriſdictioni Eccleſiaſticæ præjudicium generari, vel impedimentum præſtari poſſe, ſeu debere declarat.* Ibi Patres decernunt duntaxat poteſtatem Eccleſiaſticam non ligari ſalvo-conducto à poteſtate ſeculari Hæreticis conceſſo, ſi ipſa ſimilem conductum non dederit, revera autem non dedit Joanni Hus, ut ipſe non ſemel teſtatur epiſtola 5, 6 & 49. *Veni*, inquit, *ſine ſalvo conductu Papæ.* Quis illud Decretum inficiari poteſt, & Concilium falſitatis arguere?

At, inquies, quomodo ſecularis poteſtas, quæ ſalvum-conductum Joannis Hus dederat, ut liberè ad Concilium iret & rediret, illum ſalvâ fide datâ, flammis tradere potuit?

Reſpondeo 1°. jam verſamur in quæſtione facti, in quo ſi quid peccatum ſit, luere non de-

bet Concilii definitio veriſſima & æquiſſima.

Reſpondeo 2°. Neque ſecularis poteſtas quidquam in hoc facto peccavit; quia ſalvus-conductus Huſſo datus non eſt, ut à juſtitia legumque ſeveritate immunis eſſet, ſi præſcriptas ſalvi-conductûs leges violaret, ſi pactis non ſtaret, ſi nova crimina committeret, & pacem turbaret: atqui Joannes Hus ſalvi conductûs leges violavit, cùm promiſiſſet ſe ex animo emendaturum, ſi quid in ſe erroris eſſe probaretur, nihilominus in errore pertinax fuit, Conſtantiæ in contemptum poteſtatis Eccleſiaſticæ ſæpius Miſſas celebravit, licèt ſacris interdictus ob erroris pertinaciam, fugam arripuit contra jus omne, contra Imperatoris juſſionem, ac proinde in fugâ deprehenſus, ſalvo-conductu gaudere non debuit.

Hieronymo quidem Pragenſi ſalvus-conductus à Concilio eſt conceſſus, ſed expreſsâ hâc conditione, *ſalvâ juſtitiâ*: atqui Concilium fidem ſic datam religioſiſſimè ſervavit. Hieronymus quippe ſalvus & incolumis Conſtantiam pervenit, ibi à Concilio benignè eſt exceptus & auditus, nec quidquam moleſtiæ paſſus ob præteritos exceſſus. Verùm cùm latæ ſententiæ contra Joannem Hus, quem ſecutus fuerat, adhæſiſſet, erroreſque damnaſſet. ſeſſ. 19. ad vomitum rediit, Joannem Hus ſanctiſſimum Martyrem in contemptum Concilii proclamavit, ac propterea ſeſſ. 21. tanquam relapſus damnatus eſt, poteſtati ſeculari traditus, & ipsâ die combuſtus. Quid in illo judicio contra fidem ſalvi-conductus?

Fateor Concilium Tridentinum Lutheranis & Calviniſtis ſalvum-conductum obtuliſſe abſque illâ reſtrictione, ſed an propterea Concilium Conſtantienſe reprobavit aut emendavit.? Qui

ampliorem gratiam concedit, non eo ipſo corrigit illum, qui juſtâ de causâ parcior fuit.

PARAGRAPHUS XI.

De Judice Controverſiarum.

Q. 1. *Est-ne neceſſarius aliquis Judex Controverſiarum in Religione Chriſtianâ?*

R. In confeſſo eſt apud omnes tum Catholicos, tum Heterodoxos, eſſe neceſſarium hujuſmodi Judicem; quia ſi ſocietas civilis ſtare nequit ſine aliquo Judice, qui naſcentes lites terminet, & diſſidia componat, multò minùs Religio Chriſtiana. Cùm enim agat de rebus obſcuris & inevidentibus, quæque captum humanum ſuperant, unuſquiſque cuncta pro libidine faciliùs interpretaretur, niſi eſſet aliquis Judex, cujus judicio omnes deferre deberent.

Dices: in dubiis naſcentibus recurrendum eſt ad legem tanquam ad certiſſimam regulam, quam omnes ſequi tenentur, juxta illud Iſaïæ 8. *Ad legem magis, & ad teſtimonium.* Ergo in Religione Chriſtianâ Judex non eſt neceſſarius.

Nego conſeq. Lex quidem eſt regula juxta quam omnes actiones debent dirigi; ſed cùm privati illam variè interpretari ſoleant, neceſſaria eſt Judicis auctoritas, quæ verum illius ſenſum declaret.

Inſtabis: Parentes morituri, ad impediendas diſcordias & lites, quæ in diviſione hæreditatis inter filios oriri poſſent, teſtamenta condere ſatagunt: atqui Chriſtus abiens in cœlum, Scripturam ſacram nobis reliquit veluti ſuum teſtamentum: Ergo ſcriptura ſufficit ad ſopiendas omnes Religionis controverſias. Hinc Optatus Milevitanus lib. 5. Donatiſtas diſſidentes ad

Scripturam provocat his verbis : *quærendi ſunt Judices ; ſi Chriſtiani, de utrâque parte dari non poſſunt ; quia ſtudiis & affectibus veritas impeditur : de foris quærendus eſt Judex : ſi Paganus, non poteſt noſſe Chriſtiana ſecreta : ſi Judæus, inimicus eſt Chriſtiani. Ergo in terris de hâc re nullum reperiri poterit judicium, de cœlo quærendus eſt Judex ; ſed quid pulſamus ad cœlum, cùm habeamus hîc in Evangelio teſtamentum ?*

Diſtinguo majorem : ad ſopiendas lites & diſcordias, ita tamen ut eas non ſopiant ſine Judicis auctoritate & oraculo, immò plerumque ſint ſemina diſcordiarum, Concedo : ita ut omnes lites & diſcordias ſemper ſopiant, Nego majorem. Scriptura itaque ſacra valet ad terminandas pleraſque fidei controverſias, meritòque ad illam provocat Optatus Milevitanus, præſertim Donatiſtas, qui nec Epiſcoporum, nec Imperatoris Conſtantini judicio parere volebant : ſed ſola non ſufficit, cùm ex ſancto Auguſtino natæ non ſint hæreſes, niſi cùm Scripturæ bonæ intelliguntur non benè.

Neceſſitas autem Interpretis & Judicis non tam oritur ex defectu Legis aut Scripturæ, quàm ex infirmitate, cupiditate, vel etiam ex malitiâ hominum, qui omnem Scripturam vel ad præconceptas opiniones, & privata ſtudia detorquent, vel, ſi clara ſit & aperta, argutiis & frivolis diſtinctiunculis obſcurare nituntur. Quare effrænam illam opinandi & cavillandi prurigiñem ab aliquâ auctoritate coërceri & comprimi neceſſe eſt.

Q. 2°. *Quot requiruntur in Judice controverſiarum ?*

R. Quatuor requiruntur : 1°. ut ſit viſibilis & vivens. Viſibilis quidem, ut ad eum recurri poſſit : vivens autem, ut diſceptantium rationes & momenta audiat & ponderet : 2°. Ut habeat ju-

riſdictionem & auctoritatem, quâ non ſolùm proponat quæ vera & juſta ſunt, quemadmodum proponit Juriſpertus & quivis Conſiliarius; ſed etiam ſubditos cogere poſſit ad obtemperandum, & punire rebelles. 3°. Ut ſit infallibilis in iis, quæ ex fide credenda decernit, alioquin fidei poſſet ſubeſſe falſum. 4°. Ut omnem Religionis controverſiam etiam in propriâ causâ terminare poſſit.

Dices: nemo poteſt eſſe Judex in propriâ causâ: Ergo.

Diſtingno antecedens: nemo, excepto ſupremo Judice, poteſt eſſe Judex in propriâ causâ, Concedo: nemo omninò & abſque ullâ exceptione, Nego antecedens: ſiquidem Rex, Reſpublica, & Eccleſia univerſalis judicant in propriâ causâ; tum quia alium non habent, qui jus ipſis dicere poſſit: tum maximè quia cauſa ſupremi Judicis non eſt privata, ſed communis, juxta illud vulgare effatum: *Bonum Principis eſt bonum gentis.* Ideo autem Judex inferior judicare non debet in propriâ causâ; quia periculum eſt, ne privatum ſtudium procurandæ rei familiaris, aut ſocietatis cujus eſt membrum, excæcet illum, impediatque ne videat, aut ſatis intelligat quæ ſunt oppoſitæ partis. At hujuſmodi corruptela non eſt timenda in Judice ſupremo, cùm jus illius ſit bonum commune, ac proinde ſingulorum; nam ſalus totius corporis, eſt ſalus membrorum, ex quibus corpus componitur.

Inſtabis: atqui Judex ſupremus non poteſt judicare in propriâ causâ; ait enim Chriſtus Joan. 5. v. 31. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum. Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me.*

Nego ſubſumptum, cujus confirmationem diſtinguo, teſtimonium meum non eſt verum reſ-

pectu Judæorum, quos Chriſtus alloquebatur, hoc eſt, non eſt credibile, nec firmum, Concedo: non eſt verum in ſe, Nego. Judæi itaque potuiſſent rejicere teſtimonium Chriſti ſeipſum commendantis, niſi operibus ſtupendis evidenter probaſſet ſe eſſe verum Meſſiam. Similiter Moyſes olim Judæorum ſupremus Judex, & Eccleſia Catholica Chriſtianorum, ut iis vera dicentibus fides haberetur, probaverunt omni genere miraculorum, ſe verba Dei loqui & proponere.

Q. 3°. *Quis eſt controverſiarum Judex?*

Pſeudo-reformati contendunt eſſe Scripturam vel ſpiritum privatum.

Refelluntur efficaciter ex dictis de Scripturâ ſacrâ, parag. 3. cap. 7. pag. 78. Namque Judicis controverſiarum eſt omnes fidei controverſias terminare, diſcrepantibus auditis ſilentium imponere, & ad obtemperandum illos cogere: atqui nec Scriptura, nec ſpiritus privatus id præſtare poſſunt.

Non quidem Scriptura; tum quia non continet omnia fidei dogmata, ut loco citato demonſtravimus: tum quia non ubique aperta fluit, adeo ut interprete opus ſit: tum quia omnes Hæretici ſenſum illum ad præconceptas ſuas erroneas opiniones detorquent, v. g. Lutherani hunc textum: *Hoc eſt Corpus meum*, juxta proprietatem verborum ita accipiunt, ut negent tranſubſtantiationem: Zuingliani contendunt figurate intelligendum, ita ut corpus ibi ſumatur pro mero ſigno & nudâ figurâ corporis Chriſti: Calviniani medium tenent inter illa duos extrema; docentque & contra Lutheranos corpus hîc non ſumendum pro reali corpore ex Maria Virgine nato; & contra Zuinglianos plus ſignificare, quàm nudam corporis figuram, ſed accipiendam pro ſubſtantiali virtute emanante à

corpore Chriſti, quod receptum eſt in cœlo. Quis Judex erit hujus inter eos controverſiæ? Non Scriptura; nam à centum quinquaginta annis ex Scripturâ inter ſe pugnant, & uſque ad conſummationem ſeculi pugnabunt, niſi ad alium Judicem recurrant. Idem videre eſt in Socinianis, Neſtorianis, Eutychianis, & omnibus Hæreticis, qui per ſcripturam controverſias ſuas perennes efficiunt, nedum ſopiant. Ergo Scriptura ſicut & Traditio eſt quidem certa regula, quam Judex conſulere & ſequi tenetur, quemadmodum lex in judiciis forenſibus; ſed cùm interprete indigeat, nullatenus poteſt eſſe Judex controverſiarum.

Neque etiam ſpiritus privatus; namque præterquamquod fictitium eſſe oſtendimus p. 84. Spiritum ſanctum immediatè docere quemlibet prædeſtinatum, quis ſit verus Scripturæ ſenſus, Spiritus ille privatus controverſias & ſchiſmata excitat & inflammat potiùs quàm extinguit, cùm in adverſariorum ſententiâ quilibet prædeſtinatus ita adhærere debeat interiori inſpirationi, ut alteri contrarium ſentienti credere non debeat, ac proinde Socinianus, Zuinglianus, Neſtorianus, & quivis alius Hæreticus, admiſſo Spiritu privato in ſuâ ſectâ firmus eſſe debet, & ſeparatus à quâcunque aliâ, nulluſque ſupereſſe poteſt modus terminandi ullam fidei controverſiam. Vide quæ in hanc rem diximus citatâ paginâ. Quare ad propoſitam quæſtionem.

R. Eccleſia univerſalis eſt ſupremus controverſiarum Judex.

Probatur 1°. ex refutatione aliarum ſententiarum.

Probatur 2°. ex Scripturâ ſacrâ Matth. 18. *Dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, Amen dico vobis, quæcunque*

alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. Nec dicant adverſarii ibi agi de malis moribus per Eccleſias corrigendis; nam præterquam quod Chriſtus univerſaliter loquitur, *quæcunque alligaveritis;* hæreſis eſt capitale vitium contra bonos mores, ac proinde contra hæreſim interpellanda eſt Eccleſia.

Simile quid Deus in veteri lege ſtatuerat. Namque primo Moyſen conſtituit ſupremum Judicem, ad quem graviores cauſæ erant referendæ, Exodi 18. & poſt mortem Moyſis, ſummum Sacerdotem cum ejus conſilio. Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram,* (quod ultimum pertinebat ad Religionem).... *venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore ... qui indicabunt tibi judicii veritatem .... qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio... & decreto Judicis, morietur homo ille.* Hinc Chriſtus Matth. 23. ait: *ſuper cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia...: quæcunque dixerint vobis ... facite.*

Probatur 3°. ex Traditione, & conſtanti uſu Eccleſiæ, Act. 15. controverſia de legalibus defertur ad Apoſtolos, qui in Concilio Jeroſolymitano ſic definierunt, & quidem cum auctoritate: *Viſum eſt..... Spiritui ſancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria.* Hanc judicii formam Eccleſiæ Præſules hactenus obſervarunt, quippe qui, ortis circa fidei dogmata diſſidiis, ſæpiſſimè in unum convenientes ſtatuerunt quid à Fidelibus credendum eſſet, errores proſcripſerunt, & pertinaces eorum fautores à corpore Chriſti abſciderunt auctoritate ſibi data Matth. 18. *quæcunque alligaveritis*, ut Fidelium ſimplicitas tantæ auctoritatis arce munita tuto quieſceret, iis jam foris circumlatrantibus

Cùm autem univerſalis Eccleſia ſpectari poſſit vel ut diſperſa, vel ut congregata, ſoleantque ejus Paſtores in unum convenire ad finiendas graviores controverſias, hactenus dictis pauca de Conciliis generalibus adjicienda videntur.

PARAGRAPHUS XII.

De Conciliis generalibus.

Q. 1°. QUid eſt Concilium generale?

R. Eſt illud, quod ex universâ Eccleſiâ congregatum eſt. Concilium autem eſt generale, ſive omnes Eccleſiæ Præſules eò concurrant, ſive ab omnibus Legati eò mittantur, ſive, abſentibus etiam quibuſdam Eccleſiæ partibus, à totâ poſtmodum Eccleſiâ Concilium ut generale recipiatur.

Q. 2°. *Quibus aliis nominibus vocatur Concilium generale?*

R. Dicitur 1°. Synodus œcumenica, ductâ ex Græcis appellatione; id eſt, conventus ex universâ terrâ habitabili. 2°. Concilium plenarium. Dicuntur tamen Concilia plenaria Orientis, Concilia plenaria Africæ, Concilia quædam particularia, ex universâ aliquâ regione congregata.

Q. 3°. *Quot numerari ſolent Concilia generalia poſt Apoſtolorum ætatem ad nos uſque celebrata?*

R. Novemdecim.

Primum Nicænum, ab Imperatore Conſtantino convocatum eſt anno Chriſti 325. Locus Concilii fuit Nicæa urbs Bithyniæ in Aſiâ minori Metropolis. Adfuerunt Epiſcopi 318. viri alii quidem toleratis pro Chriſto in perſecutione tormentis, alii patratis miraculis inſignes. Inter Præſides Concilii primum tenuit locum Oſius Epiſcopus Cordubenſis; poſt, Vitus &

Vincentius Preſbyteri, ſancti Sylveſtri Summi Pontificis Legati. Concilio interfuit Conſtantinus, & infra Epiſcopos nonniſi ipſis annuentibus ſedit. Tria potiſſimùm in hoc Concilio geſta ſunt. Primum quidem, & quod longè præcipuum erat, definitum eſt ſecundùm avitam fidem, Filium credendum eſſe Deum: confectum eſt Symbolum, in quo dicitur Patri conſubſtantialis. Arius Preſbyter Alexandrinus, qui hoc dogma impugnaverat, hæreſeos & blaſphemiæ convictus, anathemate damnatus eſt. Secundò, ſancitum eſt, ut ab omnibus Eccleſiis uno die celebraretur Paſcha, eo, quo nunc, modo agitur. Tertiò, confecti viginti Canones circa diſciplinam Eccleſiaſticam. Poſt Concilium Nicænum, Ariani, tum fraude, tum apertâ vi proſtratam hæreſim erigere moliti ſunt. Modò enim congregatis Pſeudo conciliis, ediſque ſubdolis fidei confeſſionibus incautos deludere tentarunt; modò perſecutiones in ſanctum Athanaſium Alexandrinum, alioſque Conſtantio in primis, & Valente Imperatoribus commoverunt. Verùm, nunquam adversùs Eccleſiam portæ Inferi potuerunt prævalere, pacemque Deus Eccleſiæ ſub Theodoſio Magno imperatore reſtituit.

Secundum, Conſtantinopolitanum. Ab Imperatore Theodoſio Magno convocatum eſt anno Chriſti 381. Adfuerunt Epiſcopi 150. Præfuit 1°. Meletius Antiochenus Epiſcopus, qui ibi mortuus eſt: tum S. Gregorius Nazianzenus, qui in hoc Concilio electus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus, abdicato Maximo Cynico hujus ſedis invaſore. Deinde verò cùm ſtudio pacis Epiſcopatum Conſtantinopolitanum reliquiſſet S. Gregorius Nazianzenus, præfuit Timotheus Alexandrinus. Demùm electus in Epiſco-

pum Conſtantinopolitanum Nectarius præfuit. Proſcripta eſt in hoc Concilio hæreſis Macedonii, olim Epiſcopi Conſtantinopolitani, Spiritum ſanctum Deum eſſe negantis. Nicæno ſymbolo jam antea factæ acceſſiones ibi comprobatæ; adeo ut in eam, quæ nunc in celebratione divinorum Myſteriorum decantatur, formam conſtitutum ſit. Tres tantùm editos fuiſſe Canones longè veriſimilius eſt. Præter Epiſcopum Theſſalonicenſem, qui Illyrici caput erat, Orientales tantùm Præſules ibi adfuerunt; in eoque ſolùm evaſit œcumenicum Concilium iſtud, quòd Occidentalis Eccleſia in Romanâ Synodo ſub Damaſco congregata in eandem fidem & Hæreticorum damnationem conſenſerit.

Tertium, Epheſinum: ab Imperatore Theodoſio juniore indictum eſt anno Chriſti 431. Locus fuit Epheſus, totius Aſiæ minoris primaria urbs. Adfuerunt Epiſcopi 274. Primum tenuit locum S. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, Cæleſtini Romani Pontificis nomine. Advenerunt etiam poſtea Romanæ ſedis Legati Arcadius & Projectus Epiſcopi, & Philippus Preſbyter. Ibi proſcriptus, & è Conſtantinopolitanâ Sede ejectus Neſtorius, qui negare auſus fuerat hominem in utero Mariæ Virginis formatum; unam eſſe cum Unigenito Dei Verbo perſonam, & beatam Mariam Virginem eſſe Deiparam. Joannes Epiſcopus Antiochenus cum 43. Epiſcopis ſui Patriarchatûs, Epheſum tardiùs adveniens, depoſitionem Neſtorii ægrè tulit; ipſi Neſtorio, non ejus hæreſi addictus, & in ipſum ſanctum Cyrillum ſententiam depoſitionis protulit. Abſolutus eſt à Synodo œcumenicâ ſanctus Cyrillus, excommunicatus verò Joannes Antiochenus cum ſuo Conciliabulo. Verùm non multò poſt Concilium pax redintegrata eſt. Sex in hoc

Concilio editi Canones. Comprobata Pelagii & Cæleſtini damnatio.

Quartum, Chalcedonenſe: ab Imperatore Martiano; communicatis cum ſancto Leone Pontifice Romano conſiliis, convocatum eſt anno Chriſti 451. Locus fuit Chalcedone urbs Aſiæ minoris. Convenerunt Epiſcopi pluſquam 600. Sanctus Leo præfuit per Legatos ſuos Paſchaſium & Lucentium Epiſcopos, Bonifacium & Baſilium Preſbyteros, quibus & Julianus Coënſis Epiſcopus adjunctus eſt. Damnata eſt in iſto Concilio hæreſis Eutychetis Preſbyteri Archimandritæ, id eſt, Abbatis Monaſterio urbis Conſtantinopolitanæ præſidentis, qui duas eſſe in Chriſto naturas negavit. Reſciſſa ſunt quæ acta erant in favorem Eutychetis in Conciliabulo Epheſino anno 449. cui adfuerant Epiſcopi 130. præfuerat Dioſcorus Alexandrinus. Canones 28. ſanciti ſunt in Concilio Chalcedonenſi. Vigeſimum octavum circa privilegia Sedis Conſtantinopolitanæ ſanctus Leo improbavit.

Quintum, Conſtantinopolitanum ſecundum, ab Imperatore Juſtiniano convocatum eſt anno 553. Adfuerunt Epiſcopi 165. Primum occupavit locum Eutychius Conſtantinopolitanus. In iſto Concilio damnata ſunt quæ dicuntur tria capitula, ſcilicet perſona & ſcripta Theodori Mopſueſteni Epiſcopi, ſcripta Theodoreti contra ſanctum Cyrillum, & epiſtola Ibæ ad Marim Perſam. Eo nomine verò damnata ſunt, quòd Neſtorianæ hæreſi patrocinarentur. Conſenſit demùm Concilio Vigilius ſcriptâ epiſtolâ, factumque eſt acceptatione œcumenicum.

Sextum, Conſtantinopolitanum tertium, ab Imperatore Conſtantino Pogonato, communicatis cum Pontifice Romano conſiliis, congregatum eſt anno 680. Convenerunt Epiſcopi cir-

citer 200. de numero diſceptatio eſt. Principem locum tenuerunt Legati Agathonis ſummi Pontificis Theodones & Georgius Preſbyteri, & Joannes Diaconus. Aderant etiam tres Epiſcopi nomine Concilii totius Occidentis Romæ congregati. Damnata eſt in iſto Concilio hæreſis Monothelitarum negantium duas eſſe in Chriſto voluntates, duas operationes diſtinctas, divinam & humanam: Paucis poſt annis Juſtiniano Conſtantis filio imperante, congregata eſt Synodus Trullana, hoc nomine donata, quòd Conſtantinopoli in Trullo, id eſt, domate Palatii Imperatoris celebrata ſit. Dicitur etiam hæc Synodus Quiniſexta; quòd congregata ſit ad condendos circa diſciplinam Canones; cùm nulli in Synodis generalibus 5. & 6. confecti eſſent. Hos Canones Sergius Papa, qui tunc ſedebat, approbare noluit.

Septimum, Nicænum ſecundum, ab Imperatore Conſtantino, & Irene ejus matre, conſentiente Adriano Papâ, convocatum eſt anno 787. Convenerunt Epiſcopi 350. Primi ſederunt Adriani Papæ Legati, Petrus Archipreſbyter Romanæ Eccleſiæ, & Petrus Preſbyter, Abbas Monaſterii ſancti Sabæ. Proſcripta eſt in iſto Concilio hæreſis Iconoclaſtarum; ſacras nimirum Imagines confringentium, & earum uſum ac cultum omnem reſpuentium.

Octavum, Conſtantinopolitanum quartum, ab Imperatore Baſilio, volente Adriano II. ſummo Pontifice, convocatum eſt anno 896. Convenerunt Epiſcopi 101. præter Patriarchas, vel eorum Legatos. Præſides, Legati ſummi Pontificis Donatus & Stephanus Epiſcopi, & Marinus Diaconus. In iſto Concilio Photius Conſtantinopolitanæ Sedis invaſor anathemate perculſus, & depoſitus eſt. Reſciſſa ejus acta con-

tra ſanctum Ignatium ejus Sedis Præſulem. Photius autem quà vi quà arte priſtinam Sedem poſtmodum adeptus jecit ſemina diviſionis, quæ undecimo ſeculo in apertum Græcorum ſchiſma evaſit, agente Michaële Cærulario Patriarchâ Conſtantinopolitano, quo factum eſt, ut Eccleſia Latina deinceps ſua Concilia ſine Græcis ſchiſmaticis celebraverit.

Nonum itaque Concilium generale Lateranenſe primum : à ſummo Pontifice Callixto II. congregatum eſt anno 1123. Locus fuit Eccleſia Lateranenſis in urbe Româ. Adfuerunt Epiſcopi pluſquam 300. cum aliis pluribus viris Eccleſiaſticis, ita ut ſumma eorum ad 997. numeretur. Præſes Callixtus II. Celebratum eſt hoc Concilium ad compeſcendam controverſiam de Inveſtituris, id eſt, electionibus Epiſcoporum & Abbatum per baculi & annulli traditionem, quas ſibi Imperatores & Principes tribuebant. Sancitum eſt, ut Imperator liberas electiones Epiſcoporum & Abbatum permitteret Clericis, & Monachis; & ſummus Pontifex conceſſit electis ut regalia ab Imperatore acciperent. Editi Canones 22.

Decimum, Lateranenſe ſecundum, ab Innocentio II. ſummo Pontifice convocatum eſt anno 1139. Convenerunt Epiſcopi, & alii Patres circiter mille, quibus Innocentius II. præfuit. In hoc Concilio reſciſſa ſunt acta Petri Leonis Pſeudopontificis, & aliorum ſchiſmaticorum; damnati Hæretici Petrus de Bruïs, & Arnaldus de Brixia, qui hæreſibus noſtri temporis de Euchariſtiâ, & aliis rebus præluſerunt. Canones 30. circa diſciplinam conditi.

Undecimum, Lateranenſe tertium, ab Alexandro III. ſummo Pontifice convocatum eſt anno 1179. Convenerunt Epiſcopi 300. etiam aliqui ex Oriente. Præſes Alexander III. In hoc Con-

cilio anathemate perculſa hæreſis Albigenſium, & Valdenſium.

Propter ſchiſma Octaviani Pſeudopontificis, ſtatutum ut Pontifex Romanus non eſſet, niſi qui à duabus Partibus Cardinalium eligeretur. Conſtituti Canones 27. circa diſciplinam.

Duodecimum, Lateranenſe quartum, Innocentio III. ſummo Pontifice convocante, anno 1215. celebratum eſt. Adfuerunt Epiſcopi 412. ceteri Prælati plusquam 800. quibus præſedit Innocentius III. In iſto Concilio damnata eſt hæreſis Albigenſium, quæ erat Manichæorum propago. Damnatus etiam Almarici error aſſeverantis quemlibet Chriſtianum teneri credere ſe eſſe membrum Chriſti, ut credit Chriſtum eſſe natum. Proſcriptus Joachimi Abbatis liber: decreta expeditio in Terræ ſanctæ liberationem: conceſſæ ſunt Indulgentiæ cruce ſignatis. Præter Canonem de fide. 69. Canones de diſciplina conſtituti, inter quos eſt celebris Canon de Confeſſione & Communione Paſchali.

Decimum tertium, Lugdunenſe primum, à ſummo Pontifice Innocentio IV. convocatum, anno 1245. habitum eſt. Convenerunt Epiſcopi 130. cum aliis Patribus. Præſes Innocentius IV. Congregatum eſt Concilium adversùs Fredericum Imperatorem. Conſtitutiones editæ de expeditione in terram ſanctam, & de multis rebus diſciplinam ſpectantibus.

Decimum quartum, Lugdunenſe ſecundum, ſummo Pontifice Gregorio X. convocante anno 1274. congregatum. Adfuerunt Epiſcopi pluſquam 500. Abbates 70. Prælati inferiores mille. Primas tenuit Gregorius X. In iſto Concilio compoſitum ſchiſma, quo Græci ab Eccleſiâ Latinâ medio ſeculo undecimo, ductu Michaëlis Cerularii Patriarchæ Conſtantinopolitani, de-

fecerant. Decantatum in Concilio ſymbolum cum adjectione particulæ *Filioque.* Cautum eſt de ſubſidio ferendo in expeditionem Jeroſolymitanam. Canones 31, circa diſciplinam promulgavit Gregorius X.

Decimum quintum, Viennenſe, Clemente V. ſummo Pontifice convocante, celebratum eſt anno 1311. Locus eſt Vienna Allobrogum urbs Archiepiſcopalis, ad Rhodanum in Gallis ſita. Nonnulli 300. Epiſcopos interfuiſſe memorant; alii pauciores. Inferiorum Prælatorum ingens numerus. Præfuit ſummus Pontifex. In iſto Concilio extinctus eſt Ordo Templariorum, errores Beguardorum & Beguinarum, atque etiam Petri Joannis, Fratricellorum, Dulciniſtarum, proſcripti. Actum de ſubſidio Terræ ſanctæ ferendo, atque etiam de diſſidio, quod inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Galliæ Regem exarſerat. Conſtitutiones circa diſciplinam, quæ ſummi Pontificis arbitrio in Concilio fuerant penitus demiſsè promulgavit poſtea Clemens V.

Decimum ſextum, Conſtantienſe. A Joanne XXIII. ſummo Pontifice convocatum cœpit anno 1414. Duravit annis quatuor, menſibus ſex. Locus fuit Conſtantia urbs Germaniæ prope Helvetios. Convenerunt Epiſcopi circiter 250. & ingens aliorum Prælatorum numerus. Præfuit initio Concilii Joannes XXIII. poſtea Petrus de Alliaco, Jordanes Epiſcopus Albanenſis Cardinalis de Urſinis, Joannes Epiſcopus Oſtienſis, dictus Cardinalis Vivarenſis: demum Martinus V. Quod in Piſano Concilio, anno 1409. habito ſuſpenſo poſtmodum, & in aliud tempus ſervato, cœptum fuerat, hoc in iſto Concilio redintegratum eſt, & perfectum. Compoſitum ſcilicet ſchiſma, quod Eccleſiam tam diu exagitaverat, electis duobus, ac poſtea etiam tertio

in ſummum Pontificem. In iſto Concilio Angelus de Corario, ſeu Gregorius XII. ceſſit Pontificatu. Petrus de Luna, ſeu Benedictus XIII. de Sede Petri dejectus eſt à Concilio. Balthazar Coſſa etiam, ſeu Joannes XXIII. ſententiâ latâ ſummo Pontificatu privatus. Electus eſt Otho Columna ſummus Pontifex, qui Martinus V. appellari voluit. Damnati ſunt in iſto Concilio Joannes Wiclef, & Joannes Hus, eorumque articuli proſcripti. Damnatus etiam Hieronymus de Praga, relapſus in hæreſim, quam ejuraverat. Decretum editum de Communione ſub unicâ ſpecie. Actum eſt de Eccleſiæ reformatione.

Decimum-ſeptimum, Baſileenſe, à Martino V. ſummo Pontifice primum Papiam vocatum, tum Senis haberi cœptum eſt; deinde ſeptennio poſt ab ipſo Concilio indictum Baſileæ. Habitum eſt anno 1431. Martinus V. eo miſit Cardinalem Julianum, ut Concilio præſideret; quam Provinciam eidem Eugenius IV. mortuo Martino V. eodem anno confirmavit. Adfuerunt circiter 300. Patres, ſed non in omnibus ſeſſionibus. Actum eſt potiſſimùm de poteſtate Concilii generalis, & Papæ, & de reformatione Eccleſiæ. Concilium iſtud in poſtremis ſeſſionibus non habetur ut generale.

Decimum octavum, Florentinum, ab Eugenio IV. dum adhuc ſtaret Concilium Baſileenſe, convocatum: celebratum eſt anno 1438. Ferrariæ primùm habitæ 16. ſeſſiones; poſtea verò peſte in eâ urbe graſſante, novem Florentiæ. Adfuit Joannes Paleologus Græcus Imperator, & Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus cùm ceteris Græcis. Sancita eſt unio inter utramque Eccleſiam, Latinam & Græcam, compoſitis controverſiis de proceſſione Spiritûs ſancti à Patre & Filio, de adjectione particulæ *Filioque*,

de conſecratione in azymo, de Purgatorio, & ſtatu felici animarum ſanctarum; de primatu ſummi Pontificis. Unus Marcus Epheſinus concordiæ ſubſcribere noluit.

Decimum nonum, Tridentinum, Paulo III. ſummo Pontifice convocante, inchoatum eſt anno 1545. intermiſſum poſtea, à Julio III. congregatum eſt. Demùm cùm ſuſpenſum adhuc fuiſſet ſub Pio IV. congregatum, anno 1563. abſolutum eſt. In hoc porrò Concilio tanta eſt copia dogmatum definitorum, tanta ſcientiæ Eccleſiaſticæ eruditio, tanta moderatio in diſceptationibus ſcholaſticis à dogmatibus fidei ſecernendis, tantum denique reſtauratæ diſciplinæ, lumen, ut ipſa legere neceſſe ſit Concilii decreta, è quibus velut è quodam veritatis ſanctitatiſque fonte, doctrina pura, ſinceraque pietas hauriatur.

COROLLARIUM.

Ex dictis in hoc capite, tria imprimis ad ſacram doctrinam prærequiſita conſequitur Theologiæ Candidatus; 1°. Fidei ſuæ rationem facilè poteſt reddere, ac demonſtrare veritatem propoſitionum fidei, quibus tanquam principiis tota nititur Theologia. 2°. Promptè ſe expediet ab illâ difficultate, quâ ſolent hoſtes fidei terrere Theologiæ tyrones, ſcilicet illos in ſuis probationibus uti circulo vitioſo, & probare idem per idem, Scripturam per Eccleſiam, & rurſus Eccleſiam per Scripturam. 3°. Priuſquam evadat perfectus Theologus, & idoneus ad ſolvenda quæcunque objiciuntur contra ſingula Religionis noſtræ dogmata, putà contra Indulgentias, Tranſubſtantiationem & ſeptenarium Sacramentorum numerum, tutus erit opponendo in-

fallibilem Eccleſiæ auctoritatem, & ad eam revocans Adverſarios, efficaciter contra eos evincet neceſſario falſa eſſe, quæ in illam contorquent.

Quoad primum, illud diſcrimen eſt inter principia ſcientiæ naturalis, & principia Theologiæ, quòd illa ſeſe prodant & demonſtrent ſuâ evidentiâ, adeo ut nec negari poſſint, nec probari debeant, ſed ſupponi: iſta verò cùm ſint obſcura & inevidentia, negantur ab Infidelibus, & in dubium revocantur ab impiis. Quapropter Theologus non debet eorum veritatem ita ſupponere, quin eam ſæpiſſimè probare teneatur, alioquin nullius ponderis erunt ejus concluſiones. Mahumetanus v. g. æquè contendit Deum revelaſſe quæ in Alcorano, ac Theologus, quæ in Libris Evangelicis leguntur. Cur ergo hæc credentur potiùs quàm illa? Si reſpondeat Theologus ſe habere ab Eccleſiâ Chriſtianâ, Libros illos eſſe planè divinos, idipſum Mahumetanus pro Alcorano aſſeret de Eccleſiâ Mahumetanâ. Quare ſi Theologus in hâc ſuâ reſponſione ſiſtat, nihil proficit apud Judæum, & quemvis Infidelem aut impium Libertinum, nec eos inclinabit ad ſibi credendum potiùs quàm Mahumetano. Ergo ante omnia, demonſtret neceſſe eſt ſolam Eccleſiam Chriſtianam eſſe veram Eccleſiam à Deo inſtitutam infallibilis auctoritatis; hoc enim præſtructo fundamento impia Infidelium, & Hæreticorum dogmata corruent, eluceſcet propoſitionum fidei indubitata veritas, & firma erunt quæ iiſdem propoſitionibus ſuperſtruentur.

Quoad ſecundum, nempe Theologum peritum non uti vitioſo circulo in aſſerendis dogmatibus Catholicis, patet ex dictis: vel enim agit cum Hæreticis, qui ſcripturas admittunt tan-

quam divinas, vel cum Judæis, Mahumetanis, & aliis Infidelibus, qui eas rejiciunt. Si primum, concluſiones elicit ex conceſſis adverſariorum, & argumento ad hominem, ut aiunt, ipſiſque certò demonſtrat ex Scripturis recenſitas Eccleſiæ dotes & inſignia ejus privilegia. Si ſecundum, Theologus, omiſſis Scripturis, quæ abſolutè non ſunt neceſſariæ ad aſſerendam Eccleſiæ veritatem, & infallibilem ejus auctoritatem, adverſarios urget & debellat aliâ argumentandi ratione, ſcilicet ex patentibus ſignis, quibus Deus auctoritatem & fidem conciliavit Eccleſiæ. Illi enim ſocietati credendum eſt tanquam vera docenti, cui Deus evidens teſtimonium perhibet; ratio quippe naturalis demonſtrat Deum non poſſe ſuo teſtimonio confirmare mendacium & falſitatem: atqui Deus ejuſmodi teſtimonium perhibuit Eccleſiæ Catholicæ: conſule locupletiſſima momenta à nobis prolata, quibus univerſus orbis adductus eſt ad credendum, nondum exaratis Apoſtolorum litteris, Eccleſiam eſſe à Deo inſtitutam infallibilis auctoritatis. Ergo ratio naturalis dictat doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ eſſe deferendum, genuſque eſſe dementiæ illi refragari. Ergo Eccleſia abſolutè non deſumit ſuam auctoritatem ex Scripturis Apoſtolorum, cùm omnem ſuam auctoritatem habuerit, & infallibilis credita ſit, antequam illæ Scripturæ eſſent adornatæ, ac proinde nullus eſt circulus in Theologorum argumentandi ratione; ſed rectâ procedunt ab obſcuris ad evidentiſſima. Docent credenda ea quæ in Scripturis & Traditionibus continentur; quia à Deo ſunt revelata: probant autem eſſe revelata ex Eccleſiæ teſtimonio, teſtimonium vero illud verum & indubitatum eſſe demonſtrant ex innumeris miraculis & prodigiis, quæ prioribus

ſæculis in commendationem doctrinæ Catholicæ edita ſunt, adeo ut Eccleſia verba Chriſti Joan. cap. 10. ſibi accommodare poſſit, *ſi mihi non vultis credere, operibus credite*, quæ cùm per ſe evidentia ſint, rectè à Theologis conſtituuntur prima cognitionis principia, Infideles ad fidem diſponentia, ultra quæ ratio humana nihil habet inquirendum.

Quoad tertium, ſcilicet rudem Theologiæ tyronem poſſe ex iis, quæ de Eccleſiâ dicta ſunt, confutare, quidquid contra ſingula fidei dogmata vel in mentem venit ſuggeſtione dæmonis, vel objici ſolet ab Hæreticis & Libertinis: *poteram omnes propoſitionum rivulos*, inquit ſanctus Hieronymus contra Lucif. *uno Eccleſiæ ſole ſiccare*; & ſanctus Auguſtinus lib. de hæreſibus ſupra laudato, *cur contra iſta ſentiat Eccleſia Catholica ſuperfluè quæritur, cùm propter hoc ſcire ſufficiat eam contra iſta ſentire?* Enimverò quod directè opponitur vero, illud neceſſariò eſt falſum: atqui quod pugnat contra aliquod Eccleſiæ dogma, illud manifeſtè opponitur vero: ergo eſt neceſſariò falſum. Major eſt per ſe evidens; minor verò efficaciter demonſtratur ex dictis, quæ ideo Chriſtianus Catholicus præſentiſſima ſemper habet tanquam ſcutum tutiſſimum, quo poſſit omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, ut loquitur Apoſtolus Epheſ. 6. v. 16.

Supereſt jam elucidatis difficultatibus, quæ circa Theologiæ principia, hoc eſt propoſitiones fidei, occurrere ſolent, & traditis legibus ſyllogiſmi Theologici, Candidatus noſter ſtadium ingrediatur, & ex ordine decurrat. Cùm autem Deus, & divina ejus attributa ſint primarium Theologiæ objectum, ad quos cetera referuntur, rectus ordo poſtulat, ut pro more Scholarum inde ſumamus docendi exordium. Sit itaque,

TRACTATUS
DE DEO UNO,
DIVINISQUE EJUS ATTRIBUTIS.

CAPUT PRIMUM.

De Nominibus Divinis.

Q. 1°. QUOD *eſt Dei nomen?*

R. Deus eſt ineffabilis, nec nominari poteſt, juxta illud Proverb. 3. *Quod nomen eſt ejus, aut quod nomen Filii ejus, ſi noſti?* Et auctor libri de divinis Nominibus, qui vulgò tribuitur ſancto Dionyſio, *neque nomen ejus eſt, neque opinio*, cap. 10.

Q. 2°. *Quare Deus eſt ineffabilis?*

R. Quia, cùm nomina ſint ſigna, & expreſſiones conceptuum noſtrorum, ea tantummodo poſſumus nominare, quæ cognoſcimus: atqui eſſentia divina non poteſt à nobis in hâc vitâ cognoſci: ergo nec ullo nomine exprimi.

Q. 3°. *Nunquid Deus ſaltem imperfectè nominari poteſt?*

R.

R. Nominari poteſt eo modo, quo cognoſcitur: quemadmodum autem artificem, putà pictorem, quem nunquam vidimus, aut de quo nihil audivimus, cognoſcimus tamen per tabellam ab ipſo depictam, quæ, ſi eleganter ſit efformata, nominamus Pictorem induſtrium: ſimiliter licèt Deum nemo viderit unquam, Joan. cap. 1. tamen intellectus noſter deprehendens diverſas perfectiones in diverſis rebus à Deo creatis aut productis colligit illas debere in Deo præexiſtere: hinc ſolemus omnia illa nomina Deo tribuere, quibus ſingulas creaturarum perfectiones exprimimus; Deum itaque nominamus ſapientem, fortem, &c. quia ejuſmodi perfectiones deprehendimus in ejus operibus: *omnia poſſunt dici de Deo*, inquit ſanctus Auguſtinus, *& nihil de Deo dignè dicitur, nihil locupletius hâc inopiâ.*

Q. 4°. *Quotuplex eſt Dei nomen?*

R. Alia ſunt propria, alia metaphorica; alia poſitiva, alia negativa; alia abſoluta, alia relativa.

Q. 5°. *Quænam ſunt nomina Dei propria, quæve metaphorica?*

R. Nomina Dei propria ſunt illa, quæ ſignificant perfectiones, quæ in ſuo conceptu nullam involvunt imperfectionem: metaphorica verò, quæ ſignificant perfectiones admixtas imperfectionibus. Hinc vita, ſapientia, bonitas propriè dicuntur de Deo, ſuntque in illo formaliter; quia in illis nulla concipitur imperfectio: corpus verò, Leo, &c non dicuntur de Deo niſi metaphoricè, nec ſunt in eo formaliter, ſed eminenter tantùm, quia in ſuo conceptu formali dicunt imperfectionem.

Advertes tamen in nominibus, quæ de Deo propriè dicuntur, duo diſtinguenda, nempe per-

fectiones his hominibus ſignificatas, putà boni-
tatem, ſapientiam, &c. & modum illas ſignifi-
candi: ſignificantur autem per modum acciden-
tis. Porrò quod ſignificant hæc nomina, pro-
priè competit Deo, & magis propriè, quàm
creaturis, priuſque de Deo dicitur ſapientia,
vel bonitas, vel vita, quàm de creaturis; quia
hæ perfectiones ſunt in Deo ſubſtantialiter, &
quaſi in fonte: in creaturis verò accidentaliter,
participativè, & derivativè. Quantùm verò ad
modum ſignificandi, non dicuntur propriè de
Deo; bonitas enim v. g. & ſapientia ſignifican-
tur per modum alicujus accidentis, quod Deo
non competit: ſed ſunt in illo ipſamet ejus ſub-
ſtantia, & ſimpliciſſima entitas. Hinc citato lib.
de divinis nominibus dicitur Deus eſſe ſuper
omnem vitam, ſapientiam, &c.

Q. 6°. *Quid ſunt nomina Dei poſitiva, & nega-
tiva?*

R. Nomina poſitiva ſunt ea, quæ ſignificant
aliquam Dei perfectionem; ut omnipotens, ſa-
piens, bonus. Negativa ſunt ea, quæ negant in
Deo aliquam eſſe imperfectionem, ut incorpo-
reus, infinitus, immenſus, incomprehenſibilis,
&c. Et hæc poſteriora feliciùs Deum ſignificant;
nam, ut dicitur cit. lib. de divinis nominibus,
de Deo novimus meliùs quid non ſit, quàm quid ſit.

Q. 7°. *Quid ſunt nomina abſoluta, quid relativa?*

R. Abſoluta ſunt ea, quæ dicuntur de Deo ſine
ordine ad aliud, ut ſapiens, vivens, &c. Rela-
tiva verò, quæ dicuntur de Deo reſpectivè ad
aliud, ut pater, filius, creator, Dominus; prio-
ra competunt Deo ab æterno; poſteriora verò,
ſi reſpectum habent ad creaturam, nonniſi ex
tempore de Deo dicuntur; Deus enim ab æter-
nò eſt ſapiens, omnipotens; ſed Creator aut
Dominus non eſt, niſi ex tempore, quo cœpe-

runt eſſe creaturæ, nec in iſtâ novâ nuncupatione Deus intrinſecè mutatus eſt, ſicut nec Sol intrinſecè immutatur, quando incipit illuminare noſtrum Horizontem.

Dixi, *ſi reſpectum habent ad creaturam;* quia nomina Dei relativa, quæ dicunt ordinem ad perſonam Divinam, competunt Deo ab æterno: qualia ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; qui ab æterno Pater generat Filium, Pater & Filius ſpirant Spiritum ſanctum.

Q. 8°. *Eſt-ne aliquod nomen determinatum ad ſignificandam divinam naturam & eſſentiam, ac proinde incommunicabile ulli creaturæ?*

R. Apud Latinos, Deus, apud Græcos verò Θεὸς, & apud Hebræos, Jehova determinantur ad ſignificandam Dei naturam. *Deus*, inquit Tertullianus, *ſubſtantiæ ejus nomen eſt*, id eſt divinitatis: *Dominus verò, non ſubſtantiæ, ſed poteſtatis:* & hoc ſenſu docet ſanctus Thomas nomen illud, *Deus*, eſſe incommunicabile creaturis; cùm natura divina illis communicari non poſſit.

Nonnunquam tamen in Scripturis illud nomen, *Deus*, uſurpatur non ad deſignandam naturam divinam, ſed aliquam Dei perfectionem, v. g. ejus poteſtatem, quæ cùm participetur ab aliquibus creaturis, v. g. à judicibus, hi dicuntur dii, juxta illud Pſalmi 81. *Ego dixi; dii eſtis.*

Q. 9°. *Quid tribus illis nominibus ita excellens exprimitur, ut determinata ſint ad ſignificandam ipſam Dei naturam?*

R. 1°. Nomen illud, *Deus*, derivatur à verbo, *dare*, quo ſignificatur ſumma Dei perfectio, & plenitudo bonitatis effluens in omnes creaturas, juxta illud Jacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*, ſæpe quidem per creaturas, ſed tanquam per canales, quos ipſe fons omnium bonorum implet.

R. 2°. Θεὸς dicitur vel à verbo θεῶμαι, quod eſt, videre & contemplari; quia omnia ſunt præſentia Deo, nihilque illum latet : vel à verbo θεῖν, quod eſt, curare, vel fovere ; nam *attingit à fine uſque ad finem fortiter*, Sap. 8 vel ſecundùm ſanctum Joannem Damaſcenum à verbo αἴθειν, quod eſt , ardere, etenim *Deus... ignis conſumens eſt*, Deuter. 4. quo denotatur ſumma ejus activitas.

R. 3°. Jehova, (nomen apud Hebræos ſacratiſſimum; cùm Deus illud ſibi aſſumpſerit tanquam proprium, & alteri prorſus incommunicabile) ſignificat illum, qui eſt ſimpliciter; interroganti enim Moyſi, Exodi cap. 3. quid diceret filiis Iſrael quærentibus qui vocaretur Deus Patrum ſuorum, reſpondet Deus, *Ego ſum, qui ſum : ſic dices filiis Iſrael, qui eſt miſit me ad vos.* Quo denotatur ipſum eſſe; quemadmodum enim cùm dicitur, *color ipſe*, Gallicè, *la couleur même*, non intelligimus determinatam coloris ſpeciem, ſed quidquid coloris nomine concipi poteſt; ita per illud nomen *ipſum eſſe*, Gallicè, *l'être même*, ſignificatur ens illimitatum, à quolibet alio independens, & à quo omnia habent quidquid ſunt.

CAPUT II.

De Exiſtentiâ Dei.

Q. 1°. E*Xiſtit-ne Deus?*

R. Eſt de fide Deum exiſtere; id teſtantur omnes paginæ Scripturarum, cap. 1. Geneſeos inducitur Deus exiſtens. Creator cæli & terræ, *in principio creavit Deus cælum & terram*, & cit. cap. 3. Exodi, *ego ſum, qui ſum.*

Q. 2°. *Nonne poſſumus cognoſcere lumine naturali Deum exiſtere?*

R. Poſſumus, nec ignorare licet, *cæli* enim *enarrant gloriam Dei*, Pſal. 18. *Non ſunt loquelæ, neque ſermones: quorum non audiantur voces eorum*, id eſt, nulla gens, etiamſi in extremis ſita, quæ non percipiat, quæ cæli enarrant de Deo. Item Rom. c. 1. *Inviſibilia ... ipſius à creaturâ mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.*

Q. 3° *Cur nobis proponitur fide divina credendum, quòd Deus exiſtit; cùm illud ſit rationi naturali obvium?*

R. Quia niſi audiremus Deum in Scripturis loquentem, periculum eſſet, ne circumveniremur ſive malitiâ proprii cordis, quæ nonnunquam mentem excæcat; ſive fallaciis impiorum, qui dicunt, quamvis inſipienter, *Non eſt Deus*, Pſalm. 13.

Q. 4°. *Poteſt-ne aliquis ignorare invincibiliter Deum exiſtere;*

R. Non poteſt. Probatur ex citatis locis Pſalmi 18. & Rom. 1.

Q. 5°. *Quid inde ſequitur?*

R. Quod omnes, ſive Fideles ſive Infideles, incurrant Dei offenſam, mereantur ab eo puniri, dum agunt contra legem naturalem nobis à Deo inditam; nec ſint excuſabiles, ex eo quòd faciendo alteri quod ſibi nollent fieri, non cogitent ſe Deum offendere; hæc enim ignorantia eſt vincibilis. Ita declaravit Alexander VIII. cui concinit Clerus Gallicanus in cenſurâ quarundam Propoſitionum, quarum hæc eſt 113ª. *Philoſophicum peccatum, quantum grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.* Hæc pro-

poſitio, inquit Clerus Gallicanus, ſcandaloſa eſt, temeraria, piarum aurium offenſiva, & erronea.

Q. 6°. *Quibus rationibus demonſtratur Dei exiſtentia?*

R. Tribus potiſſimùm.

Prima, illud omne, quod mundus complectitur, vel factum eſt, vel non. Hæc Propoſitio non poteſt negari etiam ab his, qui contra fidem contendunt mundum eſſe ab æterno: quemadmodum enim in hypotheſi, quòd daretur linea infinita, licèt omnes ejus partes non poſſent tranſcurri; de eâ tamen objectivè ſumptâ poſſet dici, vel tota eſt facta, vel non; quodlibet enim factum eſt, vel non, nec datur medium inter factum eſſe, & non eſſe factum. Similiter, quamvis in hypotheſi, quòd mundus ſit ab æterno, agnoſcendæ ſint in eo infinitæ generationes, quarum prima non eſt aſſignabilis; cùm in infinito non detur primum, nec ultimum; tamen verum eſt dicere de totâ illâ collectione infinitâ rerum omnium: vel tota eſt facta, vel non. Atqui non poteſt dici factum eſſe omne quod complectitur mundus; cùm enim ſupponatur nihil omninò eſſe extra, totum illud factum eſſet à ſeipſo, quod implicat meram contradictionem: nempe idem eſſet prius, & poſterius ſeipſo; cùm cauſa ſit prior ſuo effectu, & effectus poſterior ſuâ causâ.

Ergo dicendum eſt aliquid eſſe in collectione illâ rerum omnium, quod non ſit factum, & à quo cetera facta ſint. Porrò ens non factum, ſed à ſeipſo exiſtens eſt Deus; cùm ſit ens maximè actu neceſſarium, & illimitatum, ut infra dicetur.

Secunda ratio demonſtrativa divinæ exiſtentiæ ſic proponitur. In totâ rerum univerſitate

datur ens maximè neceſſarium. Atqui ens illud eſt Deus : ergo revera exiſtit Deus.

Major probatur. Si nullum daretur ens maximè neceſſarium, potuiſſet fieri, ut nullum ens exiſteret ; poteſt enim fieri, ut quod non eſt neceſſarium, non exiſtat : ſed implicat fieri potuiſſe, ut nullum ens exiſteret : ergo neceſſe eſt in totâ rerum univerſitate dari ens a ſe, & neceſſarium.

Minor hujus poſterioris argumenti probatur. Poteſt ſupponi abſque contradictione, quòd fieri potuit : ſed abſque contradictione non poteſt ſupponi, quòd nullum ens exiſtat ; nam ſtante hâc hypotheſi, res omnes eſſent poſſibiles, & impoſſibiles : eſſent poſſibiles, quia videmus illas factas ; unde colligitur poſſibile fuiſſe illas fieri : eſſent tamen reverâ impoſſibiles ; quia illud eſt impoſſibile, quòd, cùm non ſit, nullam cauſam ſui productivam habet ; cum ex nihilo nihil fiat, niſi per id quod eſt.

Tertia ratio petitur ex orbis diſpoſitione, quæ certò primam aliquam cauſam demonſtrat ; Cur enim Cæli in tantâ quantitate exiſtunt ? Cur Sol major non eſt ? Cur ſitum ſupra Saturnum non habet ? Cur aqua tota non eminet ſupra terram, cùm hæc gravior ſit ? Cur terra habet concavitates, & imperfectum globum ? Cur fontes non in vallibus, ut natura aquæ expetit, ſed in locis ſuperioribus erumpunt, ut aquæ eorum fluant in rivulos, & flumina efforment ad ſocietatem humanam ? Quis putet neceſſariò hæc fieri ; cùm videantur contra naturam ſuam diſpoſita ? Habent itaque aliunde, quàm à ſe, quòd ita ſint. Nec recurri poteſt ad fortuitum concurſum atomorum, ut ſomniant Democritus & Epicurus. Cur enim ex ſimili fortuito concurſu atomorùm non fiunt Palatia ? Cur Ilias, aut

Poëma fortuito concurſu characterum non exiſtit, ut argumentatur Cicero lib de naturâ Deorum? Itaque ad Deum recurrendum eſt. Quis eſt, inquit Clemens Romanus, exigui ſaltem ſensûs, qui, cùm cernat domum omnia ad uſus neceſſaria habentem, non ſtatim ſtatuat à ſapientiſſimo & potentiſſimo Artifice eam eſſe conſtructam? Itaque quis invenietur inſipiens, qui cùm Cæli opus inſpiciat, ſplendorem Solis cernat, &c. non tam à ſapiente, & rationali Artifice, quàm ab ipsâ ſapientiâ & ratione hæc clamet effecta? Unius corporis humani fabricam præſtantem eſſe ipſe Tullius advertit citato libro, ut ſummam aliquam, & principalem cauſam demonſtret. Hoc argumentum omnibus, etiam rudioribus, ad manum eſſe poteſt.

Adjungi poteſt argumentum morale, petitum ex communi omnium conſenſu. Nam moraliter loquendo non poteſt non eſſe, quod eſſe conſtànter aſſeverant, ac teſtantur omnes gentes & populi, docti & indocti, & ex his illi præſertim, qui mores ad virtutem meliùs compoſitos habent. Hæc enim conſenſio aliunde eſſe non videtur, quàm vel à naturâ, quæ per ſe ad falſum non inclinat, vel à Deo, qui ſe probat exiſtere. Eſt autem illa conſtans omnium aſſeveratio, exceptis ferè paucis, aut ſtupidis prorſus, aut ſtupidam vitam ducentibus, aut aliquod acumen ingenii oſtentantibus, ſed inſigniter ſuperbis, iniquis, flagitioſis, ac præſertim omni libidini devotis, quamvis & ipſi vim ſuæ naturæ inferant, & lumen ſibi naturaliter inditum aut extinguere, aut comprimere cogantur.

Dices: propoſitioni demonſtrativæ nemo diſſentire poteſt: ſed illi propoſitioni, *Deus exiſtit*, quidam diſſentiunt: ergo non eſt demonſtrativa.

R. Diſtinguo majorem, nemo diſſentire poteſt propoſitioni demonſtrativæ, ſi ad eam attendat, & ejus terminos intelligat, Concedo majorem: ſecus, Nego majorem. Diſtinguo etiam minorem, quidam diſſentiunt huic propoſitioni, Deus exiſtit, quia vel ejus terminos non intelligunt, vel ad vim demonſtrationis attendere nolunt propter morum corruptionem, Concedo: diſſentiunt, etiamſi intelligant terminos, & libera mente attendant ad vim demonſtrationis, Nego minorem & conſequent. Hæc reſponſio confirmari & explicari poteſt exemplo hominis litigioſi, qui propriâ cupiditate præpeditus nec convicitur rationibus certis & indubiis, quæ evidenter ſtabiliunt jus adverſæ partis, nec veretur judices, qui ſecundùm illas judicarunt, accuſare.

Q. 7°. *Hæc propoſitio,* Deus exiſtit, *eſt-ne per ſe nota.*

R. Non eſt, ſaltem quoad nos; nam propoſitio per ſe nota reſpectu noſtri eſt ea, quæ ſine ullo medio, aut diſcurſu, ſed ex ſolâ terminorum apprehenſione cognoſcitur, qualis eſt hæc propoſitio, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe,* qui enim intelligit hos duos terminos, *eſſe*, & *non eſſe*, videt abſque diſcurſu hæc duo non poſſe ſimul conjungi, utpote contradictoria: ſed non ita ſe habet hæc propoſitio, *Deus exiſtit*, tum quia Athæi illam negant: tum quia in ejus cognitionem devenimus per exiſtentiam creaturarum, ut jam dictum eſt; quemadmodum enim ars per ſe non eſt nota, ſed manifeſtatur ſolùm per artificis opera; ita ſempiterna Dei virtus, & ſapientia manifeſtantur per effectus, nimirùm per creaturas.

Dices: per illud nomen, *Deus*, ſignificatur ſummum bonum, atqui in notione ſummi boni

includitur exiſtentia, ſine quâ nullum eſt bonum; res enim non exiſtens propriè non eſt bona, aut perfecta: Ergo ex ſolâ apprehenſione illius termini, *Deus*, intelligitur exiſtentia Dei, ac proinde hæc propoſitio, *Deus exiſtit*, eſt per ſe nota.

R. Diſtinguo minorem, includitur exiſtentia objectivè ſumpta, Concedo: realiter & à parte rei, Nego minorem. Verum quidem eſt, quòd terminus ille, *Deus*, ſignificet ens ſummè perfectum, bonum & exiſtens; & quòd talem idæam excitet in intellectu; ſed quæſtio eſt, utrùm reverà à parte rei detur; imò poſſibile ſit illud ſummum bonum; nec ſolvitur illa quæſtio ex ipſâ apprehenſione terminorum, ſed ex inſpectione creaturarum; ſic omnes concipiunt quid ſit ſummum malum, communiter tamen negatur eſſe poſſibile.

CAPUT III.

De eſſentiâ divinâ.

Q. 1°. *Quid eſt Deus?*

R. Deum exiſtere certò novimus: ſed quid ſit definire non poſſumus. Dicitur Jobi 36. vincere ſcientiam noſtram, & 1. Tim. 6. habitare lucem inacceſſibilem.

Dices: ex hâc reſponſione ſequitur poſſe contorqueri contra Chriſtianos, quod Chriſtus Dominus exprobrat Samaritanis, Jo. 4. his verbis, *vos adoratis quod neſcitis*, & Apoſtolus Paulus Athenienſibus, Act. 17. *Superſtitioſiores vos video: præteriens enim, & videns ſimulacra veſtra, inveni & aram, in quâ ſcriptum erat*, ignoto Deo: *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

R. Nego ſequelam; magnum enim eſt diſcrimen inter Chriſtianos, & ſuperſtitioſas illas nationes. Nempe Samaritani pro libito Religionem, & Deum etiam corporeum ſibi finxerant, Athenienſes quoque Religioni ducebant colere Idola omnium nationum, etiam ea quæ nondum ad eorum notitiam pervenerant. At verò Chriſtiani adorant eum, quem certò ſciunt eſſe Creatorem cœli & terræ, qui non indigens aliquo, dat vitam omnibus, & inſpirationem, ut habet Apoſtolus citato loco. Quemadmodum ergo nemo dixerit ſe neſcire Solem, cujus luce perfunditur; quia non poteſt illum intueri, propter nimiam ejus claritatem; nec definire cujus ſit materiæ, aut naturæ; ſic dici nequit Chriſtianos adorare quod neſciunt, quia non poſſunt explicare quid ſit Deus quem agnoſcunt & colunt tanquam Creatorem cœli & terræ, immenſum, & infinitum in omni genere perfectionis.

Q. 2°. *Poteſt-ne Deus utcunque deſcribi?*

R. Poteſt, quamvis enim Deus ſit ſimpliciſſimus, nec ſit in eo quid prius aut poſterius, potentia & actus, ſed omnia ſint quid unum ſimpliciſſimum; tamen in illo concipimus aliquid tanquam primum, habens rationem eſſentiæ, per quod in ſuo eſſe conſtituitur, diſtinguiturque ab omnibus creaturis, & à quo intelliguntur fluere omnia attributa, tanquam proprietates divinæ naturæ.

Q. 3°. *Quid eſt illud quod primum concipitur in Deo, tanquam radix perfectionum divinarum?*

R. Eſt exiſtentia à ſe, ſeu aſeitas; unde ſic deſcribi poteſt, *Deus eſt ens à ſe exiſtens:* quam deſcriptionem ut intelligas,

Advertes in creaturis exiſtentiam non eſſe quid eſſentiale, 1°. quia illud non eſt de eſſentiâ alicujus rei, ſine quo res illa poteſt concipi: atqui

creatura omnis poteſt concipi ſine ſuâ exiſtentiâ: æquè non concipimus Cæſarem mortuum, ac ſi exiſteret. 2°. Eſſentiæ ſunt æternæ, immutabiles, & neceſſariæ; verum enim eſt ab æterno, & neceſſarium, quòd homo ſit animal rationale, nec poteſt quidquam mutari circa hanc definitionem. 3°. Eſſentiæ ſunt radices omnium proprietatum, quæ alieni rei competunt.; atqui exiſtentiæ creaturarum ſunt in tempore mutabiles, contingentes, nec ſunt radices proprietatum, quæ eis conveniunt. Homo v.g. non eſt riſivus, aut admirativus præcisè quia exiſtit: ſed quia rationalis eſt; Ergo exiſtentia non eſt creaturæ eſſentialis, contra verò eſt Dei eſſentia, 1°. quia eſt quid primum in Deo, nec ſine eâ Deus poteſt concipi: Quid enim conciperetur in Deo ante exiſtentiam? Poſſibilitas? At nihil poſſibile concipi poteſt in Deo, niſi concipiatur exiſtens; ſiquidem poſſibile eſt, quod poteſt exiſtere, aut exiſtentiam accipere: atqui nemo poteſt accipere eſſentiam, niſi à principio exiſtente; quod enim nondum exiſtit, non poteſt operari, & dare ſibi aut alteri exiſtentiam: Ergo exiſtentia Dei eſt quid primum in Deo, ac proinde eſt ejus eſſentia, ita ut eſſe & exiſtere in Deo ſint formaliter unum & idem, idque colligitur ex cap. 3. lib. Exodi, ubi Deus Moyſi interroganti quis eſſet, reſpondit: *Ego ſum qui ſum. Sic dices filiis Iſraël, qui eſt miſit me ad vos.*]

Deinde exiſtentia à ſe ſeu aſeitas, eſt prima ratio, per quam Deus differt ab omnibus creaturis. Ideo enim creaturæ non ſunt Deus, quia dependentes ſunt, & ab alio exiſtunt.

Denique exiſtentia à ſe concipitur, tanquam radix omnium attributorum, ſeu perfectionum divinarum. Ideo enim Deus eſt unus, infinitus in omni genere perfectionis; quia eſt

ens à ſe, ut ampliùs patebit ex dicendis.

Dices 1°. ex hâc definitione ſequitur ſolum Patrem ex perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis eſſe Deum; Filius enim & Spiritus ſanctus non ſunt à ſe, ſed ab alio.

Nego ſequelam; cujus confirmationem diſtinguo; Filius & Spiritus ſanctus ſunt ab alio tanquam à principio, cum quo ſunt ejuſdem numero naturæ, Concedo: tanquam à causâ diverſæ, vel diſtinctæ numero naturæ, Nego. Itaque licèt omnis cauſa ſit principium, tamen non omne principium eſt cauſa; nam Philoſophi vulgò agnoſcunt tria principia corporis naturalis, ſcilicet materiam, formam & privationem; quamvis privatio non poſſit eſſe cauſa; cùm nihil ſit poſitivum. Illud autem eſt diſcrimen inter cauſam & principium, ſi ſtrictè & propriè ſumantur, quòd cauſa 1°. non ſit ejuſdem numero naturæ cum effectu. 2°. prior ſit effectu ſaltem naturâ. 3°. tribuat eſſe cum alterius dependentia. Sic pater in humanis eſt cauſa filii; quia habet naturam ab eo numericè diſtinctam; prior eſt filio, & generatio filii eſt omninò ab ipſo dependens. Contra verò principium ſtrictè ſumptum, & prout à causâ propriè dicta diſtinguitur, eſt ejuſdem naturæ cum termino à ſe producto, nec tempore, nec natura eſt prius illo, communicatque eſſe abſque procedentis dependentia. Atqui res ita ſe habet in proceſſione divinarum Perſonarum, ut dicetur Tractatu de Trinitate: Pater non eſt naturâ, ſed ordine & origine duntaxat prior: Filius & Spiritus ſanctus procedunt ſine dependentiâ: natura divina eſt una & eadem numero in tribus Perſonis: communicatur quidem Filio & Spiritui ſancto; ſed non producitur niſi filiatio, & ſpiratio paſſiva; quæ ſunt modi ſubſiſtendi unius & ejuſdem naturæ di-

vinæ ab illâ realiter indiſtinctæ; ac proinde tres perſonæ non ſunt tres Dii, nec tria eſſe; ſed unus Deus, unum eſſe increatum, improductum, & à ſe exiſtens; ſed triplici modo ſubſiſtens.

Dices 2°. Definitio, cùm ſit naturæ rei definitæ explicatio, debet exprimere totam ejus eſſentiam, & perfectiones eſſentiales. Unde vitioſa eſſet, & contra Logicæ regulas hæc definitio, homo eſt ens rationale; Logica enim docet definitionem debere conſtare ex genere proximo, & differentiâ ſpecificatâ; quia in genere proximo, putà animali, includuntur omnes ſuperiores perfectionis gradus, ſcilicet ens, ſubſtantia, corpus vivens; contra verò ens ut genus ſupremum ab iis abſtraxit; ac proinde qui dicit, homo eſt ens rationale, non explicat totam hominis eſſentiam; cùm non exprimat ſubſtantiam, corpus, & vivens, quæ pertinent ad eſſentiam hominis. Atqui in Deo ſubſtantia, ſpiritus, vivens, ſeu vita intellectualis non ſunt attributa, ſeu proprietates, quæ concipiuntur fluere ab eſſentiâ, ſed ſunt ipſamet Dei eſſentia: Ergo Deus non debuit definiri ens à ſe: tanquam per genus ſupremum; ſed propria ejus definitio eſt, vivens à ſe.

Conceſsâ majore, diſtinguo minorem: In Deo ſubſtantia, ſpiritus, vita intellectualis ſunt perfectiones eſſentiales, quæ includuntur in ente prout ſumitur in definitione, Concedo: quæ non includuntur, Nego minorem: Ens itaque non ſumitur hîc veluti ſupremum genus abſtractum ſive ab accidente, ſive à ſubſtantiâ, & aliis inferioribus, ſed ut ipſum eſſe, illimitatum, omnia entia etiam poſſibilia continens ſive formaliter, ſive eminenter. In eo autem differt ab omnibus entibus creatis, quòd ſit à ſe, hoc eſt, quòd exiſtere & eſſe actu ſit ipſi eſſentiale, & ve-

luti ultima ejus differentia. Porrò Theologus perfectiones in illo ente concipit, alias tanquam eſſentiales, putà ſubſtantiam, ſpiritum, vitam intellectualem, alias veluti ejus attributa & proprietates, ut juſtitiam, miſericordiam; quia illæ intellectui objiciuntur ut quid primum in Deo, iſtæ verò ut quid conſequens & fluens à prioribus, v. g. intellectio actualis ex vitâ intellectuali tanquam ex radice.

Inſtabis pro Thomiſtis, qui intellectionem actualem conſtituunt pro ultimâ Dei differentiâ. Ex conceſſis vita intellectualis, eaque perfectiſſima eſt Deo eſſentialis: atqui vita intellectualis perfectiſſima non eſt potentia intelligendi: tum quia Deus eſt purus actus excludens omnem potentialitatem: tum quia omnis potentia imperfectionem ſonat; tendit enim ad actum ut ad ultimam ſui perfectionem. Hinc potentia ratiocinandi in infantibus & amentibus eſt imperfecta; quia caret ſuo actu, ſcilicet actuali ratiocinio: Ergo vita Dei eſt ipſamet actualis intellectio, quia ultimo differt ab omnibus creaturis.

Diſtinguo minorem: non eſt in Deo potentia intelligendi, quæ careat ſuo actu, aut ab eo ſit realiter diſtincta, Concedo: non eſt potentia, quæ ita realiter ſit ſuus actus, ut ab eo nequidem ratione diſtinguatur, Nego minorem; nam ex ſancto Thoma qu. 1. de potentiâ articulo 1°. operatio divina habet principium ſecundùm rationem; & 1. p. qu. 26. art. 2. ad primam, probat beatitudinem non convenire Deo ſecundùm rationem eſſentiæ, ſed magis ſecundùm rationem intellectûs: Ergo intellectus, & intellectio actualis in mente ſancti Doctoris à nobis non apprehenduntur ut Dei eſſentia, ſed attributa & proprietates, quæ emanant ab eſſentiâ.

Confirmatur 1o. Ita ſe habet intellectio actua-

lis ad intellectum, quomodo volitio actualis, ſeu amor ad voluntatem. Atqui ex ipſiſmet Thomiſtis mens noſtra diſtinguit inter divinam voluntatem & amorem, concipitque voluntatem ut potentiam, amorem verò ut actum: Ergo diſtinguere licèt inter eſſentiam divinam: intellectum divinum, & intellectionem divinam; quamvis eſſe, vivere, intelligere & velle in Deo ſit realiter quid unum, & purus actus.

Confirmatur 2°. Nomine eſſentiæ intelligimus quod eſt primum in re, & ex quo cætera fluunt tanquam proprietates: atqui intellectio actualis nec concipitur ut quid primum in Deo; cum ex ſancto Thoma omnis operatio habeat principium; nec ut fons & radix attributorum divinorum; neque enim Deus ideo concipitur juſtus, miſericors, immenſus, æternus, &c. quia eſt actu intelligens, ſeu ipſamet intellectio; ſed quia eſt ens à ſe illimitatum.

CAPUT IV.

De Attributis divinis in genere.

Q. 1°. QUid ſunt Attributa divina?

R. Sunt perfectiones, quæ noſtro concipiendi modo conſequuntur naturam divinam.

Q. 2°. *Quot ſunt Attributa divina?*

R. Alia ſunt abſoluta, quæ nullum dicunt ordinem ad aliud, ut immutabilitas: alia relativa, quæ aliquem ordinem important, ut paternitas.

Q. 3°. *Quotuplicis generis ſunt Attributa abſoluta?*

R. Duplicis, ſcilicet modificativa & adjuncta.

Q. 4°. *Quid ſunt Attributa modificativa?*

R. Sunt ea, quæ licèt non ſint de eſſentiâ, cùm apprehendantur ab intellectu noſtro tan-

quam ab eâ fluentia; concipiuntur tamen ut modi interni, & tranſcendentes, pertinentes ad conſtitutionem naturæ: ſicut in creatis ſubſiſtentia dicitur modus internus, ita ultimatè conſtitutivus ſubſtantiæ, ut quamvis non ſit de ſubſtantiâ, tamen ſit aliquid ſubſtantiale.

Q. 5°. *Quot ſunt Attributa modificativa?*

R. Duodecim numerari poſſunt, nimirùm ſimplicitas, unitas, infinitas, immutabilitas, immenſitas, æternitas, perfectio, bonitas, veritas, ineffabilitas, inviſibilitas & incomprehenſibilitas.

Q. 6°. *Quare modi illi dicuntur tranſcendentes?*

R. Quia pervadunt omnes perfectiones, & enuntiari poſſunt de quâlibet illarum etiam in ſenſu formali; cùm attributa adjuncta non prædicentur de ſe invicem, niſi in ſenſu identico. Sic rectè dicitur, juſtitia Dei eſt infinita, miſericordia eſt incomprehenſibilis; ſed dici non poteſt, miſericordia eſt juſta, ſapientia eſt miſericors, niſi identicè; quemadmodum dicitur album eſt dulce, ex eo quòd ſubjectum habens albedinem, habeat etiam dulcedinem, non verò quòd dulcedo ſit modus afficiens albedinem, aut miſericordia afficiens ſapientiam, ſicut infinitas afficit juſtitiam, & miſericordiam.

Q. 7°. *Quotuplicis generis ſunt Attributa modificativa?*

R. Duplicis, affirmativa, & negativa. Affirmativa ſunt, quæ exprimuntur nomine ſignificante aliquam perfectionem, ut bonitas, omnipotentia. Negativa, quæ exprimuntur nomine removente imperfectionem, ut infinitas, quæ negat quidquam finitum eſſe in Deo.

Q. 8°. *Quænam ex Attributis modificativis feliciùs repræſentant divinas perfectiones?*

R. Negativa; quia affirmativa objiciuntur intellectui tanquam perfectiones communes Deo

ac creaturis; ac proinde objectum non repræſentant infinitum. Sic bonitas, ſapientia, conveniunt Deo, & creaturis. Dici enim poteſt, Sol eſt bonus, homo eſt juſtus; Angelus eſt ſapiens. At negativa attributa ita modificant alia attributa etiam adjuncta, ut ea efficiant Dei propria, nec de creaturis poſſint enuntiari. Sic ſapientia infinita, juſtitia incomprehenſibilis, miſericordia immenſa, ſcientia æterna, ſoli Deo conveniunt.

Ergo perfectior eſt oratio, quâ ad Deum aſcendimus per negationes, ut loquitur Auctor libri de divinis nominibus; negando ſcilicet Dei bonitatem, juſtitiam, miſericordiam, & alia ejus attributa ea eſſe, quæ concepimus, quamvis longè perfectiſſima; ſed ſupereminentes omni cogitatui. Hinc admiratio, & exultantis animæ jubilus, de quo Pſalmus 88. interprete ſancto Auguſtino: *Nullo modo*, inquit, *beatus es, niſi intelligas jubilationem. Quid eſt, niſi intelligas jubilationem: Scias unde gaudeas, quod verbis explicare non poſſis?*

Q. 9°. *Quid ſunt Attributa adjuncta?*

R. Sunt ea, quæ concipiuntur veluti advenire divinæ eſſentiæ in ſe conſtitutæ: ſicut accidentia in creatis cenſentur advenire ſubſtantiæ completæ. Ejuſmodi autem attributa ſunt ſapientia, juſtitia, miſericordia, &c.

Q. 10°. *Quotuplicis generis ſunt Attributa adjuncta?*

R. Triplicis. Alia enim denotant veluti facultatem, ut intellectus, voluntas, omnipotentia; alia quaſi habitum ſignificant, ut juſtitia, miſericordia: alia denique quaſi actionem, ſive immanentem, id eſt, quæ in Deo ſit, ut intellectio, volitio, decreta; ſive tranſeuntem, ut creatio, conſervatio, concurſus.

Q. 11°. *Quotuplicis generis ſunt Attributa relativa?*

R. Duplicis: alia ſunt ad intra, ſcilicet paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & paſſiva, quibus tres perſonæ ad ſe invicem referuntur: alia ſunt ad extra, dicuntque ordinem ad creaturas, ut omnipotentia, providentia, prædeſtinatio, & reprobatio.

CAPUT V.

De unitate Dei.

Q. 1°. DEus eſt ne unus?

R. De fide eſt Deum eſſe unum. Sic enim docent Scripturæ, Deuter. 6. *Dominus Deus noſter Dominus unus eſt.* 1. Cor. 8. *Nullus eſt Deus, niſi unus.*

Q. 2°. *Quomodo colligitur unitas Dei ex ejus eſſentiâ, quam diximus eſſe exiſtentiam à ſe?*

R. Quia ens à ſe eſt maximè neceſſarium, & illimitatum. Neceſſarium; quia nullam præſupponit potentialitatem, ſed eſt purus actus: illimitatum; quia eſt ens non acceptum, non participatum; ſed ipſum eſſe. Atqui ſi eſſent duo, aut tres Dii, vel haberent eaſdem perfectiones, & ſic non eſſent neceſſarii, ſed ſuperflui; vel non haberent, & ita eſſent limitati & imperfecti. Hinc Tertullianus contra Marcionem lib. 1. cap. 3. *Deus, ſi non unus eſt, non eſt.* Et S. Athanaſius contra Græcos, *Deos*, inquit, *multos admittere, idem eſt, quod nullum agnoſcere.*

Q. 3°. *Poteſt-ne demonſtrari à poſteriore, ſive ex adminiſtratione univerſi, Deum eſſe unum?*

R. Poteſt. Nam tanta eſt ſubordinatio creaturarum ad invicem, ut neceſſe ſit agnoſcere unum

earum Creatorem. Homo, v. g. nec eſſe, nec vivere poteſt ſine elementis, ſine motu, & influentiis ſyderum. Ergo Auctor hominis debet eſſe Dominus terræ, aëris, ignis, cœlorum, ſyderum, & eorum, quæ in eis continentur. Quod dixi de homine, idem dici poteſt de animalibus, plantis, &c. Hoc ferè modo ſanctus Athanaſius urget Paganos: *Non enim*, inquit, *ſi eſſent plures rerum creatarum principes, ſervari poſſet ejuſmodi univerſalitatis ordo, ſed omnia confuſa, & perturbata forent, cùm unuſquiſque omnia ad ſuum arbitrium traheret* Quemadmodum igitur ex œconomiâ, quam videmus, in unoquoque animali, colligimus unam ejus animam: ita ex ordine univerſi intelligimus unum eſſe illius Creatorem, & Dominum.

Dices: Non repugnat eſſe tres perſonas divinas: ergo neque tres Deos.

Probatur conſequentia. Ideo non poſſunt eſſe tres Dii; quia repugnat eſſe tria entia neceſſaria, ſumma bona: Atqui tres perſonæ ſunt tria entia maximè neceſſaria & ſumma bona. Ergo.

R. Nego conſequentiam, & confirmationis ejus minorem. Siquidem tres perſonæ, etſi unaquæque ſit ſummum bonum, & maximè neceſſarium, tamen non ſunt tria ſumma bona, neque tria entia neceſſaria, ſicut neque tres Dii, quia, quamvis inter ſe diſtinguantur realiter, tamen in naturâ divinâ non diſtinguuntur; ſunt enim una eademque res neceſſaria & infinita, tribus veluti modis ſubſiſtens: *Nunc verò*, inquit Sanctus Bernardus L. 5. de conſid. cap. 7. *cùm tres illæ perſonæ illa ſubſtantia ſint, & illa una ſubſtantia tres illæ perſonæ, quis numerum neget? Nam verè tres ſunt. Quis numeret tamen? nam verè unum ſunt.* Sed de hoc myſterio tractatu ſequenti.

CAPUT VI.

De ſimplicitate Dei.

Q. 1°. QUid eſt ſimplicitas?

R. Eſt negatio compoſitionis, illud enim vere eſt ſimplex, quod non componitur ex partibus.

Q. 2°. *Quotuplex eſt compoſitio?*

R. Duplex, realis & rationis.

Q. 3°. *Quid eſt compoſitio realis?*

R. Eſt adunatio partium realiter diſtinctarum, ut animæ rationalis & corporis.

Q. 4°. *Quid eſt compoſitio rationis?*

R. Eſt compoſitio ex partibus per mentem duntaxat diſtinctis, ut compoſitio ex genere & differentiâ, v. g. ex animali & rationali: animal enim & rationale, quæ ſunt partes definitionis hominis, realiter ſunt unum & idem, ſolâque ratione diſtinguuntur.

Q. 5°. *Quotuplex eſt compoſitio realis?*

R. Quadruplex. Prima eſt ex partibus eſſentialibus realiter diſtinctis, v. g. ex animâ rationali, & ex corpore, ex quibus exurgit totum eſſentiale, nempe homo. Secunda, ex partibus integrantibus, v. g. ex membris, quæ efficiunt corpus integrum. Tertia, ex ſubſtantia, & ex ſubſiſtentiâ, ex quibus reſultat unum ſuppoſitum, ſeu una perſona; ſi tamen ſubſiſtentia realiter diſtinguatur à ſubſtantiâ, ut contendunt nonnulli; nulla quippe poteſt eſſe compoſitio realis, niſi partes realiter diſtinguantur. Quarta eſt ex ſubjecto & accidente, ut conjunctio albedinis cum lacte, ex quâ exiſtit album, habitûs vel actûs Philoſophiæ cum hominis mente, ex quâ

homo denominatur vel Philoſophus, vel ratiocinans ſeu cognoſcens; habitus enim ſcientiæ inclinans ad bene diſcurrendum, & actualis diſcurſus aut cognitio non ſunt ipſa hominis natura, ſed ab eâ realiter diſtinguuntur, ac proinde cùm homini accidunt, fit ex eis reale compoſitum per accidens.

Q. 6°. *Quotuplex eſt compoſitio rationis?*

R. Duplex; alia dicitur à Philoſophis compoſitio rationis ratiocinatæ, alia rationis ratiocinantis. Prior eſt cum fundamento, quando ſcilicet res ſimpliciſſima propter multiplices effectus æquivalet pluribus rebus realiter diſtinctis, fundamentumque præbet intellectui illam diverſis conceptibus apprehendendi, v. g. anima rationalis in corpore, cùm ſit realiter una, triplici tamen officio fungitur, vegetat enim, ſentit, & intelligit; unde intellectus noſter in eâ diſtinguit triplicem virtutem, ſcilicet vegetativam, ſenſitivam, & intellectivam, quamvis à parte rei ſit una virtus, quæ ſe extendit ad illos effectus. Fundamentum hujuſce diſtinctionis dicitur diſtinctio virtualis, & ipſa intellectus varia apprehenſio vocatur diſtinctio formalis: illa eſt in ipſo objecto: hæc verò in mente duntaxat. Poſterior compoſitio, nempe rationis ratiocinantis, eſt ſine fundamento in re, & prorſus ludicra, ut ſi quis diceret, Petrus eſt Petrus: in hâc quippe propoſitione diſtingueret Petrum à ſeipſo abſque ullâ ratione & fundamento, cùm Petrus, prout eſt prædicatum, nihil aliud ſignificet, nec menti objiciat, quàm Petrus, prout eſt ſubjectum.

Q. 7°. *Eſt ne in Deo compoſitio realis?*

R. Illam admiſerunt, 1°. Pagani, qui creaturas corporeas, putà ſydera, terram, quadrupedia & reptilia pro diis habuerunt, 2°. ex Judæis

Sadducæi, qui omnem ſpiritum negabant, Act. 23. ac proinde Deum corporeum fingebant. 3°. Ex Chriſtianis quidam in Ægypto Monachi quarto ſeculo magnas in Oriente turbas excitarunt, aſſerentes Deo ineſſe humanum corpus, à quo turpiſſimo errore dicti ſunt Antropomorphitæ. 4°. Spinoſa noſtro ævo ſupra ceteros Hæreticos inſanivit docens Deum eſſe univerſi materiam, cui competit magnitudo & intelligentia; & omnia, ex quibus mundus coaleſcit, ſive corpora, ſive ſpiritus, eſſe hujus immenſæ & æternæ ſubſtantiæ modos, adeo ut obnoxia ſit omnibus mutationibus, paſſionibus, flagitiis, & miſeriis, quæ in orbe cernuntur, cùm ipſa ſola agat, & patiatur, quæ monſtroſa expoſuiſſe, refutaſſe eſt.

Aliam compoſitionem in Deo realem finxit Gilbertus Porretanus Epiſcopus Pictavienſis, ſcilicet ex eſſentiâ divinâ, & ex divinis ejus attributis realiter ab ipsâ diſtinctis, ut contendebat ille. Utrum autem omnia attributa tam abſoluta, quàm relativa ſic diſtingueret, quæſtio eſt inter Theologos. Certè Sanctus Bernardus, quo agente error ille proſcriprus eſt in Concilio Remenſi, præſide Eugenio tertio, & revocatus ab ejus auctore, refert Serm. 80. in Cant. Gilbertum docuiſſe attributa etiam abſoluta realiter diſtingui à naturâ divinâ; ſic enim habet, *recedant novelli, non dialectici, ſed Hæretici, qui magnitudinem, quâ magnus eſt Deus, & item bonitatem quâ bonus, ſed & ſapientiam quâ ſapiens, & juſtitiam quâ juſtus, poſtremò divinitatem quâ Deus eſt, Deum non eſſe impiiſſimè diſputant. Divinitate, inquiunt, Deus eſt; ſed divinitas non eſt Deus.*

Abbas Joachim vir admodum pius, ſed non ita in rebus Theologicis eruditus, incautè ſcripſit tres perſonas eſſe unum Deum, quomodo

tres homines dicuntur unus homo propter naturam communem, ſed differentiis ſingularibus realiter diſtinctam, ut habetur in Concilio Lateranenſi IV. capite *firmiter*, ubi damnatus eſt Joachim error, non perſona, ut quæ ſcripta ſua ante obitum judicio Sedis Apoſtolicæ ſubjeciſſet.

Aëtius & Eunomius Atii Sectatores quarto ſeculo oppoſitum errorem amplexi ſunt, uti opportuniſſimum impietati, quâ negabant Filium Patri conſubſtantialem; nempe docuerunt nullam inter eſſentiam divinam & ejus attributa agnoſcendam eſſe diſtinctionem, neque virtualem aut rationis ratiocinatæ. Unde hæc duo abſurdiſſima colligebant. Primum, non magis filium poſſe dici Deum, quàm ingenitum; cùm ingeniti nomen idem formaliter ſonet ac Deus; Atqui ex Catholicorum conceſſis filius non eſt ingenitus: Ergo ex concedendis nec Deus. Secundum, plenam Dei notitiam, eamque comprehenſivam ſe habere; quia, ſi eſſentia divina ab attributis, & ipſa attributa inter ſe nullatenus diſtinguantur, qui Deum ingenitum eſſe noverit, is plenè Deum noverit neceſſe eſt: atqui Deum eſſe ingenitum optimè ſe noſſe affirmabant: Ergo.

Ad Aëtii & Eunomii ſententiam accedere videntur Nominales, qui eſſentiam divinam & ejus attributa nomine tenus diſtinguunt. Sed de hâc ſententiâ quæſtione ſequenti; nunc ad propoſitam.

R. Nulla eſt in Deo realis compoſitio, ſive ex materiâ & formâ, corpore & Spiritu; ſive ex partibus integrantibus, ſive ex naturâ & proprietatibus aut attributis, ſive ex ſubjecto & accidentibus, cognitione, amore & aliis affectibus.

Probatur

Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ de Deo plerumque loquitur in abſtracto tanquam de formâ ſimpliciſſimâ, & actu puriſſimo, Prov. 8. *Ego ſapientia habito in conſilio.* Dan. 9. verſ. 24. Chriſtus dicitur juſtitia ſempiterna. Joan. 14. Chriſtus de ſeipſo ait: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Joan. 4. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Hic locus ſpeciatim confodit Antropomorphitas; Deus quippe in eo ſimpliciter & in aſtracto aſſeritur Spiritus, cùm veri adoratores participes duntaxat dicantur Spiritus.

Probatur 2°. ex Conciliis Remenſi, Lateranenſi quarto generali, jam laudatis, & Florentino etiam generali, in quo Patres definierunt Seſſ. 18. omnia in divinis eſſe unum quid & idem, ubi non obviat relationis oppoſitio.

Probatur 3°. ex Patribus. Sanctus Irenæus lib. 6. cap. 16. ſic habet, *multùm diſtat omnium Pater ab iis, quæ proveniunt hominibus, affectionibus & paſſionibus; eſt ſimplex, & non compoſitus, cùm ſit totus Spiritus, & totus ratio.* Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 8. *non dicitur bonus*, inquit, *eo quòd virtutem habeat .... eſt enim virtus ipſamet.* Origenes lib. de Principiis cap. 1. ait, *non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore eſſe putandus eſt Deus; ſed intellectualis natura, ſimplex nihil omnino in ſe adjunctionis admittens, ut ſit ex omni parte Monas, & ut ita dicam, totus mens.* Mitto Poſteriores Patres, qui ex profeſſo contra Antropomorphitas ſcripſerunt, ut ſanctum Gregorium Nazianzenum or. 34. Sanctum Auguſtinum variis in locis, *turpiter vana cogitatio eſt*, inquit lib. 12. de Trin. cap. 7. *quæ opinatur Deum membrorum lineamentis definiri atque circumſcribi*, & lib. 5. c. 8. & 10. *hoc eſt Deo eſſe, quòd magnum eſſe; quia ipſe eſt ſua magnitudo; hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipo-*

tentiâ dictum ſit, omnibuſque omnino prædicamentis, quæ de Deo poſſint pronuntiari.

Probatur 4°. ratione duplici. Prima; quia ſi Deus conſtaret partibus realiter diſtinctis, agnoſcenda eſſet cauſa ſuperior & anterior, quæ partes illas coadunaſſet, & in unum compegiſſet, ac proinde ratio divinitatis illi potiùs conveniret, quàm compoſito ab illâ dependenti. Secunda; quia partes illæ ex quibus perficeretur Deus, vel eſſent finitæ vel infinitæ: ſi primum, partes finitæ non poſſunt componere unum infinitum, qualis debet eſſe Deus, quo nihil majus eſt; nam ex duobus vel pluribus finitis ſimul junctis non exurgit niſi unum finitum. Si ſecundum, repugnat componi aliquod totum ſingulis infinitis majus; nam infinito in eſſentiâ nihil poteſt addi. Ita ferè ſanctus Bernardus Serm. 80. in Cant.

Ergo Deus eſt omnis compoſitionis realis expers. *Purus eſt*, inquit ſanctus Bernardus lib. 5. de Conſid. cap. 7. *ſimplex, integer, perfectus, conſtans ſibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in ſe; unum quippe eſt, ſed non unitum; non partibus conſtat, ut corpus: non affectibus diſtat, ut anima: non formis ſubſtat ut omne quod factum eſt: ipſe ſibi forma, ipſe ſibi eſſentia eſt.*

Q. 8°. *Eſt-ne in Deo ſaltem compoſitio rationis?*

R. 1°. Certum eſt eſſentiam divinam ab attributis & abſoluta attributa inter ſe ratione diſtingui.

Probatur 1°. auctoritate Sanctorum Patrum, qui contra Eunomium & Anomæos ſcripſerunt.

S. Baſilius lib. 2. contra Eunomium ſic inſectatur Hæreticum: *Quid, ridiculum non eſt, ſi quis procreandi vim ipſam dicat eſſe eſſentiam: itidem præſcientiam ac denique efficientiam omnem, eſſentiam eſſe ſtatuat? Quid ſi omnia iſta ad unum ſignificatum per-*

tineant? neceſſe eſt, ut idem inter ſe valeant nomina, ut in Polynomeis evenit, cùm Simonem & Petrum & Cepham eundem hominem dicimus. Similia habet ſanctus Gregorius Nyſſenus lib. 12. contra eundem Eunomium.

Sanctus Auguſtinus lib. 8. de Trinit. cap. 4. *aliud eſt*, inquit, *Deum eſſe, aliud Patrem eſſe; ſunt quidem unum inter ſe paternitas & eſſentia; nefas tamen dictu. Patrem paternitate eſſe Deum, paternitate ſapientem, &c.*

Probatur 2°. ratione. Tum agnoſcenda eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, & cum fundamento, cùm res in ſe una æquivalet pluribus realiter diſtinctis, apprehenditurque diverſis conceptibus: ſic in Petro v. g. licèt corporeitas, animalitas, & rationalitas ſint quid realiter unum, mens tamen humana cum fundamento illas diſtinguit propter diverſas illarum affectiones; nec poteſt dici quod idea corporeitatis ſit idea animalitatis, alioquin omne corpus eſſet animal. Atqui Deus in ſe ſimpliciſſimus continet perfectiones, quæ in creaturis realiter ſunt diſtinctæ, varioſque, imo & oppoſitos producit effectus, parcit & punit, illuminat & excæcat, emollit & indurat. Hinc diverſimodè non ſolum appellatur, ſed etiam concipitur, modò juſtus, modò miſericors; neque enim idem omnino ſonat juſtitiæ vox, quod miſericordiæ: Ergo non ſine fundamento eſſentia divina ab attributis, & attributa abſoluta inter ſe ratione diſtinguuntur.

Dixi, *attributa abſoluta;* nam relativa oppoſita, ut paternitas & filiatio, realiter diſtinguuntur.

Confirmatur reſponſio ex judicio Academiæ Pariſienſis, quæ, ut legitur apud Baluſium tom. 4. Miſcellaneorum, Doctrinam Nominalium reprobavit.

R. 2°. Controvertitur in Scholis, an ſicut diſtinctio rationis raciocinatæ, ita & compoſitio Metaphyſica ex genere & differentiâ in Deo ſit amittenda. Alii affirmant; quia illud concipimus conſtare ex genere & differentiâ, in quo apprehendimus aliquid eſſentiale ipſi & aliis commune, & aliud proprium : atqui in Deo concipimus ens quod eſt ipſi cum creaturis commune : & aſeïtatem, quæ eſt ipſi propria : Ergo revera Deus componitur ex genere & differentiâ.

Alii, ut Thomiſtæ, negant in illâ diſtinctione rationis concipi niſi falsò compoſitionem Metaphyſicam ex genere & differentiâ : tum quia SS. Patres, ut Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. & Cyrillus Alexandrinus Dialogo 2. de Trinit. rejiciunt ejuſmodi compoſitionem, *neque genus eſt, neque differentia, neque ſpecies, neque individuum,* inquit ſanctus Clemens : tum quia in omni compoſitione Metaphyſicâ genus concipitur per modum potentiæ perfectibilis, & differentia tanquam forma potentiæ perfectiva, in homine v. g. animal apprehenditur ut potentiale quid determinabile & perfectibile per rationalitatem veluti formam & actum Metaphyſicum : atqui in Deo, licèt aliud apprehendatur, ut commune ipſi & creaturis, aliud ut omnino proprium, nihil tamen cum fundamento menti objicitur ut potentiale; cùm omnis potentia in ſuo formali conceptu dicat perfectibilitatem, ac proinde imperfectionem; ſed ſingula ſe produnt ut formæ & puri actus : Ergo in Deo, quamvis ſit diſtinctio virtualis rationis raciocinatæ, nulla tamen eſt compoſitio rationis ex genere & differentiâ : Enim vero ut ens & aſeïtas in Deo habeant rationem generis & differentiæ, neceſſe eſt ut concipiatur aſeïtas tanquam forma adve-

niens enti, ipſumque determinans ad eſſe tale, quemadmodum rationalitas concipitur advenire animali ex ſe indeterminato & indifferenti ad eſſe hominis aut bruti: atqui ante aſeïtatem, per quam omnia habent quòd ſint poſſibilia, & ſine quâ nihil eſt poſſibile, nullum ens concipi poteſt, cui aſeïtas adveniat illud actuans & determinans, ac proinde ens non poteſt concipi in Deo tanquam genus. Sed illa magis ad Philoſophos, quàm ad Theologos pertinent.

Q. 9°. *Poteſt ne Deus venire in compoſitionem alterius & eſſe pars alicujus totius?*

R. Minimè; quia omnis pars propriè dicta ſive materialis ſive formalis, eſt perfectibilis, perficiturque per unionem cum alterâ parte, quod divinæ perfectioni repugnat, cùm ſit ſumma & infinita. Hinc Theologi in tractatu de Incarnatione, concludunt Verbum per unionem hypoſtaticam perficere quidem naturam humanam, ſed nullatenus ab eâ perfici, nec proinde habere rationem partis propriè dictæ.

Q. 10°. *Simplicitas eſt-ne ita Dei propria, ut non poſſit alteri convenire?*

R. Si per ſimplicitatem intelligatur negatio compoſitionis realis vel ex materiâ & formâ, vel ex partibus integrantibus, vel ex naturâ & ſubſiſtentiâ, ſimplicitas non eſt Dei propria, cùm Angelus nec componatur ex materiâ & formâ, nec ex partibus integrantibus, ut qui ſit incorporeus, nec ex naturâ & ſubſiſtentiâ, cùm in probabiliori ſententia natura & ſubſiſtentia realiter non diſtinguantur.

At ſimplicitas ſumpta pro negatione compoſitionis ex ſubjecto & accidente, ex eſſentiâ & exiſtentia, eſt ita Dei propria, ut nulli creaturæ convenire poſſit; omnis quippe creatura eſt capax accidentium, putà gratiæ, habitûs, actûs:

nulla eſt ſuus actus, ſua cognitio, ſuus amor, nulla exiſtit neceſſariò, ut exiſtentia poſſit eſſe ejus eſſentia.

Solvuntur objectiones.

OBjicies 1°. pro Antropomorphitis, Scriptura ſacra Deo frequenter tribuit membra corporis : oculos, Pſalm. 33. verſ. 16. aures, Pſalm. 129. v. 2. odoratum, Gen 8. v. 21. os, Iſa. 1. v. 20. brachia, Exod. 6. v. 6. manus, Job. 10. v. 8. pedes, Iſa. 66. v. 1. Ergo.

Diſtinguo antecedens, tribuit locutione metaphoricâ, & ad humanæ mentis imbecillitatem accommodata, Concedo : locutione propriâ, Nego antecedens. Job enim cap. 10. v. 4. Deum ſic alloquitur, *Nunquid oculi carnei tibi ſunt :* Iis itaque, & ſimilibus locutionibus ſignificatur Dei efficacia, quæ ſine membrorum officiis cuncta operatur.

Inſtabis 1°. Homo Gen. 1. factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei; Atqui ſi Deus eſſet corporis expers, homo non eſſet ad imaginem Dei; quæ enim convenientia corporis & ſpiritus? Ergo.

Diſtinguo majorem; ad imaginem Dei, quoad animam, Concedo : quoad corpus, Nego majorem : *Inviſibilis Dei imago*, inquit ſanctus Ambroſius in Pſalm. 118. *non in eo eſt quod videtur, ſed in eo utique quod non videtur.*

Inſtabis 2°. Plures ex Veteribus eruditione inſignes Deum corporeum aſſeruerunt, ut Melito Sardenſis, qui ſecundo mediante ſeculo floruit, librumque ſcripſit de Deo corporeo. 2°. Tertullianus, qui lib. contra Praxeam c. 7. ait : *Quis negavit Deum corpus eſſe?* lib. 2. contra Marcion. c. 7. tribuit Deo membra & paſſiones, iram & bilem, ſed non corruptoriæ conditionis, ſicut

in homine. 3°. S. Epiphanius, ex Socrate lib. 6. hiſt. cap. 10. & ex Sozomeno lib. 8. cap. 14. Denique Theophilus Alexandrinus ex iiſdem Hiſtoricis. Ergo Deus non eſt ſine corpore.

Reſpondeo 1°. etiamſi admitteretur antecedens, neganda eſſet conſequentia; auctoritas enim quorundam privatorum prævalere non poteſt contra conſtantem Eccleſiæ Traditionem, quam craſſo & abſurdiſſimo errori ſuprà oppoſuimus.

Reſpondeo 2o. Nullus ex laudatis Patribus in ejuſmodi errorem prolapſus eſt.

Non Melito, quem Euſebius lib. 4. hiſt. cap. 26. & ſanctus Hieronymus lib. de Eccleſiaſticis Scriptoribus, ſummis laudibus efferunt. Origenes quidem illum hujus inſaniæ accuſavit ex Theodoreto, ſed deceptus titulo illius libri, quem videtur non legiſſe; nam Ruffinus titulum Latinè ſic reddidit, *De Deo corpore induto*, ſcilicet per Incarnationem. Nec morari nos debet cenſura Gennadii lib. de dogmat. Eccleſ. cap. 4. cùm præcipiti admodùm judicio Veteres damnare ſoleat, v. g. ſanctum Dionyſium Alexandrinum Arianæ impietatis, & ſanctum Auguſtinum profanæ novitatis.

Non Tertullianus, quamvis à S. Thomâ lib. 1. contra Gentes cap. 2. à ſancto Fulgentio lib. de veritate Prædeſtin. cap. 21. & alicubi à ſancto Auguſtino lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 25. & epiſt. 190. aliàs 157. in hâc parte graviter erraſſe dicatur; namque idem ſanctus Auguſtinus lib. de Hæreſibus illum excuſat. *Tertullianus*, inquit, *ipſum Deum corporeum dicit, licèt non effigiatum; nec tamen creditur hic hæreticus factus; potuit enim putari corpus Deum dicere; quia non eſt nihil.* Enimverò apud Veteres corpus aliquando latiſſimè ſumitur pro eo omni quod per ſeſe conſiſtit, ut

apud Phæbadium Agennenſem, qui diſputans contra Sabellium aſſerentem Filium non diſtingui à Patre, niſi nomine & voce tenus, ſic loquitur: *Sermonis corpus eſt Chriſtus: corpus enim ſpiritus, ſed corpus ſui generis: nam inviſibilis & incomprehenſibilis ſpiritus, numquid tamen inanis & vacua res Deus eſt?* Porrò multa ſuadent Tertullianum non alio ſenſu accipere corpus. Namque in ſimili argumento verſatur contra Praxeam, qui contendebat, Verbum non eſſe rem, nec perſonam, ſed meram vocem & ſonum, & iiſdem verbis illum refellit, quibus Phæbadius minimè ſuſpectus Sabellium. 2°. lib. de carne Chriſti cap. 11. mentem ſuam exponens, ait: *Omne quod eſt, corpus eſt ſui generis. Nihil eſt incorporale, niſi quod non eſt.* Et lib. adversùs Hermogenem, *ſubſtantia corpus eſt rei cujuſque.* Ergo juxta Tertullianum diverſi generis ſunt corpora. Aliud viſibile & in loco extenſum, ut corpus humanum: aliud inviſibile, ſed paſſibile, ut anima rationalis, quàm falsò putavit corpoream; quia credidit paſſibilem: aliud denique inviſibile, nulli loco affixum, & prorsùs impaſſibile. Et hoc tertio modo Deus à Tertulliano dicitur corpus, id eſt, ſubſtantia in ſe conſiſtens: ait enim c. 15. contra Praxeam: *Ante omnia Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus, & locus, & omnia.* Et cap. 29. probat Chriſtum paſſum ſecundùm carnem duntaxat, nec Patrem ei compaſſum fuiſſe: *Si impaſſibilis Pater*, inquit, *utique incompaſſibilis..... tam autem incompaſſibilis Pater, quàm Filius ex eâ conditione, quâ Deus eſt.* Tribuit quidem Deo membra & paſſiones, ſed non corruptoriæ conditionis, ut ipſe loquitur; ſed qualia Scripturæ illi aſcribunt, id eſt metaphorica; nam lib. de Baptiſmo cap. 2. ſimplicitatem numerat inter Dei attributa. *Proh. miſera*, inquit, *incredulitas*

Quæ denegat Deo proprietates ſuas, ſimplicitatem & poteſtatem?

Non Sanctus Epiphanius, neque Theophilus; nihil enim ex eorum ſcriptis proferri poteſt, quod vel minimum errori Antropomorphitarum faveat. Damnarunt quidem libros Origenis, non propter doctrinam, quâ aſſerebat Deum incorporeum, ut calumniabantur Origeniſtæ, ex quorum falſis rumoribus Socrates & Sozomenus ſuam hiſtoriam adornarunt; ſed propter alios errores, ut refert Sanctus Hieronymus lib. de erroribus Joannis Jeroſolymitani, ubi teſtatur ipſummet ſanctum Epiphanium hanc contra ſe criminationem in concione publicâ confutaſſe. Eſto benigniùs cum illis Monachis egerit Theophilus, nec eos à ſuâ communione ſeparaverit, non propterea eorum errori pepercit, ſed eorum imperitæ ſimplicitati, quæ erat potiùs erudienda, quàm punienda, quemadmodum referunt iidem Hiſtorici.

Objicies 2o. pro Gilberto Porretano, illa pluſquam ratione diſtinguuntur, quibus, nemine cogitante, prædicata oppoſita conveniunt: Atqui, nemine cogitante, prædicata oppoſita conveniunt naturæ divinæ, & ejus attributis; nam verum eſt, nemine cogitante, naturam divinam non produci, & filiationem produci: Ergo.

Nego majorem: quia ut prædicata contradictoria de eodem enuntiari poſſint, ſatis eſt, ſi unum & idem habeat diverſos reſpectus; verè enim dicitur de eodem homine, ſimilis eſt & non ſimilis beſtiis: ſimilis per animalitatem, diſſimilis per rationalitatem: cognoſcitivus eſt, & non cognoſcitivus; cognoſcitivus per intellectum, & non cognoſcitivus per voluntatem; quamvis animalitas & rationalitas, intellectus & voluntas ſint una & eadem res. Ita pariter

dici non repugnat, ens increatum producitur, & non producitur : producitur ratione perſonalitatis, nempe filiationis & ſpirationis paſſivæ : & non producitur quatenus natura eſt.

Objicies 3°. pro Eunomianis & Nominalibus : tribuenda eſt Deo ſumma ſimplicitas : atqui major eſſet ſimplicitas, ſi divina attributa non diſtinguerentur ratione ratiocinatâ : Ergo.

Diſtinguo majorem. Summa ſimplicitas realis & actualis intrinſeca, Concedo : rationis, quæ eſt extrinſeca & in ſola mente cogitantis, virtualiter verò & fundamentaliter in Deo, Nego majorem. Imò diſtinctio virtualis & fundamentalis, quæ eſt in Deo, & rationis ratiocinatæ, quæ eſt in homine, arguit majorem Dei perfectionem; quò enim res eſt perfectior, eò ratio plura in eâ diſtinguit; in Petro v. g. diſtinguit ſubſtantiam, corpus, vitam, ſenſum, intellectivum ſeu rationale; in lapide verò, utpote imperfectiori, diſtinguit duntaxat ſubſtantiam, corpus, & ejus differentiam diviſivam. Cùm autem Deus ſit infinitè perfectus in omni perfectionis genere, longè plura diſtinguendi fundamentum præbet.

Inſtabis : falſa eſt apprehenſio, quæ non eſt conformis objecto : atqui apprehenſio quæ diſtinguit Deum inter & divina attributa, non eſt conformis objecto; Deus enim & divina attributa ſunt quid unum : Ergo.

Diſtinguo minorem; ſi apprehenſio diſtinguat affirmando aut negando, Concedo : ſi diſtinguat abſtrahendo tantùm, Nego minorem; nam abſtrahentium non eſt mendacium, inquiunt Philoſophi. Explicatur reſponſio exemplo longioris panni, qui licét menſurari non poſſit, niſi ulna ſæpiùs applicetur, non minùs eſt in ſe unus, nec ulna eſt menſura falſa, ex eo quod

unâ vice non poſſit coextendi integræ panni quantitati : atqui Deus eſt objectum infinitum & infinitas in ſe complectens perfectiones, quos mens humana ſimul & ſemel attingere non poteſt, ſed unâ vice ita apprehendit divinam naturam, alterâ miſericordiam, alterâ juſtitiam, ut non neget eſſe realiter quid unum, in quo eſſet error & falſitas, imò, judicio multiplices illas apprehenſiones ſubſequente, pronuntiat omnes illas perfectiones in Deo non diſtingui.

CAPUT VII.

De immutabilitate Dei.

Q. 1°. D*Eus eſt-ne immutabilis?*

R. Eſt omnino immutabilis.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Malachiæ 3. *Ego... Dominus & non mutor*, Pſal. 101. *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es.*

Probatur 2°. ratione; quia duobus duntaxat modis res aliqua poteſt mutari, ſcilicet vel quidquam ex his quæ habet deperdendo; vel aliud, quod nondum habet acquirendo. Atqui Deus nec poteſt quidquam perdere, cùm ſit ens maximè neceſſarium & ſimpliciſſimum, nec acquirere, cùm ſit infinitus in omni genere perfectionis. Ergo.

Dices; habetur Gen. 6. quòd Deus *tactus dolore cordis intrinſecus*, dixit, *pænitet... me feciſſe eos.* Jerem. 18. *Si pænitentiam egerit gens à malo ſuo... agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi.* Sap. 7. *Omnibus..... mobilibus mobilior eſt ſapientia.* Ergo.

Diſtinguo antecedens, dixit Deus, *pænitet... me*, locutione metaphoricâ & figuratâ, Concedo;

locutione propria, Nego antecedens; namque, ut ait S. Auguſtinus, ita Deum pœnitet, ut non doleat, nec conſilium mutet; Deus quippe ſemper voluit obſtinatos perdere, pœnitentes ſalvare; ſed dicitur pœnitere; quia exteriùs idem facit, quod pœnitens, nimirum quandoque deſtruit quod fecerat, quandoque verò non implet quod priùs comminatus fuerat: cùm autem reſipiſcunt, ipſi mutantur, non Deus. Sic ſapientia dicitur *mobilior*, quia cùm ipſa immota permaneat, ubique operatur, & mutabilia immutat.

Q. 2°. *Immutabilitas eſt-ne Dei propria?*

R. Eſt; quia omnis creatura eſt mutabilis tum ſubſtantialiter, tum accidentaliter; ſubſtantialiter quidem: tum quia tranſit de non eſſe ad eſſe per creationem: tum quia poteſt ſaltem à Deo annihilari, quo ſenſu ſolus Deus dicitur habere immortalitatem; Spiritus enim Angelicus, aut rationalis, quamvis ſit in æternum duraturus, tamen à Deo deſtrui poteſt, & eatenus dicitur mortalis: accidentaliter quoque, quia omnis creatura eſt capax accidentis, putà habitus, & actûs; ſolus enim Deus eſt ſuus actus, ſua intellectio, ſua volitio.

CAPUT VIII.

De perfectione Dei.

Q. 1°. D*Eus habet-ne omnes omninò perfectiones?*

R. Habet. Probatur 1°. ex Scripturâ, Exod. 33. Deus dicit Moyſi, *oſtende omne bonum tibi*, nempe ſeipſum.

Probatur 2°. ratione, quia Deus eſt ens à ſe: atqui ens à ſe eſt ens ex dictis illimitatum: Ergo perfectum in omni genere perfectionis.

Q. 2°. *Quotuplicis generis ſunt perfectiones?*

R. Duplicis, alia dicitur perfectio ſimpliciter ſimplex, alia perfectio ſimplex, & ſecundùm quid.

Q. 3°. *Quid eſt perfectio ſimpliciter ſimplex?*

R. Eſt illa, quæ non pugnat cum majori, vel æquali perfectione, definiturque à ſancto Anſelmo, Menologii cap. 14. ea, quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa. Sic ſubſtantia, ſpiritus, & ſapientia, ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices; quia melius eſt eſſe ſubſtantiam, ſpiritum, & ſapientem, quàm non eſſe.

Q. 4°. *Quid eſt perfectio ſimplex?*

R. Eſt illa, quæ pugnat cum majori, vel æquali perfectione, dicitur que à ſancto Anſelmo, loco mox laudato, ea, quæ non eſt melior ipſa, quàm non ipſa. Unde calor, quia pugnat cum frigore, corpus cum ſpiritu, ſunt perfectiones ſimplices.

Q. 5°. *Quotuplicis generis eſt perfectio ſimplex?*

R. Duplicis, alia ita pugnat cum æquali, ut nullam involvat imperfectionem, ut paternitas & filiatio in divinis, ambæ enim illæ perfectiones relativè opponuntur; adeo ut perſona, quæ eſt Pater, non poſſit eſſe Filius; ſed nihil habent imperfecti; alia perfectio ſimplex habet admixtam imperfectionem, ut animal.

Q. 6°. *Quotuplici modo perfectio aliqua poteſt contineri in alio?*

R. Triplici, nempe formaliter, eminenter, & virtualiter.

Formaliter perfectio continetur in alio, quando continetur ſecundùm eſſentiam, & rationem ſuam formalem: ſic calor formaliter eſt in igne, ſanitas in animali.

Eminenter, quando non continetur ſecundùm propriam rationem & formam, ſed nobiliori

quodam modo. Sic anima vegetativa formaliter non eſt in homine; cùm in eo unica ſit anima rationalis, & ſpiritalis: ſed ineſt eminentiori modo; quia virtus vegetandi nobilior eſt in animâ rationali, quàm in plantâ.

Virtualiter perfectio continetur in alio, quando illud, etiamſi non habeat formam rei contentæ, habet tamen virtutem illam producendi; ſic Sol virtualiter eſt calidus; quia quamvis calore non afficiatur, cetera tamen calefacit.

Q. 7°. *Quomodo omnes perfectiones continentur in Deo?*

R. 1°. Perfectiones ſimpliciter ſimplices ſunt formaliter in Deo, quia Deus utpote à ſe, eſt ens illimitatum, quo nihil melius cogitari poteſt: atqui melius eſt habere perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quàm non habere, eſſe v. g. formaliter ſpiritum, ſapientem, &c. quam non eſſe: Ergo.

R. 2°. Perfectiones ſimplices, quæ nihil dicunt imperfectionis, ut paternitas divina, filiatio, & ſpiratio ſunt formaliter in Deo.

R. 3°. Perfectiones ſimplices, quæ habent admixtam imperfectionem, ut corpus, animal, non ſunt formaliter in Deo, cùm nullam admittat imperfectionem; ſed virtualiter, quia eſt fons & origo omnium perfectionum, & eminenter, quia creaturæ ſunt in illo nobiliori modo, quàm in ſeipſis.

Q. 8°. *Deus, & omnes creaturæ ſimul ſunt ne quid perfectius & melius, quàm Deus ſolus?*

R. Non ſunt quid melius intenſive; quia quidquid bonitatis eſt in creaturâ, reperitur in Deo vel formaliter, vel eminenter. Dicuntur tamen quid melius extenſive & materialiter; quia Deus ſeorſim ſpectatus eſt ſimplex unitas, ex collectione verò Dei, & creaturarum exurgit multitudo & numerus.

Dices : licèt nummus argenteus eminenter contineat ſexaginta aſſes minutæ & vilioris monetæ, tamen ſexaginta aſſes additi nummo argenteo, ſunt aliquid extenſivè & intenſivè melius nummo argenteo ſeorſim ſpectato : Ergo licèt Deus eminenter contineat omnes creaturarum perfectiones, attamen creaturæ Deo additæ efficient aliquid tum extenſivè, tum intenſivè melius.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quòd etiamſi nummus argenteus tanti valeat quanti ſexaginta aſſes, non habet tamen valorem vilioris monetæ proprium, ſed alium æquivalentem. Aptior eſſet comparatio ducta ex corporibus quæ illuminantur à Sole; corpora enim illa lucida cum Sole conjuncta non faciunt aliquid lucidius, quam ſit Sol ipſe ſolus.

Q. 9°. *Quid ex his principiis concludendum eſt Theologo?*

R. Tria attentione digniſſima.

Primum. quòd non ſit beatior, qui plures creaturas cum Deo poſſidet, quàm qui Deum ſolum qui non fruitur majori bono.

Secundum. Quòd ordo charitatis exigat ut ſolus Deus diligatur propter ſe, & cetera in ipſo, & propter ipſum, utpote quæ ſint participationes & emanationes illius infinitæ perfectionis, quemadmodum color eſt ratio amandi omnia colorata quatenus colorata ſunt.

Tertium. Quòd contra rationem, & ordinem charitatis peccet, qui minùs ſe felicem putat, quòd alia, quæ extra Deum cupit, non poſſideat. *Qui aliud præmium petit à Deo*, inquit ſanctus Auguſtinus in Pſal. 72. *& propterea vult ſervire Deo, charius facit quod vult accipere, quàm ipſum, à quo vult accipere. Præmium Dei ipſe Deus eſt: ſi aliud dilexeris, non erit caſtus amor, recedis ab igne immortali, frigeſ-*

ces, corrumperis. Perdidiſti omnem, qui fornicatur abs te. *Huic fornicationi contrarius eſt amor caſtus, qui dicit, mihi adhærere Deo bonum eſt, hoc eſt totum bonum; vultis ampliùs; doleo volentes.*

Q. 10°. *Eſſe perfectum eſt-ne Dei proprium?*

R. Perfectum in aliquo genere tantùm, non eſt proprium Dei, homo enim & lapis ſunt perfecti unuſquiſque in ſuo genere; cùm habeant quidquid ad ſuam integritatem requiritur. Perfectum autem in omni genere perfectionis eſt proprium Dei, quia nulla creatura poteſt eſſe à ſe, ſed eſſentialiter dependet, ac proinde limitata eſt in ſuis perfectionibus.

CAPUT IX.

De bonitate Dei.

Q. 1°. QUotuplex eſt bonum?

R. Triplex, nempe abſolutum, relativum, & morale.

Q. 2°. *Quid eſt bonum abſolutum?*

R. Idem eſt ac perfectum, ſoletque definiri, id cui nihil deeſt vel ex principiis eſſentialibus, ſi ſit bonum tranſcendens, quod eſt proprietas inſeparabilis cujuſque entis: vel ex principiis accidentalibus, ſi ſit bonum accidentale, ut eſſe ſapientem, ſanum, &c.

Q. 3°. *Quid eſt bonum relativum?*

R. Eſt id quod conveniens eſt alteri, ut frigus aquæ, calor igni.

Q. 4°. *Unde res habet, quòd ſit conveniens alteri?*

R. Ex eo, quòd eam perficiat; Ergo perfectivum eſſe, eſt eſſentia boni relativi; ideo enim frigus eſt conveniens aquæ, non igni, quia aquam perficit, non verò ignem.

Q. 5°. *Quid eſt bonum morale?*

R. Eſt actio facta propter bonum finem, & cum debitis circunſtantiis.

Q. 6o. *Deus eſt-ne bonus bonitate abſolutâ & tranſcendentali?*

R. Cùm bonitas tranſcendentalis nihil aliud ſit ex dictis, quàm ipſa rei perfectio, ſequitur Deum non ſolùm eſſe bonum, ſed etiam ſummum bonum tranſcendentale; quia ſumma & infinita eſt ejus perfectio.

Q. 7°. *Deus eſt-ne bonus relativè?*

R. Maximè, quia eſt perfectivus omnium creaturarum, ac proinde ipſis convenientiſſimus; & maximè appetibilis. Ratio eſt, quia perfectio cujuſlibet rei, eſt aſſimilari ſuæ cauſæ; arca v. g. erit perfecta, ſi ſit ſimilis ideæ, quæ eſt in mente artificis. Cùm ergo Deus ſit cauſa rerum omnium, perfectæ erunt, ſi aſſimilentur Deo quantùm natura earum capax eſt hujus ſimilitudinis.

Q. 8o. *Deus eſt-ne bonus bonitate morali?*

R. Eſt; quia ſemper operatur propter bonum finem; nam Prov. 16. v. 4 *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, ac proinde propter finem ſummè bonum.

Dices: ille non eſt moraliter bonus, qui permittit multa peccata, quæ impedire poſſet: atqui Deus permittit multa peccata, quæ impedire poſſet. Ergo.

Diſtinguo maj. ſi teneatur impedire, Concedo: ſi non teneatur, Nego maj. Porrò Deus, utpote cauſa univerſalis, non tenetur impedire ſingula peccata; ſed ſatis eſt, ſi auxilium præbeat aut præparet hominibus, quibus illa vitare poſſint, ſi velint.

Inſtabis: quilibet dominus tenetur impedire peccata ſubditorum, quantùm fieri poteſt: ergo nulla ſolutio.

Diſtinguo antec. quilibet dominus particularis, Concedo; ad hoc enim præpoſitus eſt, ut ſubditos ad Deum, qui eſt ultimus eorum finis, dirigat, removeatque, quantùm poteſt, ſalutis obices; Dominus univerſalis, & Creator, Nego antecedens. De ratione enim ſupremi motoris, eſt ut ſinat cauſas ſecundas agere, quæ cùm ſint defectibiles, non mirum eſt, ſi aliquando deficiant.

Q. 9°. *Deus eſt-ne bonus bonitate accidentali?*

R. Minimè; quia nullum eſt in Deo accidens.

Q. 10°. *Eſt-ne proprium Dei eſſe bonum per eſſentiam?*

R. Priuſquam reſpondeam, advertes aliquid dici bonum per eſſentiam duobus modis, 1°. ut bonitas identificetur eſſentiæ. 2°. ita ut ſit de eſſentiâ habere bonitatem, quæ nulla eſt ſine exiſtentiâ. His præmiſſis.

R. Proprium Dei eſt bonum eſſe per eſſentiam ſecundo modo; quia illud dicitur bonum hoc modo, quod poſtulat eſſentialiter exiſtere; atqui ſolus Deus poſtulat eſſentialiter exiſtere: nam ex dictis exiſtentia eſt ſoli Deo eſſentialis. Hinc Chriſtus Luc. 18 ait, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.*

Q. 11°. *Omnia ſunt-ne bona bonitate divinâ?*

R. Nulla creatura eſt bona bonitate divinâ formaliter, *cetera bona*, inquit S. Auguſtinus, *non niſi ab illo ſunt, ſed non de illo*, alioquin creaturæ dii eſſent. Omnes autem creaturæ ſunt bonæ bonitate divinâ, tum efficienter; quia à Deo ſunt: tum exemplariter; quia in Deo ſunt omnium rerum exemplaria, quibus res aſſimilatæ, bonæ ſunt: tum finaliter; quia res omnes ſunt à Deo ordinatæ ad bonitatem divinam, tanquam ad ultimum finem.

CAPUT X.

De Sanctitate Dei.

Q. 1°. QUid eſt Sanctitas?
R. Eſt perfecta puritas ab omni immunditiâ ſpiritali.

Q. 2°. *Quomodo contrahitur illa immunditia?*

R. Deficiendo à ſummo bono, & adhærendo inferioribus.

Q. 3°. *Quare contrahitur immunditia deficiendo à ſummo bono?*

R. Quia ſummum bonum eſt ultimus finis; deficere autem ab ultimo fine, eſt ordinatio quædam & defectus.

Q. 4°. *Cur etiam contrahitur immunditia adhærendo inferioribus?*

R. Quia ſicut argentum, ſi miſceatur metallo ignobiliori, v. g. ſtanno, redditur impurum; ita animus inquinatur, dum amore adhæret rebus inferioribus, juxta illud Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt.*

Q. 5°. *Quid inde ſequitur?*

R. Quòd ſanctitas noſtra in charitate conſiſtat; per charitatem enim, ſi perfecta ſit, ut eſt in Beatis, immunes ſumus ab omni immunditiâ, quatenus virtus illa animam retrahit ab inferioribus, & perfectè unit Deo, qui eſt ſummum bonum. Perfecta ergo charitas, perfecta ſanctitas eſt, & inchoata charitas, inchoata ſanctitas.

Q. 6°. *Sanctitas eſt-ne attributum divinum?*

R. Certum eſt eſſe, probaturque 1°. ex Scripturâ 1. Reg. 2. *Non eſt ſanctus, ut eſt Dominus.* Exodi 15. *Magnificus in ſanctitate.* Iſa. 6. *Sanctus,*

Sanctus, *Sanctus*, *Dominus Deus exercituum.*

Probatur 2°. ratione, quia Deus utpote ens à ſe, eſt actus purus, ſimpliciſſimus, & immutabilis, ac proinde deficere nequit. Deus ergo ſanctus eſt per eſſentiam, & hoc illi proprium; creatura verò per participationem, quatenus per charitatem puritati increatæ unitur.

Q. 7°. *Cur ſpiritus beati ſanctitatem divinam præ cæteris Attributis admirari, & ei acclamare referuntur?*

R. Duplex ratio afferri poteſt. Prima; quia ſanctitas eſt veluti pulchritudo, & fulgor incomprehenſibilis Dei naturæ, quam diximus eſſe actum puriſſimum, ſimpliciſſimum, & immutabilem. Secunda; quia per ſanctitatis participationem acceſſum habent ad Deum, & fiunt conſortes divinæ ejus naturæ, ac conſequenter ejus ſapientiæ, beatitudinis, immortalitatis, & aliarum perfectionum, quæ creaturæ communicari poſſunt. Temerè ergo Lucifer ſpretâ ſanctitate dixit, *ſimilis ero Altiſſimo*, quia ad Dei ſimilitudinem nullus pervenit, niſi fiat particeps ejus ſanctitatis.

CAPUT XI.

De infinitate Dei.

Q. 1°. QUid eſt infinitum?

Secundùm vim nominis eſt quod finem aut terminum non habet, definiturque ab Ariſtotele, id cujus quantitate aliquâ acceptâ, ſemper aliquid extra ſumere licet. Quantitas autem alia dicitur molis, ut linea, corpus, de quâ hîc non agitur, cùm Deus ſit incorporeus: alia virtutis, quo ſenſu dicitur magna fortitudo, magna ſapientia.

Q. 2°. *Deus eſt-ne infinitus ?*

R. Infinitus eſt in eſſentiâ, & in virtute, juxta illud Pſalm. 144. *Magnitudinis ejus non eſt finis.* Ratio autem patet ex dictis; Deus eſt ens neceſſarium, & illimitatum : ergo non poteſt inveniri finis aut terminus illius virtutis & perfectionis.

Dices : ſi daretur corpus infinitum, excluderet omnia alia corpora : ergo à pari ſi natura divina eſſet infinita, excluderet omnes naturas creatas.

Nego conſequentiam, & paritatem. Quòd enim corpus infinitum (ſi daretur) excluderet quodcunque aliud corpus, id non repetendum eſt ex ratione infiniti, ſed ex impenetrabilitate. Unde ſi corpora ſpoliarentur ſua impenetrabilitate, poſſent eſſe plura in eodem loco, & ita corpus infinitum non excluderet alia, ſicut nec infinitus calor excluderet infinitam ſiccitatem.

CAPUT XII.

De immenſitate Dei.

Q. 1°. QUid eſt immenſitas Dei ?

R. Eſt illimitata diffuſio ſubſtantiæ divinæ, ſeu aptitudo coexiſtendi in infinitis locis.

Q. 2°. *Immenſitas eſt-ne attributum diſtinctum ab infinitate.*

R. Ita eſt; quia per infinitatem præcisè concipitur natura divina nullum habere finem in ſuis perfectionibus : per immenſitatem verò nullo loco concludi; ſed ubique diffundi.

Q. 3°. *Quotuplici modo res poteſt eſſe alicubi ?*

R. Triplici, 1°. per potentiam, quando ſcilicet virtus ejus operatur in aliquo loco, etiamſi

ejus ſubſtantia non ſit ibidem, ſic Sol in cœlo exiſtens dicitur per potentiam præſens terræ; quia virtute ſuâ terram illuminat. 2°. per præſentiam, quando videt quæ fiunt alicubi. 3°. per ſubſtantiam, quando ſubſtantia ejus locum implet.

Q. 49. *Quotuplici modo res poteſt eſſe alicubi per ſubſtantiam?*

Triplici. 1°. circunſcriptivè. 2°. definitivè. 3°. repletivè.

Res eſt circunſcriptivè in loco, cùm per diverſas ſui partes reſpondet totidem loci partibus, ita ut ulteriùs non extendatur. Hic modus exiſtendi in loco proprius eſt corporum. Eſt definitivè, cùm tota eſt in toto loco, & tota in quâlibet loci parte, nec alibi reperitur, quod convenit ſpiritibus; ſic anima rationalis tota eſt in toto corpore, & in quâlibet ejus parte, nec extrà reperitur. Eſt repletivè, quando implet & continet omnia loca, iiſque tribuit virtutem locativam, nec in illis includitur.

Q. 50. *Deus eſt-ne ubique?*

R. De fide eſt Deum eſſe ubique.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Job. 11. *excelſior cœlo eſt ... profundior inferno ... longior terrâ menſura ejus, & latior mari.* Pſalm 138. *quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es: Si deſcendero in infernum, ades.* Jerem. 23. *cœlum, & terram ... impleo.* Baruch. 3. *magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus.*

Probatur 2°. ex SS. Patribus.

Sanctus Hilarius lib. 1. de Trinit. *Deus eſt,* inquit, *ultra omnia, & omnia continet.*

Sanctus Auguſtinus lib. 8. de Gen. ad Lit. cap. 25. ſic ſcribit, *Deus eſt extra omnia non excluſus, intra omnia non incluſus, ſupra omnia non elatus,*

ſubter omnia non depreſſus ; interior omni rei, quia in ipſo ſunt omnia ; exterior omni rei, quia ipſe eſt ſuper omnia. Similia habet S. Gregorius lib. 1. Mor. cap. 2.

Probatur 3o. ratione, quia Deus, cùm ſit ens à ſe, eſt illimitatus & infinitus in omni genere perfectionis : atqui magna eſſet imperfectio, ſi alicubi conſiſtens, locum ſuum deſerere cogeretur, quemadmodum Angelus aut homo, ut alibi præſentem ſe ſiſteret. Hoc agnoverunt ipſi Philoſophi, ac imprimis Ariſtoteles, ut ex Attico refert Euſebius lib. 15. Præparationis Evangelicæ.

Dices : Deus Iſa. 66. ait, *cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Gen. 18. verſ. 21: *deſcendam & videbo, utrùm clamorem ; qui venit ad me, opere compleverint ; an non eſt ita, ut ſciam.* In Evangelio quoque ſæpè legimus Filium exiiſſe à Patre, veniſſe in mundum, & Spiritum ſanctum deſcendiſſe. Denique conſtans eſt Sanctorum doctrina Deum aliquando deſerere peccatorem, & ab eo recedere : Ergo Deus non eſt ubique.

Diſtinguo antecedens. Et hæc dicuntur figuratâ locutione & more humano, Concedo : & hæc dicuntur propriâ locutione, Nego antecedens. Itaque Deus accedit & deſcendit quando nova ſine ſui mutatione operatur, v. g. peccatorem juſtificat, juſtum uberiori auxilio adjuvat : recedit verò & deſerit, quando gratiam ſubtrahit, & opitulari deſinit. Damnati ſunt à Deo deſerti, Deus tamen in inferno adeſt, Pſal. 138. Sic animum dicimus receſſiſſe ab eo qui deliquium patitur, & redire, cum ſenſus conſueta officia repetunt ; quamvis corpus informare non deſierit.

Q. 60. *Quomodo Deus eſt ubique ?*

R. Primo, eſt ubique per præſentiam ; quia

omnia videt, Heb. 4. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.* Et ratio eſt, quia omnia in omnibus operatùr, nec poteſt homo inire conſilium, aut cogitare aliquid ſine Deo concurrente, ut patebit ex ſequenti reſponſione: Itaque,

R. Secundò Deus eſt ubique per potentiam.

Probatur ex Scripturâ, Act. 17. *in ipſo.... vivimus, & movemur, & ſumus.* Inſignis eſt ille locus, & ad probandam noſtram reſponſionem plenè ſufficit. Namque 1o. in ipſo vivimus, non localiter ſicut aves in aëre, aut piſces in aquis; ſed efficienter ſicut anima efficit vitam corporis. *Vita corporis*, inquit ſanctus Auguſtinus Sermone 161. aliàs 18. de verbis Apoſtoli, *anima eſt: vita animæ, Deus eſt.* Signa ergo vitæ in homine, & alio quovis vivente, non minùs, imò magis ſenſibiliter Deum præſentem demonſtrant, quàm ipſam animam. 2o. in ipſo movemur, non ſolùm quia dat omnibus creaturis virtutem agendi; ſed maximè quia immediatè cum illis concurrit ad quamlibet earum operationem, quæ ideo æquè dici poteſt operatio Dei, ac creaturæ. Neque verò propterea peccatum tribuendum eſt Deo, ſed creaturæ deficienti, quemadmodum claudicatio, licèt ſit motus ab animâ profectus, in tibiam tamen malè diſpoſitam, non in ipſam animam eſt rejicienda; anima quippe non claudicat. 3o. In ipſo ſumus, nimirum per conſervationem, quæ eſt continuata rei productio.

Hæc Dei præſentia in rebus elucidari poteſt ex iis, quæ docent Philoſophi de artium diviſione: aliæ, inquiunt, relinquunt opus poſt ſe, ut ars fabrilis, cujus opus, v. g. arca, eſt extra artificem, & remanet poſt ejus operationem: aliæ

aliæ non relinquunt opus poſt ſe, ut ars ſaltatoria, cujus operatio eſt ordinata ſaltatio, & nullum opus. Portò ſicut ſaltatio, licèt diſtinguatur à ſaltante, tamen neceſſe, nec concipi poteſt niſi in ſaltante: ita omnes creaturæ reſpectu Dei: quamvis earum eſſe non ſit pars divinæ ſubſtantiæ, ut blaſphemaverunt Manichæi; ab illa tamen inſeparabile eſt & dependens, non eo modo quo lumen dependet à præſentiâ Solis & continuo ejus influxu; cùm extra illum exiſtat, nempe in aëre; ſed ſicut motus dependet à ſaltante, in quo ita neceſſariò exiſtit, ut nonniſi in illo eſſe & concipi poſſit.

Ergo etiamſi Deus oculis corporeis videri non poſſit, ſicut in ſe eſt, cùm non ſit color; beatis tamen oculis æquè ſenſibiliter videbitur præſens in motibus creaturarum, ac videtur amici animus per colloquia, & alia ſigna, quæ exhibet corporalis ejus præſentia: *ſicut homines*, inquit S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. c. 29. *inter nos viventes, motuſque vitales exercentes mox ut aſpicimus, non credimus vivere, ſed videmus; ita quòcumque ſpiritalia illa lumina corporum noſtrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora contuebimur.* Quòd ſi ſenſus delectabiliter fruuntur præſentiâ amici ob eximias ejus animi dotes, quæ in verbis & aliis exterioribus ſignis elucent; quo modo non Beati, qui Deum, in omni genere perfectionis infinitum, & ideò ſummè dilectum, in omnibus creaturarum motibus præſentiſſimum ſunt conſpecturi? Nunc quidem plus valet, inquit ſanctus Doctor, in nobis fides, quâ credimus Deum in omnibus operari, quàm rerum corporalium ſpecies, quàm per oculos cernimus corporales. Tunc autem nullo opus erit ratiocinio, & ex ipſâ ſpecie corporali Deus illicò cognoſcetur præſens, ac quodammodo ſen-

tietur. Interim creſcat in nobis Dei amor, ſimulque creſcet ſpiritualis noſter intuitus, & ex præſentia Dei ubique operantis prælibabimus aliquid illius ſuavitatis, quam expertus eſt qui dixit, *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, Pſ. 83.

R. 3°. Deus eſt ubique per ſubſtantiam. Veritas reſponſionis patet ex dictis, tum præcedenti reſponſione, tum capite de ſimplicitate Dei; ſi enim Dei virtus diverſa non eſt ab ejus ſubſtantiâ; ubicunque adeſt illa, iſta quoque adſit neceſſe eſt: atqui virtus Dei non eſt diverſa ab ejus ſubſtantiâ; & ubique eſt. Ergo.

Confirmatur auctoritate veterum Theologorum. Sanctus Anſelmus lib. de Incarnat. c. 4. ſic ratiocinatur: *Idem eſt eſſe Dei & poteſtas ejus: ſicut itaque poteſtas Dei eſt ſemper & ubique; ita quidquid eſt Deus, ubique & ſemper eſt.* Et Hugo Victorinus lib. 7. eruditionis Theologicæ: *Si*, inquit, *Dei virtus ubique eſt, cùm alia non ſit Dei virtus quàm Deus; conſtat quòd nuſquam deeſt... ubicumque præſens eſt opere, præſens etiam neceſſe eſt ut ſit deïtate.*

Q. 7°. *Quomodo ſubſtantia Dei præſens eſt ubique?*

R. Præſens eſt non circunſcriptivè; cùm non ſit corporea, & per partes extenſa: neque deſinitivè, quia nullo loco concluditur; ſed repletivè omnia loca non ſolùm implens, ſed etiam in ſe continens ipſa, locorum locus, & cœlis excelſior, & inferno profundior, ut dicitur Job. 11.

Dices: Deus eſt omnipotens, quamvis non omnia producat: ergo à pari erit immenſus, etiamſi ſubſtantia ejus non omnia loca impleat.

Diſtinguo conſequens, etiamſi non omnia loca impleat poſſibilia, Concedo: actualia, Nego conſequens. Itaque ſicut Deus nec eſſet omnipotens, ſi omnia poſſibilia producere, nec æternus, ſi omni tempori poſſibili correſpondere non

poſſet; ita nec immenſus, ſi divina virtus ejus & ſubſtantia omnia loca poſſibilia implere nequiret. Quemadmodum ergo omnipotentia continuo influxu cuncta exiſtentia conſervat, & nihil factum eſt aut fieri poteſt, niſi per ipſam: ſic ſubſtantia divina omnia loca actu exiſtentia implet, poſſibilia vero in infinitum implere poteſt. *Dei ſubſtantia*, inquit S. Auguſtinus lib. contra Adimantum cap. 15. *cùm tota ubique præſens ſit, nullo modo mutari poteſt de loco in locum.*

Inſtabis: non repugnat alterum mundum produci, in qua hypotheſi Deus ſine ſui mutatione inciperet eſſe ubi non erat: ergo nihil vetat, quominus dicatur ſubſtantia Dei nunc eſſe alicubi, nunc abeſſe.

Diſtinguo antecedens, inciperet eſſe, ubi non erat poſitivè, Concedo: ubi non erat negativè, Nego antecedens. Dei ſubſtantia poſitivè eſt alicubi, quando ſpatiis extra ſe poſitis coextenditur & coexiſtit: negativè autem, cùm Deo in ſe exiſtenti, & nuſquam abſenti nullus extra ipſum locus correſpondet. Quemadmodum ergo hic mundus non poteſt dici conditus ubi non erat Deus, ipſe locorum locus, adeo ut rectiùs dicatur mundus eſſe in Deo ratione ejus immenſitatis, quàm Deus in mundo, cùm in illo non includatur, ſitque juxta Tertullianum, extrema mundi linea; ſimiliter mundus alter poſſibilis non eſt, niſi in immenſitate divinâ, cui correſpondere inciperet, nec proinde Deus, ſed ipſe mundus mutaretur. Unde ſanctus Bernardus lib. 5. de Conſid. cap. 6. quærenti ubi erat Deus, antequam mundus fieret, repondet fuiſſe ubi nunc eſt, pergitque, *Non eſt quod quæras ultra, ubi erat? Præter ipſum nihil erat: ergo in ſe ipſo erat.* Ergo, inquam ego, ibi crearetur alter mundus, ubi Deus in ſeipſo eſt; quia præter

ipſum nihil ibi eſt. Spatia extra hunc mundum mera ſunt otioſi ingenii figmenta ex S. Auguſtino lib. 11. de Civit. c. 5. non ſecus ac infinita tempora ante mundum conditum. *Si dicant*, inquit, *inanes eſſe hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus ſit præter mundum; reſpondetur eis iſto modo, homines inaniter cogitare præterita tempora vacationis Dei, cùm nullum ſit tempus ante mundum.*

Q. 8°. *Eſt-ne proprium Dei eſſe ubique?*

R. Eſſe repletivè ubique eſt proprium Dei, quia ſolus Deus eſt ens illimitatum, & infinitum.

CAPUT XIII.

De Æternitate Dei.

Q. 1. QUid eſt Æternitas?

R. Definitur à Boëtio, interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.

Dicitur 1°. *poſſeſſio*, id eſt, duratio, ſeu permanentia in ſuo eſſe; poſſidere enim dicitur, quaſi potens ſedere, quia poſſeſſor alicujus ditionis poteſt in eâ ſedere, & permanere firmiter.

Dicitur 2°. *vitæ*, ſcilicet ſpiritualis, ſeu intellectualis: tum quia in æternis idem eſt eſſe ac vivere, cùm res æterna non ſit mutabilis; tum quia poſſeſſio propia eſt viventium vitâ rationali, aut intellectuali.

Dicitur 3°. *interminabilis*, ut diſtinguatur æternitas à duratione creaturarum, quæ habuerunt ortum in tempore, hæc enim vox, *interminabilis*, ſignificat quod utroque termino caret, nempe fine, & principio durationis.

Dicitur 4°. *tota ſimul*, quo differt æternitas à tempore, quod eſt eſſentialiter ſucceſſivum, &

diviſibile in partes priores, & poſteriores. In æternitate nihil eſt præteritum, ait S. Auguſtinus in Pſalmo 101. quaſi jam non ſit: nihil futurum, quaſi nondum ſit; ſed non eſt ibi, niſi eſt.

Dicitur 5°. *perfecta*, ut diſtinguatur ab ævo, quod eſt duratio creaturarum, quæ licèt ſecundùm ſubſtantiam corruptibiles non ſint, tamen mutationi accidentali obnoxiæ ſunt. Angeli enim novos actus immanentes producunt, nempè novas cogitationes, novos voluntatis effectus, imò hæc particula oſtendit in hypoteſi, quòd creatura exiſteret ab æterno, æternitatem ipſi propriè non convenire quia æternitas ſtrictè ſumpta eſt entis omninò immutabilis, omnis autem creatura mutabilis eſt, cùm creatio ſit tranſitus à non eſſe ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter.

Q. 2°. *Deus eſt ne æternus?*

R. De fide eſt Deum eſſe æternum. Probatur 1°. ex Scripturâ, Deuter. 32. *vivo ego in æternum.* Pſalm. 101. *tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* 1. ad Tim. 6. verſ. 16. *qui ſolus habet immortalitatem*; id eſt, æternitatem; jam enim obſervavimus, quòd in æternitate idem ſit eſſe, ac vivere: atqui Angeli, & Spiritus rationalis, licèt nunquam interituri ſint, tamen in mente Apoſtoli, non ſunt immortales; quia ſemper nec extiterunt, nec vixerunt, & à Deo annihilari poſſunt.

Probatur 2°. ex Patribus. Sanctus Gregorius Nazianzenus Or. 88. *Deus*, inquit, *& erat ſemper, & eſt, & erit; vel, ut rectiùs loquar, ſemper eſt, nam eſt, & erit, rationi temporis congrua ſunt.*

Sanctus Auguſtinus libro 9. Confeſſ cap. 10. *fuiſſe & futurum eſſe non eſt in eo; ſed eſſe ſolùm.*

Boëtius, de Conſolatione lib. 5. Proſâ 6. *Deum æternum eſſe cunctorum ratione præditorum commune judicium eſt.*

S. Anſelmus in Proſologio, *nec tu habes partes, nec tua æternitas... ſed ubique totus es, & æternitas tua tota eſt ſemper.*

Probatur 3°. ratione: Deus ex dictis, eſt immutabilis: atqui mutaretur, niſi eſſet æternus, quia aut inciperet, aut deſineret eſſe.

Dices 1°. Ibi datur ſucceſſio, ubi temporis præteriti, & futuri differentiæ occurrunt: atqui in duratione Dei ſucceſſionem reperire eſt: Dicitur enim, *in principio erat Verbum*, quod eſt præteriti temporis, & Apoc. 1. *qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*: Ergo.

Diſtinguo majorem, ubi occurrunt differentiæ temporis formaliter, Concedo: eminenter, Nego: Diſtinguo ſimiliter minorem, in duratione Dei differentiæ temporis occurrunt formaliter, Nego; nulla enim in Deo eſt ſucceſſio: eminenter, Concedo; Deus enim ſuâ æternitate complectitur omnia tempora, quatenus reſpondet motibus, qui in diverſis temporis partibus fiunt, quod eleganter explicat ſanctus Auguſtinus Tract. 99. in Joan. his verbis, *quamvis natura illa ineffabilis non recipiat* fuit, & erit; *ſed tantùm* eſt; *ipſa enim veraciter eſt, quia mutari non poteſt; tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus verſatur noſtra mortalitas, & noſtra nobilitas, non mendaciter dicemus; fuit, erit, & eſt: fuit in præteritis ſeculis: erit in futuris: eſt in præſentibus: fuit, quia nunquam defuit: erit, quia nunquam deerit; eſt, quia ſemper eſt. Neque enim velut qui jam non ſit, cum præteritis occidit: aut cum præſentibus, velut qui non maneat, labitur: aut cum futuris, velut qui non fuerat, orietur. Proinde cùm ſecundùm volumina temporum locutio humana varietur, qui per nulla deeſſe potuit, aut poteſt, aut poterit tempora; vera de illo dicuntur cujuſlibet temporis verba.*

Inſtabis: generatio Verbi divini jam diu præ-

terit, nec poteſt Verbum dici hodie generari; alias non eſſet æternum.

Diſtinguo: non poteſt dici Verbum hodie generari, ſi per illud vocabulum, *hodie*, intelligatur illa pars temporis determinata, quæ fuit; excludendo præcedentes, Concedo; nam generatio Verbi non ſolùm eſt ante tempus præſens, ſed etiam ante omnia tempora præterita; ſi per, *hodie*, intelligatur ipſamet duratio, quæ cùm ſit entitas ſimpliciſſima, correſpondet omnibus partibus ſucceſſivis, Nego. Itaque generatio Verbi divini, quia eſt æterna, etiam hodie durat, & in æternum perſeveratura eſt. Filius Dei ſemper generatur; ſemper actu eſt genitus. Unde Pater ad filium: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: nec generatio illa menſuratur tempore, ſed æternitate, imo eſt ipſa æternitas. Attamen in Scripturis explicatur per verbum temporis præteriti, *erat*, ut intelligamus per, *erat*, non eſſe ſucceſſivam, ſed totam ſimul & completam, nec unquam in motu, ſed in termino, nunquam *in fieri*, ſed ſemper *in facto eſſe*.

Urgebis: non poſſunt in inſtanti duo contradictoria ſimul eſſe vera: atqui ſi in æternitate non datur ſucceſſio, ſequitur in eodem inſtanti durationis duo contradictoria eſſe vera, v. g. quòd Petrus in eodem inſtanti æternitatis non ambulet, & ambulet.

Diſtinguo majorem, in eodem inſtanti virtuali, Concedo: in eodem inſtanti reali, quod eminenter continet ſucceſſionem omnium durationum, Nego majorem. Itaque licèt æternitas formaliter non ſit extenſa; tamen eminenter, extrinſecè, & connotativè poteſt dici extenſa, quatenus ſcilicet rerum omnium tempora, quæ ſucceſſiva ſunt, ipſi correſpondent. Unde licèt

in eodem inſtanti reali æternitatis verum ſit Petrum ambulare, & non ambulare, tamen id non eſt verum de inſtanti virtuali.

Dices 2°. Illa duratio dicit ſucceſſionem, quæ ſuſcipit majus, & minus: atqui Deus hodie plus duravit, quam ante mille annos: Ergo.

Diſtinguo majorem, quæ ſuſcepit majus, & minus intrinſecè & formaliter, Concedo: quæ ſuſcipit majus, & minus extrinſecè tantùm, & connotativè; Nego majorem. Etiamſi itaque dicatur Deus extitiſſe per longius ſpatium temporis noſtri, quam ante mille annos, hoc nihil reale ponit in Deo; quia per mille annos nihil acquiſivit, nihilque habet reale nunc, quod non ſemper habuerit. Atque ad hoc explicandum, confert exemplum arboris ſtantis in littore alicujus fluminis: quemadmodum enim arbor illa variis partibus fluminis paulatim labentibus, eadem ſemper manet, nec quidqam acquirit niſi diverſos reſpectus ſeu relationes præſentiæ ad diverſas fluminis partes, quæ ſucceſſivè fluunt ad illius radices; ita creaturæ ſucceſſivè correſpondent æternitati Dei, realiterque mutantur; Deus autem ſemper idem eſt, immotuſque manens dat cuncta moveri.

Q. 3°. *Æternitas eſt-ne ita propria Dei, ut non poſſit convenire creaturæ?*

R. Affirmant Sancti Patres, qui unanimiter concludunt adversùs Arianos Verbum non eſſe creaturam, ex eo quòd in Scripturis dicatur æternum. Et ratio eſt, quia quod eſt æternum, eſt immutabile, nec initium nec finem habere poteſt ſive in ſuo eſſe, ſive in ſuis affectionibus; eadem ſemper ejus cognitio, idem amor interminabilis: atqui ſolus Deus eſt immutabilis: Ergo.

Dices, Deus eſt ab æterno omnipotens: Ergo ab æterno potuit producere creaturas.

Diſtinguo conſeq. potuit ab æterno producere creaturas in tempore, Concedo : potuit producere in æternitate, Nego conſequentiam : hoc enim repugnat : quemadmodum etſi Deus ab æterno ſit omnipotens, non ſequitur quòd poſſit producere montem ſine valle. Porrò mons ſine valle non magis repugnat, quàm eſſe creatum & æternum ſimul.

CAPUT XIV.

De inviſibilitate Dei.

TRiplex poteſt eſſe alicujus rei viſio, ſcilicet abſtractiva, intuitiva & comprehenſiva.

Viſio abſtractiva habetur per alienam ſpeciem, ut cognitio animæ rationalis, quam haurimus ex ejus operationibus, ideo enim colligimus animam rationalem, quam non videmus, eſſe ſubſtantiam ſpiritalem, quia ſentimus illam ſpiritaliter operari.

Eſt intuitiva viſio, cùm res videtur in ſe, & per propriam ſui ſpeciem, quomodo ſenſus percipiunt ſua objecta, viſus, colores, guſtus, ſapores, &c.

Comprehenſiva dicitur, cùm res cognoſcitur non ſolùm ut in ſe eſt, ſed inſuper eâ omni claritate & perfectione, quâ cognoſcibilis eſt.

Diſcrimen viſionis intuitivæ & comprehenſivæ patebit quibuſdam exemplis, 1°. eorum quorum alter habeat ſenſus, v. g. guſtum & olfactum, ſubtiliores, alter magis obtuſos : ambo totum ſaporem & odorem percipiunt, cùm omnes gradus ſaporis & odoris indiviſibiliter moveant ad ſui perceptionem : unus tamen altero perfectiùs guſtat & olfacit. 2°. tota propoſitio

per rationem probabilem cognoſcitur, mens enim apprehendit prædicatum, ſubjectum, & utriuſque connexionem, in quibus tota conſiſtit: non comprehenditur tamen, quia ampliùs cognoſcibilis eſt, nempe per demonſtrationem. 3°. Diſcipulus & magiſter percipiunt veritatem primorum principiorum, utpote quæ ſint per ſe evidentia & naturaliter nota; ſed magiſter longè perfectiùs illa cognoſcit, cùm in illis videat concluſiones, quæ diſcipulum latent. Ex his autem facilè colligitur, quî fieri poſſit, ut cùm omnes beati Deum videant, ut eſt in ſe, alii aliis pleniùs illum cognoſcant, & ideo feliciores ſint.

Queſtio hîc non movetur de viſione abſtractivâ; cùm conſtet ex dictis de exiſtentiâ Dei, ex creaturis Deum naturaliter cognoſci; ſed de viſione duntaxat intuitivâ & comprehenſivâ, de quibus plura tractanda occurrunt. 1°. utrùm Deus ſit naturaliter viſibilis & comprehenſibilis. 2°. utrùm ſupernaturaliter comprehendi poſſit ab intellectu creato. 3°. an ſaltem videri queat ſupernaturali lumine. 4°. utrùm ſupernaturalis illa viſio poſſit haberi oculis corporeis. 5°. utrùm aliquibus ſanctis ante mortem fuerit conceſſa. 6°. utrùm animæ ſeparatæ & omninò purgatæ beatâ illâ viſione fruantur. 7°. quot requirantur, ut intellectus creatus Deum intuitivè videat. 8°. utrùm viſio beatifica ſit æqualis in omnibus 9°. unde repetatur viſionis inæqualitas. 10. quænam beati in Deo videant & non videant.

Paragraphus I.

Utrùm Deus ſit naturaliter viſibilis & comprehenſibilis?

Dubium eſſe non poteſt, quin Deus naturaliter ſeipſum plenè cognoſcat & comprehendat; cùm ejus cognitio ſit ipſamet ejus eſſentia, ac proinde infinita in omni genere perfectionis.

Nec dicas illud, quod comprehenditur cognoſcentis cognitione finiri, ex ſancto Auguſtino, Deum verò, utpote infinitum, nullâ cognitione finiri poſſe. Objectum enim dupliciter cognitione finiri poteſt: vel poſitivè, quando cognitio, quæ de illo habetur, pertingit ad ultimum ejus terminum, quomodo quantitas bipedalis finitur cognitione illius, qui videt duo ejus extrema: vel negativè; quando nihil eſt in objecto, quod non cognoſcatur plenè & omni modo quo cognoſcibile eſt; ſic in hypotheſi quòd daretur linea infinita, Deus compreherderet illam, & cognitione ſuâ finiret, non quidem poſitivè, quaſi extrema illius, quæ nulla ſunt attingeret; ſed negativè, quatenùs omnimodè cognoſceret illam infinitam. Porrò Deus hoc poſteriori modo finitur cognitione ſuâ comprehenſivâ. Itaque

Quæritur hîc duntaxat de intellectu creato, ſive exiſtenti, ſive poſſibili, utrùm naturaliter Deum videre & comprehendere poſſit.

Non defuerunt qui illud affirmare auſi fuerint. Quarto enim ſeculo nonnulli ex Arianis, dicti Eunomiani ab Auctore ſuo Eunomio, & Anomæi à dogmate, quò apertè pronuntiabant Filium eſſe Patri diſſimilem; (cùm alii Ariani illum ſubdolè ſimilem confiterentur; ſed eo ſenſu, quo

Digitized by Google

Adam legitur factus ad ſimilitudinem Dei ;) ἀνόμοιος, quippe diſſimilitudinem ſignificat : illi, inquam, dicebant ſe Deum naturaliter plenè cognoſcere & comprehendere. Contra hunc errorem ſtylum acuerunt Sancti Patres, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, qui plures homilias habuit ad populum de incomprehenſibili naturâ Dei, Theodoretus, & alii.

Beguardi decimo quarto ſeculo errorem jampridem extinctum ex parte ſuſcitarunt, ac propterea damnati in Generali Concilio Viennenſi ſub Clemente quinto. Quare ad propoſitam quæſtionem.

R. De fide eſt Deum lumine naturali nec comprehendi, nec videri poſſe.

Probatur 1o. ex Scripturâ, Joan. 14. verſ. 21, *Qui diligit me... manifeſtabo ei meipſum.* Rom. 6. v. 1. *Gratia Dei vita æterna.* 1. ad Tim. 6. v. 16. *Lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.*

Probatur 2o. ex Patribus, qui Anomæis ſunt antiquiores.

Sanctus Iræneus lib. 4. cap. 34. ſic ſcribit, *videbitur* (Deus) *in regno cœlorum ſpiritu præparante hominem in filium Dei.*

Origenes, lib. 1. de principiis cap. 1. *mens noſtra*, inquit, *ipſum per ſe Deum ſicut eſt, non poteſt intueri.*

Superfluè proferrentur Patrum textus, qui ex profeſſo errorem Anomæorum confutarunt, quoſque jam indigitavimus.

Probatur 3°. ratione. Quia debet eſſe proportio inter facultatem cognoſcitivam & objectum cognoſcibile : atqui non eſt proportio inter Deum & intellectum creatum : Ergo.

Major probatur, quia facultas inferioris ordi-

nis proportionem non habet cum objecto ſuperioris ordinis; v. g. ſenſus corporeus cum objecto ſpiritali, puta Angelo: atqui Deus, utpote actus puriſſimus, illimitatus & infinitus, eſt ſuperioris ordinis reſpectu cujuſque intellectûs creati: Ergo ſicut oculus par non eſt, ut videat Angelum; ita nec intellectus creatus, ut Deum intuitivè cognoſcat.

Confirmatur: actus per ſe tendens ad viſionem beatificam, ut actus fidei, ſpei, & charitatis, eſt entitativè ſupernaturalis, ut docent Theologi tractatu de Gratiâ, ergo à fortiori ipſa viſio beatifica.

Dices 1o. ex ſancto Auguſtino lib. 4. de Civit. Dei c. 27. peccatum eſt ſola cauſa, cur Deum non videamus: ergo remoto peccato Deum naturaliter videremus.

Diſtinguo antecedens: ſola cauſa moralis quatenus nos privat auxiliis, quibus finem ſupernaturalem, ad quem ordinati ſumus, obtineremus, Concedo: cauſa phyſica, quemadmodum qui alterius oculos erueret, aut clauderet, eſſet cauſa cur ille non videret, Nego anteced.

Dices 2o. homo naturaliter conſequi poteſt ſuum finem: atqui ultimus hominis finis eſt viſio beatifica: Ergo.

Diſtinguo majorem: ſuum finem naturalem, concedo: ſupernaturalem, nego majorem. Porrò viſio beatifica eſt finis ſupernaturalis.

Paragraphus II.

Utrùm viſio Dei comprehenſiva ſupernaturaliter ſit homini poſſibilis.

R. Minimè.

Probatur 1o. ex Scripturâ Jobi 9. *qui magna facit, & incomprehenſibilia.* Jeremiæ 32.

v. 19. *magnus conſilio; & incomprehenſibilis cogitatu.*

Probatur 2°. ex Concilio Lateranenſi quarto, cap. *Firmiter. Credimus*, inquiunt Patres, *quòd ſit Deus incomprehenſibilis.*

Probatur 3°. ex Patribus. Sanctus Epiphanius hæreſi 99. ſic habet, de Beatis, qui ita vident Deum, ut tamen illum comprehendant: *Veluti ſi quis per anguſtum foramen cœlum aſpiciat ac dicat, video cœlum: non utique mentietur, videt enim revera cœlum. Quòd ſi quis acutè ei dicat: non vidiſti cœlum: neque iſte mentietur... quippe non vidit illius exporrectionem, neque altitudinem.*

S. Auguſt. ſerm. 117. aliàs 38. de verbis Domini, de Deo ait: *Quid mirum, ſi non comprehendis? Si enim comprehendis non eſt Deus... attingere aliquantùm mente Deum magna beatitudo eſt: comprehendere autem omnino impoſſibile.* His adde Patres, qui Anomæos impugnarunt; probant enim Deum nequidem ſupernaturaliter comprehendi poſſe, ut ſanctus Cyrillus Jeroſolymitanus catecheſi 96. *qui ex Deo eſt*, inquit, *vidit Deum, cujus faciem ſemper Angeli vident in cœlis: vident autem pro menſurâ ordinis ſui:* Et ſanctus Chryſoſtomus hom. 4. de incomprehenſibili Dei naturâ: *non de naturâ*, inquit, *humanâ ſolùm ait, Deum nullus unquam vidit, ſed etiam de virtutibus ſupernis... hinc Evangeliſta neque ipſis virtutibus ſuperis Deum eſſe comprehenſibilem dixit.*

Probatur 4°. ratione; quia nulla creatura eſt capax actûs infiniti: atqui viſio Dei comprehenſiva eſt actus infinitus: Ergo.

Dices 1°. Ex Apoſtolo 1. Cor. 13. *tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*: atqui Apoſtolus cognitus erat viſione comprehenſivâ: Ergo.

Diſtinguo majorem: cognoſcam cum aliquâ proportione ſicut cognitus ſum; quemadmodum alibi dicitur, quòd videntes Deum ſimiles ei erimus, Concedo: eâ omni claritate, quâ cognitus ſum, Nego majorem.

Dices 2°. Qui totum Deum vident, ii ſanè illum comprehendunt: atqui Beati totum Deum vident: Ergo.

Diſtinguo minorem: totum Deum vident ſine eâ omi claritate, quâ viſibilis eſt, Concedo: vident omni claritate, Nego minorem. Itaque Beati totum Deum vident; cùm ſit ens ſimpliciſſimum; ſed non vident eo omni modo quo viſibilis eſt.

Paragraphus III.

Utrùm viſio Dei intuitiva ſupernaturaliter ſit homini poſſibilis?

R. De fide eſt Deum à Beatis intuitivè videri. Probatur 1°. ex Scripturâ Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Illud autem dictum eſſe de viſione intuitivâ intellexerunt Apoſtoli, nempe ſanctus Paulus 1. Cor. 13. ubi ſic ſcribit: *nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Et S. Joannes Epiſt. 1. cap. 3. *Cùm apparuerit*, inquit, *ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Matth. 18. *Angeli eorum* (parvulorum) *in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.*

Probatur 2°. ex Concilio Florentino ſeſſ. 26. in Decreto unionis cum Græcis, ubi ſtatuitur animas corporibus exutas clarè intueri Deum ſicuti eſt. Idipſum jam definierat Benedictus XII. in Extravagante, *Benedictus Deus.*

Probatur 3°. ex ſanctis Patribus.

S. Irenæus lib. 4. cap. 37. *Homines*, inquit, *videbunt Deum & vivent per viſionem, immortales facti, & pertingentes uſque ad Deum.*

S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, explicans hunc Exodi textum, *nemo videbit faciem meam, & vivet*, ait: *perſpicuum eſt nullum unquam*

vitæ ſuæ (mortalis) *tempore poſſe Deum clarè comprehendere ; qui autem ſunt mundi corde, Deum videbunt, poſt quam extremam perfectionem attigerint.* Ubi videre, & comprehendere indiſcriminatim uſurpantur, nondum ſcilicet exortis hæreſibus, propter quas Patres deinceps cautiùs locuti ſunt.

S. Hieronymus lib. 1. in Iſaïam : *Homo*, inquit, *Dei faciem videre non poteſt. Angeli autem etiam minimorum in Eccleſiâ ſemper vident faciem Dei. Et nunc in ſpeculo videmus, & in ænigmate : tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus.*

S. Auguſtinus Epiſt. 147. aliàs 112. ſic ſcribit : *Deſiderium veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt, & inhianter ardeſcunt, non opinor in eam ſpeciem contuendam flagrat, quâ, ut vult, apparet quod ipſe non eſt; ſed in eam ſubſtantiam, quâ ipſe eſt quod eſt.* Et Epiſtolâ 148. aliàs 111. *negare non poſſumus filios Dei viſuros Deum.*

Sanctus Gregorius lib. 18. Mor. cap. 28. *Sciendum eſt*, inquit, *quòd fuêre nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illâ regione beatitudinis in claritate quidem conſpici, ſed in naturâ minimè videri, quos nimirum minor inquiſitionis ſubtilitas fefellit ; neque enim ſimplicis, & incommutabilis eſſentiæ aliud eſt claritas, & aliud natura. Sed ipſa Dei natura ſua claritas, ipſa claritas natura eſt... ipſe* (Chriſtus) *pollicetur dicens :* qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum : *ac ſi patenter dicat, qui in veſtrâ, reſtat ut in meâ me naturâ videatis.*

Dices 1°. 1. Timoth. 1. v. 17. Deus dicitur inviſibilis ; & cap. 6. v. 17. habitare lucem inacceſſibilem : Ergo.

Diſtinguo antecedens, juxta varias ſanctorum Patrum interpretationes, inviſibilis & inacceſſibilis oculis corporeis, ex Origine, concedo : oculis mentis, ſubdiſtinguo, naturæ viribus, ex ſan-

ctis Gregorio Nazianzeno, & Nyſſeno, Concedo: gratiæ beneficio, iterum ſubdiſtinguo, in hâc vitâ cum S. Gregorio, Concedo: in alterâ, ſubdiſtinguo, cum ſanctis Ambroſio & Auguſtino, viſione comprehenſivâ, Concedo: viſione intuitivâ: Nego.

Inſtabis: atqui ſoli Filio Pater viſibilis eſt, & inacceſſibilis etiam in alterâ vitâ. Nam Joan. 6. v. 46. legitur, *non quia vidit quiſquam Patrem, niſi is, qui eſt à Deo.* Et. Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Ergo.

Diſtinguo antecedens, quiſquam hominum, Concedo: quia nondum cœli janua iis fuerat reſerata: quiſquam Angelorum, ſubdiſtinguo, vidit intuitivè, Nego: vidit comprehenſivè, Concedo; hoc enim eſt privilegium unigeniti, qui eſt in ſinu Patris. Ita ſanctus Chryſoſtomus Hom. 14. in Joan *in ſinu Patris eſſe*, inquit, *majus quidquam eſt, quàm videre. Qui enim tantùm videt, non habet exquiſitam ejus, quod videt cognitionem.*

Inſtabis iterum: Atqui nemo Angelorum etiam intuitivè Deum videt, ex 1. Petri cap. 1. v. 12. ubi ſic legitur, *in quem deſiderant Angeli proſpicere*, is quippe non videt, qui videre deſiderat: Ergo.

Nego ſubſumptum, cujus confirmationem diſtinguo cum ſancto Gregorio lib. 28. Moralium cap. 18. deſiderant perſpicere deſiderio excludente faſtidium, quomodo comedens, qui ad ſatietatem non pervenit, deſiderat comedere, Concedo: deſiderio excludente præſentiam & fruitionem, Nego. *deſiderant igitur*, inquit ſanctus Doctor, *ſine labore, nam deſiderium ſatietas comitatur, & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur.*

Dices 2°. Sancti Patres, Ambroſius, Hieronymus, plerique Græci, ac præſertim ſanctus Chry-

ſoſtomus & Theodoretus, negant divinam naturam unquam fuiſſe viſam, ſive ab hominibus ſive ab Angelis. S. quidem Chryſoſtomus Hom. 14. in Joan. ſic ſcribit, *id quod eſt Deus, non modo Prophetæ non viderunt, ſed neque Angeli, neque Archangeli.* Idem oratione 2. 3. & 4. de incomprehenſibili Dei naturâ, totus eſt ut illud ipſum probet. *Quamobrem*, inquit oratione 4. *non de naturâ hominum ſolùm ait, Deum nullus unquam vidit, ſed etiam de virtutibus ſupernis.* Theodoretus autem in c. 14. Epiſtolæ 1. ad Corinth. expendens illa Apoſtoli verba, *tunc facie ad faciem*, ait, *hîc videmus Symbola Dominici corporis; illic autem ipſum Deum videbimus; id enim ſignificat, facie ad faciem. Videmus autem ejus, non quæ ſub aſpectum non cadit, naturam, quæ à nullo cerni poteſt; ſed eam quæ de nobis ſumpta eſt.* Idem repetit, & multis confirmat Dialogo primo cum Eutychianis. *Si ergo*, inquit, *neque ab hominibus (dico ego) nec ab Angelis, videri poteſt divina natura, dic quomodo in terrâ is viſus eſt, qui cerni & conſpici non poteſt?* Et infrà, *ſic ergo de Angelis intelligamus audientes*, quòd ſemper vident faciem Patris veſtri qui in cœlis eſt. *Non enim vident divinam ſubſtantiam; quæ nec circumſcribi, nec comprehendi, nec mente percipi poteſt: ſed ſpeciem quandam ipſorum naturæ accommodatam. Poſt incarnationem verò viſus eſt etiam Angelis, non in ſimilitudine gloriæ, ſed vero ac vivo ut ens, quaſi velamine, carnis integumento.*

Ergo viſio Dei intuitiva ex communi Patrum ſententiâ impoſſibilis eſt etiam ſupernaturaliter. Et hanc ſententiam amplexi ſunt Armeni & Græci, ex Armacano lib. 14. de Quæſtionibus Armenorum, & Guidone Carmelita in Summâ de hæreſibus; cui etiam adhæſiſſe Petrum Abaïlardum teſtatur S. Bernardus Epiſt. 190.

Nego conſequentiam. Ad antecedens verò.

R. 1º. Duplici ex causâ veteres non ita identi-

dem accuratè fuiſſe locutos. 1°. Quòd cum Anomæis, qui perfectam & comprehenſivam Dei viſionem ſibi arrogabant, plerique decertarent.

Notum eſt autem Patres in ejuſmodi certaminibus, ab adverſariis ad extremas videri & penitus oppoſitas partes declinare. Annon viſus eſt Eutychianis Sanctus Cyrillus Alexandrinus negare in Chriſto duas naturas, cùm contra Neſtorium unicam perſonam, eamque divinam aſſereret, & ſanctus Auguſtinus in hæreſim Manichæorum relabi, cùm contra Pelagianos veritatem peccati originalis aſtrueret? 2°. Quòd, cùm nemo negaret intuïvam Dei viſionem, ſecuriùs loquerentur, ut obſervat in ſimili caſu Sanctus Auguſtinus. Ita enim ſeſe intelligi arbitrabantur, quomodo in Eccleſiâ credebatur. His itaque præmiſſis.

R. 2°. Diſtinguendo antecedens: ſubſtantia divina ne ab Angelis quidem videtur viſione exquiſitâ & comprehenſivâ, ut contendebant Anomæi, Concedo: viſione intuitiva, juxta captum naturæ creatæ, & ſecundùm quendam condeſcenſum, ut loquuntur illi Patres, Nego antecedens.

Inſtabis 1°. Atqui condeſcenſus, de quo loquuntur Patres laudati, ſimilis eſt condeſcenſui, quo Deus ſe videndum præbuit antiquis Patriarchis: ergo ſicut patriarchæ per illum condeſcenſum non viderunt Dei ſubſtantiam, ita nec Angeli.

Diſtinguo ſubſumptum; ſimilis eſt cum aliqua proportione, ſeu analogicè, Concedo: ſimilis eſt perfectè & univocè, Nego ſubſumptum; nam laudati Patres ſcribunt illum condeſcenſum eſſe ſecundùm captum intuentium. Quis autem neget longè majorem eſſe capacitatem in Angelis beatis, quàm in hominibus viatoribus? Con-

deſcenſus itaque reſpectu Patriarcharum excludit viſionem intuitivam, non verò reſpectu Angelorum.

Inſtabis iterum; Theodoretus in laudato Dialogo, ſcribit Angelos Deum non vidiſſe, niſi peractâ Incarnatione: atqui peractâ Incarnatione non vident Deum comprehenſivè: Ergo ante Incarnationem nequidem intuitivè viderunt.

Diſtinguo minorem. Comprehenſivè non vident ſecundùm naturam divinam, Concedo: ſecundùm naturam aſſumptam, Nego minorem. Atque ut percipiatur mens Theodoreti, obſervandum eſt ipſum diſputare cum Eutychiano, qui juxta ſectæ ſuæ dogma contendebat naturam humanam in Chriſto abſorptam fuiſſe à divinitate, ac conſequenter ſtatuebat Deum poſt Incarnationem viſum fuiſſe ſicut eſt in ſe, idque probat ex illo textu Baruch cap. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Contra Theodoretus opponit verba Evangelii Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam*, ex quibus concludit Patriarchas & Prophetas Deum non vidiſſe niſi in alienâ formâ. Sed poſtquam Deus caro factus eſt, juxta illud Joan. 1. *Verbum caro factum eſt*, jam in terris viſus eſt, & in cœlis Angelis apparuit, quæ Apoſtoli verba Theodoretus interpretatur de viſione comprehenſiva, quam non habuerant, priuſquam Deus fieret homo, quia hoc exquiſito modo cognoſci non poteſt, niſi ſecundùm naturam à ſe aſſumptam: *non enim*, inquit, *vident divinam ſubſtantiam, quæ nec circunſcribi, nec comprehendi, nec mente percipi poteſt.* Et hæc ſcribendi ratio familiaris eſt aliis Patribus, qui diſertis verbis viſionem intuitivam Angelis concedunt; nam ſanctus Clemens Alexandrinus, cujus luculentiſſimum teſtimonium in confirmationem noſtræ reſponſionis protulimus eodem planè mo-

do mentem ſuam, quo Theodoretus, aperit lib. 7. hypotipoſeon, ubi ſic habet, *apparuit Angelis, quippe inviſibilem divinitatis naturam ne illi quidem videbant. Itaque incarnatam viderunt*, ſcilicet comprehenſive.

Dices 3°. Debet eſſe aliqua proportio facultatem inter & objectum; atqui nulla eſt proportio finiti ad infinitum, facultatis creatæ ad objectum increatum: Ergo.

Diſtinguo majorem, proportio habitudinis, Concedo: entitatis, Nego majorem.

Diſtinguo ſimiliter minorem, finiti ad infinitum nulla eſt proportio entitatis, Concedo: habitudinis, Nego minorem; Deus enim eſt veritas intelligibilis, mens verò humana eſt facultas intellectiva: atqui facultas intellectiva ordinem & habitudinem habet ad objectum intelligibile: Ergo:

Inſtabis: proportio habitudinis, cùm ſit relatio & quidam reſpectus ad objectum, fundatur in entitate porportionatâ: atqui ex conceſſis non eſt proportio entitatis Deum inter & mentem creatam: Ergo nec habitudinis.

Nego majorem, effatum enim illud, omnis relatio ſupponit fundamentum, reſtringitur ad omnem & ſolam relationem accidentalem, quæ advenit rei jam in ſuo eſſe conſtitutæ, propter vel eandem quantitatem, ſi ſit relatio æqualitatis, vel eandem qualitatem, v. g. albedinem, ſi ſit relatio ſimilitudinis. Sed extendi non debet ad relationes tranſcendentes, putà facultatis ad objectum; cùm enim ſint eſſentiales & quid primum in re; non eſt aſſignanda ratio cur rei alicui inſint, v. g. cur olfactus habitudinem & ordinem habeat ad odores potiùs quàm auditus, intellectus ad intelligibile, potiùs quàm voluntas; ejuſmodi quippe relationes & habitudines

ſunt quid eſſentiale, ac proinde quid primùm in qualibet re.

Inſtabis iterum: major eſt diſtantia inter Deum & intellectum creatum, quàm inter Angelum & oculum corporeum: atqui oculus corporeus nequidem ſupernaturaliter videre poteſt Angelum: Ergo neque intellectus creatus Deum.

Diſtinguo majorem, ut ſupra, major eſt diſtantia entitatis, Concedo: habitudinis, Nego majorem. In ejuſmodi igitur minùs eſt ſpectanda entitas, quàm habitudo; namque oculus & ſonus conveniunt in ratione entitatis corporeæ, & tamen oculus ne devinitus quidem poteſt percipere ſonos; quia ad illos nullam habet habitudinem, mens autem humana ex naturâ ſuâ tendit in verum, illudque percipere poteſt, naturaliter, ſi ſit verum naturale; ſupernaturaliter verò, ſi ſit ſupernaturale.

Paragraphus IV.

Utrùm Deus ſupernaturaliter videri poſſit oculis corporeis?

Conſtat ex dictis de immenſitate Dei c. 12. p. 213. Deum oculis corporeis poſſe videri in effectibus, & quidem in hâc mortali vitâ, eò clariùs, quò anima abundantioris gratiæ auxilio illum ſæpius recogitat, & inſtantiùs deſiderat. Cùm autem Beati in futurâ vitâ Angelis ſimiles effecti, Deum ubique præſentem & operantem, mente ſemper conſpiciant, dubium non eſt quin futurum ſit ut in reſurrectione, quòcumque converſuri ſint corporis oculos, illum ſenſibiliter præſentiſſimum habeant, & ejus præſentiâ ineffabiliter delectentur: *valde credibile eſt*, inquit ſanctus Auguſtinus libro 22. de Civ. Dei cap. 29. *ſic nos eſſe viſuros mundana tunc corpora; ut Deum ubique præſentem, & uni-*

verſalia etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ geſtabimus, & quæ conſpiciemus quaquaverſum oculos duxerimus, clariſſimâ perpetuitate videamus, non ſicut nunc inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ubi plus in nobis valet, fides, quâ credimus, quàm rerum corporalium ſpecies, quam per oculos cernimus corporales. Sed ſicut homines inter quos viventes, motuſque vitales exercentes vivimus, mox ut aſpicimus non credimus vivere, ſed videmus, cùm eorum vitam ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora, remotâ omni ambiguitate conſpicimus, ita quacunque ſpiritalia illa lumina corporum noſtrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora contuebimur.

Tota igitur quæſtio eſt, num Deus oculis corporeis poſſit ſupernaturaliter videri ut in ſe eſt.

Reſp. Non poteſt.

Probatur 1°. ex Scripturâ, 1. Tim. 6. v. 16. *quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.* Hunc autem locum Origenes & ſanctus Hieronymus, ex S. Auguſtino epiſt. 148. aliàs 111. interpretantur de viſione per oculos corporis.

Probatur 2°. ex Patribus.

Origenes lib. 7. contra Celſum, *falsò*, inquit, *nobis imponit Celſus dicens nos ſperare corporis oculi Deum eſſe viſuros.*

Sanctus Auguſtinus epiſt. 92. aliàs 6. idem disertè negat, *hoc*, inquit, *oculus corporis videre neque nunc poteſt, neque tunc poterit;* ad quod probandum multa profert argumenta, refellitque contra ſentientes.

Cùm autem ſanctus Doctor comperiſſet quemdam epiſcopum aliter ſentientem epiſtolâ, ut ipſi videbatur, aſperiori offenſum, aliam ad Fortunatianum Epiſcopum ſcripſit, quæ eſt 148. olim 111. in quâ pro ſuâ ſingulari modeſtiâ, & imitando ſervandæ pacis ſtudio, veniam obnixè petit, explicatque quid in hâc materiâ juxta rectam

fidem tenendum, quidve illæsâ fide liceat opinari. Fides exigit, ut Deum aſſeramus incorporeum, & nullo loco diſtantem ac circumſcriptum, ac proinde inviſibilem oculis corporis etiam immortalitate fruentis, cùm nonniſi corpora aliquo loci intervallo ſeparata cernere queant. Utrùm autem in reſurrectione tanta futura ſit corporum mutatio, ut oculi retentâ propriâ ſubſtantiâ ſpirituales fiant, eamque virtutem accipiant, quâ ipſammet Dei ſubſtantiam conſpiciant, unicuique liberum relinquit opinari quod veriſimilius ipſi videbitur, & hanc quæſtionem problematicè ita tractat, tum in hâc epiſtolâ, tum in 147â. aliàs 112â. & 162â. aliàs 101â. ac denique lib. 22. de Civ. Dei cap. 29. ut ſemper propendeat in ſententiam negantem. *Sed quia*, inquit citato cap. 29. *ſpiritale corpus neſcimus quantos habebit acceſſus, de re quippe inexpertâ loquimur, ubi aliqua quæ aliter intelligi nequeat, divinarum Scripturarum non occurrit & ſucurrit auctoritas, neceſſe eſt ut contingat in nobis, quod in libro Sapientiæ legitur*, cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.

Probatur 3°. ratione, quam Sanctus Auguſtinus urget laudatâ epiſtolâ 92â. ſicut Deus non eſt ſonus ut poſſit auribus percipi, nec halitus, ut ſentiri poſſit olfactu; nec liquor; ut poſſit & bibi; nec moles ut poſſit & tangi; ſic nec color aut lux corporea, ut poſſit & videri: *Cur ſolis oculis favent*, inquit ſanctus Doctor, *& invident ceteris ſenſibus?*

Dices: Job. cap. 19. ait, *in carne meâ videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt*. Ergo.

Diſtinguo antecedens cum S. Auguſtino, Deum Redemptorem & incarnatum, Concedo: Deum in propriâ divinitatis ſubſtantiâ, Nego antecedens.

Parag. V.

Paragraphus V.

Utrùm quibuſdam eximiè Sanctis viſio Dei intuitiva ante mortem fuerit conceſſa?

Duo ſunt extra controverſiam, nempe illud beneficium extraordinariè à Deo concedi potuiſſe, & reipſa Chriſto Domino fuiſſe conceſſum ut demonſtramus Tractatu de Incarnatione pag. 146.

Controvertitur autem in Scholis, num purus homo adhuc mortalis actu & de facto viſione Dei intuitiva aliquando erit potitus.

Affirmat S. Thomas 1ª. qu. 12. art. 11. ad ſecundum, & 2ª. 2æ. qu. 175. art. 3. de Moyſe & Apoſtolo, ubi pro ſuâ ſententiâ, quam amplexi ſunt Theologi non pauci, laudat ſanctum Auguſtinum lib. 12. de Gen. ad lit. & Epiſt. 147.

Communior tamen non ſolùm Theologorum, ſed etiam Patrum ſententia, ac ideo noſtra, negat cuiquam mortalium conceſſam fuiſſe aliquando viſionem Dei intuitivam.

Probatur 1°. ex Scripturâ Joan 1. *Deum nemo vidit unquam.* 1. Timoth. 1. *nullus hominum vidit.* Evangelium autem Joannis, & epiſtola 1. ad Timoth. ſcripta ſunt poſt epiſtolam 2. ad Corinth. in quâ Apoſtolus refert ſe raptum fuiſſe uſque ad tertium cœlum ſive Paradiſum. Ergo non vidit in illo raptu eſſentiam divinam, ſed eximias quaſdam revelationes accepit.

Non dicas Paradiſi nomen in Scripturis ſumi pro viſione Dei intuitivâ, ut patet ex verbis Chriſti ad Latronem, Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*; namque hujus vocis varia eſt acceptio. Gen. 2. Adam tranſlatus eſt in Paradiſum

Gen. 13. Terra Sodomorum vocatur Paradiſus, Eccli. 44. Enoch tranſlatus dicitur in Paradiſum. Quòd autem 2. Cor. 12. non accipiatur pro viſione Dei intuitivâ ſicut Luc 23. ſuadent verba ipſiuſmet Apoſtoli, 1. Tim. 6. *nullus hominum* (Deum) *vidit.*

Probatur 2°. ex Patribus.

S. Irenæus 4. c. 39. *neque Moyſes*, inquit, *vidit Deum, neque Elias . . . quæ autem ab iis videbantur, erant ſimilitudines claritatis Domini.*

Origenes in caput 6. Iſaïæ ſic ſcribit: *Dei faciem non vidit Iſaïas nec Moyſes. Poſteriora viderunt, ut ſcriptum eſt.*

S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, idipſum adſtruit: *Plenum eſt*, inquit, *neminem unquam vitæ tempore poſſe Deum clarè percipere.*

Tertullianus idem probat lib. contra Praxeam, & lib. 4. contra Marcionem c. 22.

S. Athanaſius, & ſanctus Gregorius Nazianzenus apud ſanctum Auguſtinum Epiſt. 148. docent Deum non fuiſſe viſum, niſi in formâ aſſumptâ.

S. Auguſtinus revera locis à ſancto Thomâ ſupra laudatis propendet in oppoſitam ſententiam; ſed tandem in libris, quos ſenex edidit, ut lib. 2. de Trinit. c. 16. lib. 10. de Civitate Dei cap. 13. noſtram ſententiam luculenter confirmat. *Species quâ viſus eſt*, inquit, lib. 10. de Civit. *Deus non erat; nam & loquebatur cum loquente Moyſe, & ei tamen dicebat, oſtende mihi temetipſum.* Et tract. 3. in Joan. *Quid vidit Moyſes, vidit nubem, Angelum . . ., omnis illa creatura typum Domini ſui gerebat, non ipſius Domini præſentiam exhibebat . . . . reſponſum accepit: non potes videre faciem meam. Loquebatur ergo cum Moyſe Angelus, portans typum Domini . . . non erant illa ſubſtantia Dei.* Denique lib. 2. Retract. cap. 24. ſic retractat quæ in opere de Geneſi ad-

litteram ſcripſerat : *In hoc opere plura quæſita quam inventa ſunt, & eorum, quæ inventa ſunt, pauciora firmata : cetera verò ita poſita, velut adhuc requirenda ſint.*

Dices 1°. Videre Deum non in ænigmate, ſed facie ad faciem, eſt videre Deum intuitivè, ſicut in ſe eſt : non enim aliis terminis Apoſtolus 1. Cor. 13. exprimit viſionem beatificam : *non per ſpeculum*, inquit, *& in ænigmitate, ſed facie ad faciem.* Atqui Moyſes vidit Deum non in ænigmitate, ſed facie ad faciem. Sic enim legitur Exodi 13. v. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Et Nu. 12. v. 6. 7. & 8. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum : at non talis ſervus meus Moyſes ... ore enim ad os loquor ei, palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Ergo revera Moyſes vidit Deum ſicut in ſe eſt.

Reſpondeo 1°. negari poſſe minorem, quia ex ſancto Stephano Act. 7. non Deus ipſe, ſed Angelus typum Dei gerens loquebatur Moyſi, ac proinde Moyſes ad ſummum vidit Angelum in propriâ ſubſtantiâ.

Reſpondeo 2°. diſtinguendo majorem; videre Deum ſine ænigmitate, ſed facie ad faciem, eſt videre Deum ſicuti eſt, ſi ſic videatur Deus in propriâ ſubſtantiâ, non verò in formâ aſſumptâ, Concedo : ſi ſic videatur in formâ aſſumptâ, quemadmodum Apoſtoli cum Chriſto conviventes videbant Deum ſine ænigmate, & facie ad faciem in humanitate aſſumptâ. Nego majorem. Porrò Moyſes videbat Deum ſeu Angelum non per figuras ſicut alii Prophetæ, v. g. per imaginarias viſiones, vel in ſpecie ignis, venti, &c. ſed in formâ humanâ, & cum eo liberè ac familiari quadam conſuetudine agebat.

Inſtabis : atqui Moyſes Deum vidit non tantùm in formâ aſſumptâ, ſed in propriâ ſubſtan-

tiâ; qui enim videt Deum in formâ aſſumptâ, videt Deum per figuram: atqui Moyſes ex citato textu Num. 12. Deum vidit non per ænigmata & figuras: Ergo.

Nego ſubſumptum, cujus confirmationem diſtinguo: videt Deum per figuram plenam, quemadmodum videt quis amici ſpiritum in ejus allocutione & aliis motibus corporis tanquam ſignis quibuſdam, Concedo: videt per figuram vacuam (quomodo videbant alii Prophetæ) quæ ita operationem Dei exprimebat, ut unum quid cum Deo moraliter non efficeretur, Nego.

Urgebis: Atqui Moyſes non ſolùm ſpeciem illam exteriorem vidit, cùm eâ viſione non contentus ultra petierit Exodi 33. v. 18. videre ipſam Dei gloriam, & Deus annuens voto illius reſponderet: *Ego oſtendam omne bonum tibi;* quid enim aliud eſt omne bonum niſi eſſentia divina?

Nego ſubſumptum: vel enim Moyſes his verbis petiit duntaxat videre fulgorem vultûs Angelici, quemadmodum Apoſtoli viderunt in monte fulgentem humanitatis Chriſti gloriam; namque Angelus in nube & caligine tunc loquebatur iratus ob grave populi idololatrici peccatum, propter quod initio ejuſdem capitis minatus fuerat ſe eum in itinere non præceſſurum, ſicut antea: vel Moyſes expetit videre divinam eſſentiam, & illud reſponſum accepit à Domino, *non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet.* Ergò per, *omne bonum*, quod hîc promittit ſe oſtenſurum Moyſi non intelligit niſi gloriam externam, quantam mortalis oculus admitteret, & quâ voto & petitioni Moyſis abundè futurum eſſet ſatis. Hæc verò erat gloria & fulgor poſterioris partis ſeu tergi corporis aſſumpti; nam anterior faciei pars radiantior, fulgidiorque erat,

quàm ut eam infirmitas illius humana ferre poſſet.

Dices 2°. Sanctus Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 35. ſcribit facilè fuiſſe beato Benedicto univerſum orbem videre, quia, inquit, *animæ videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura.* Ergo ſanctus Gregorius exiſtimavit ſanctum Benedictum in ſublimi ſuâ contemplatione pertigiſſe uſque ad divinæ eſſentiæ viſionem.

Negat conſequentiam ſanctus Thomas 2. 2. q. 180. art. 5. ad tertium; probatque ex verbis ipſiuſmet ſancti Gregorii, ſanctum Benedictum non in divinâ eſſentiâ; ſed in abundantiori lumine divinitus infulſo ita percepiſſe; ſubdit enim, *quamlibet parum de luce Creatoris aſpexeris, breve ei ſit omne quod creatum eſt.*

Paragraphus VI.

Utrùm animæ corporibus ſolutæ, quibus nihil expiandum ſupereſt, fruantur viſione Dei intuitivâ ante reſurrectionem?

Negarunt qui Græcè Kiliaſtæ, Latinè Millenarii dicti ſunt à dogmate, quo ſtatuebant poſt reſurrectionem futurum ſpatium quoddam mille annorum, quibus Sancti unà cum Chriſto in terris regnarent, antequam ad conſpectum Dei in cœlo reciperentur.

Duplex autem extitit Millenariorum claſſis.

Alii quorum auctor fuit infamis Cerinthus Simonis Magi diſcipulus, docuerunt ſuperſtitibus Apoſtolis, illud temporis intervallum traducendum in ſplendidioribus epulis, nuptiis, ac libidinibus explendis, & juxta Judæorum fabulas, Templum Jeroſolimitanum magnificentiùs inſtaurandum, legem Moſaïcam, & ſacrificia reſtituenda. His adhæſerunt ſaltem ex parte ſecun-

do ſeculo Marcionitæ ex Tertulliano lib. 3. adverſùs illos, & Apollinariſtæ ex ſancto Baſilio epiſt. 232. Gregorio Nazianzeno Or. 51. & Hieronymo lib. 18. in Iſaïam.

Alii, qui prodierunt ſecundo ſeculo, nonniſi delicias innoxias & conſuetas admiſerunt, & ea quæ de reſtituendâ Synagoga prædicebat Cerinthus de Chriſto & Eccleſiâ ſpiritualiter interpretabantur, ex cap. 20. Apoc. in quo ſic legitur, *& vidi.... animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu.... & regnaverunt cum Chriſto mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec conſummarentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.*

Hujuſce erroris fabricator fuit Papias Epiſcopus Hierapolitanus, vir mediocris admodum ingenii, ex Euſebio lib. 3. Hiſt. cap. 39. ſed cùm fuiſſet quondam auditor ſancti Joannis Apoſtoli, ut refert S. Irenæus lib. 6. cap. 33. plurimos etiam eruditione & ſanctitate conſpicuos in ſuam opinionem adduxit, nempe ſanctum Juſtinum, S. Irenæum, Tertullianum, Lactantium, Severum Sulpicium, & aliquando ſanctum Auguſtinum, ut ipſe meliùs jam ſentiens fatetur lib. 20. de Civit. Dei cap. 7. Tertullianus tamen & S. Auguſtinus in illo fictitio regno nonniſi delicias ſpirituales agnoſcebant. Martyrum inſuper animas Tertullianus in libris de animâ & reſurrectione, à communi lege excipiebat, exiſtimans illas ſtatim ab exitu viſione beatificâ donari.

Vigilantius quarto ſeculo, licèt illud mille annorum regnum rejecerit, negavit tamen ex S. Hieronymo libro quem contra eum ſcripſit, Sanctorum animas ante reſurrectionem ad Dei viſionem admitti, voluitque illas interim vel in ſinu Abrahæ, vel in aliquo refrigerii loco, vel ſubter aram Dei quieſcere.

In hanc Sententiam Joannes XXII. inclinavit ſeculo decimo quarto, ut patet ex ejus publicis Sermonibus, qui Catholicorum aures graviter offenderunt. Profeſſus eſt tamen in pleno Conſiſtorio omnia à ſe hactenus prolata fuiſſe ad veritatem duntaxat indagandam, nec quidquam definiiſſe. Hujus profeſſionis meminit Benedictus XII. ſucceſſor Joannis XXII. cujus verba refert in ſuo Diplomate dato Avenione anno 1335. quin ipſe Joannes morti proximus ſinceræ ſuæ fidei hoc teſtimonium reliquit anno 1334. *Fatemur & credimus, quòd animæ ſeparatæ à corporibus, ſunt in cœlo & vident Deum & divinam eſſentiam facie ad faciem ac clarè, in quantum ſtatus & conditio compatitur animæ ſeparatæ.* Conſule laudatum Benedicti XII. Diploma.

Vigilantii ſententiam amplexi ſunt Lutherus prælectione in Geneſim, Calvinus lib. 5. Inſtit. cap. 23. num. 6. & Sociniani in vindiciis Chriſtianæ Confeſſionis cap. 25.

Contra hos omnes errores, ad propoſitam quæſtionem.

R. 1°. Figmentum eſt & mera fabula illud mille annorum regnum, quod Kiliaſtæ inducunt.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Matth. 22. v. 30. *In Reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Luc. 1. verſ. 33. *regni ejus non erit finis*, quas voces Concilium Conſtantinopolitanum primum Symbolo inſeruit adversùs Apollinariſtas, qui cum Millenariis regnum Chriſti mille annorum ſpatio circunſcribebant Rom. 14. v. 17. *Non eſt regnum Dei eſca & potus.* 1. Theſſ. cap. 4. v. 15. & 16 juſti ſtatim poſt Reſurrectionem viſionem Dei in cœlo conſequentur, *mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi; deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto*

in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.

Probatur 2o. ex Patribus.

Caïus Romanæ Eccleſiæ Preſbyter auctor inſignis 2. & 3. ſeculi apud Euſebium lib. 3. Hiſt. cap. 28. ex profeſſo ſcripſit contra Cerinthum: *portenta*, inquit, *commentus nobis introducit, affirmans poſt Reſurrectionem regnum Chriſti in terris futurum.*

Origenes prologo in Cant. & lib. 2. de Principiis cap. 11. confutat commentum illud millenarii regni: *& hoc*, inquit, *conantur auctoritate Propheticâ confirmare ... & de novo quoque Teſtamento vocem proferunt Salvatoris ...* quia non bibam ex hoc jam, uſque bibam illud vobiſcum in regno Patris mei. *Addunt quoque illud quod Salvator Beatos dicit eos, qui nunc eſuriunt & ſitiunt, pollicens quia ſaturabuntur. Hoc ita ſentiunt, qui Chriſto quidem credentes, judaïco autem ſenſu Scripturas intelligentes, nihil ex his dignum divinis pollicitationibus præſumpſerunt.*

Sanctus Dionyſius Alexandrinus tertio mediante ſeculo compoſuit opuſculum adversùs ſanctum Irenæum, ex ſancto Hieronymo, præfatione ad librum 18. in Iſaïam & ex Euſebio, duos libros adversùs quendam Epiſcopum Ægyptium nomine Nepotem, qui Millenariorum errorem reſtituere auſus fuerat. *Cauſam ſcribendi*, inquit Euſebius, *præbuit Nepos quidam Epiſcopus Ægypti, qui promiſſiones ſanctis hominibus factas in divinis voluminibus, Judaïco ſenſu exhibendas docebat, & neſcio quod mille annorum ſpatium corporalibus refertum deliciis in hâc terrâ fore affirmabat, cùmque ex Apocalypſi opinionem ſuam ſtabilire ſe poſſe exiſtimaret ... hunc ergo Dionyſius in libris de Promiſſionibus acriter impugnat.*

Huc adduci debent, quæ in confirmationem ſecundæ noſtræ reſponſionis producemus.

Dices 1°. Apoc. 20. fit mentio duplicis Reſurrectionis. Prima eſt Juſtorum, qui regnabunt cum Chriſto mille annis. Secunda impiorum, quæ conſequetur illud temporis intervallum: Ergo juſti, reſumptis corporibus, cum Chriſto mille annis regnabunt in terrâ.

Nego conſequentiam, namque Regnum illud mille annorum de quo cit. Apoc. loco, eſt totum illud temporis ſpatium, quòd à primo Chriſti adventu (in quo ligatus Satanas juxta illud Joan. 12. v. 31. *Nunc judicium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, ut ſicut prius graſſari nequeat) uſque ad ſecundum protenditur. Reſurrectio autem prima eſt animarum juſtificatio, de quâ Chriſtus ait Joan. 5. v. 24. *qui verbum meum audit, tranſit à morte ad vitam;* & Apoſtolus Col. 3. v. 1. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto*, &c. Ita ſanctus Auguſtinus lib. 20. de Civ. c. 7. & alii communiter.

Porro Millenariorum error in eo poſitus erat, quòd ſtatuerint poſt corporum Reſurrectionem exactumque judicium univerſale, Prædeſtinatos unà cum Chriſto in terris regnaturos mille annorum ſpatio, priuſquam conſpectu Dei fruituri in cœlos reciperentur.

Jam verò S. Joannes perſpicuè docet illud annorum regnum præcedere adventum Antichriſti, ac proinde Reſurrectionem Juſtorum: *cum*, inquit, *conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas*, &c. Finitâ autem perſecutione Antichriſti v. 13. *dedit mare mortuos, qui in eo erant, mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant; & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum. & infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis Hæc eſt mors ſecunda.* Itaque juxta ſanctum Joannem, Antichriſtus propugnabit adversùs Sanctos, multoſque ſeducet. 2°. deſtruetur cum omni ſuo

exercitu. 3°. reſurgent mortui, & ſine intervallo judicabuntur ſecundùm opera ſua. Ergo ſanctus Joannes nedum favet Millenariis, quin illorum errorem funditus ſubvertit.

Dices 2°. Matth. 26. verſ. 29. ait Chriſtus: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei :* Ergo, inquit ſanctus Irenæus, promittuntur Apoſtolis novæ deliciæ corporales in novo Chriſti regno.

Nego conſequentiam. Namque duplex eſt interpretatio hujuſce loci, quæ nullatenus favet Millenariis. Prima eſt S. Chryſoſtomi, & quorumdam, qui illum intelligunt de tempore, quo Chriſtus poſt reſurrectionem cum Apoſtolis converſatus eſt bibens & manducans. Secunda, eaque communior, eſt eorum qui accipiunt illa verba in ſenſu metaphorico, quomodo dicitur Luc. 22. verſ. 29. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.*

Dices 3°. niſi admittatur regnum, de quo eſt controverſia, ſtare nequit Chriſti promiſſio Apoſtolis facta, Matth. 19. verſ. 29. *omnis, qui reliquerit ... patrem, aut matrem, aut ſororem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit :* Ergo.

Nego antecedens 1°. quia centuplum in præſenti vitâ promittitur, ut patet ex cap. 10 verſ. 30. Marc. *Centies tantùm*, inquit, *nunc in tempore hoc cum perſecutionibus*, & Luc. 18. verſ. 30 *multò plura in temporibus.* Ergo 2°. quia qui hæc ad litteram accipiunt, *non intelligunt*, inquit ſanctus Hieronymus, *quòd ſi in ceteris digna ſit retributio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiſerit, centum recipiat in futuro*, adde, & centum Patres aut Matres, quod repugnat, &

eſt prorſus impoſſibile. Promiſſio itaque juxta ſanctum Doctorem ſpiritualiter accipienda eſt, ſcilicet quòd qui carnalia pro Salvatore dimiſerit, ſpiritalia quæ longè magis mentem reficiunt ac delectant ſit habiturus. Unde Apoſtolus Phil. 3. *quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum detrimenta propter Chriſtum.* 2. Cor. 9. *quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes; tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes:* & cap. 3. ejuſdem epiſtolæ, *in omni tribulatione ſuperabundo gaudio;* ita in ipſo implebatur Chriſti verbum Marci 10. *Nemo eſt, qui non accipiat centies tantùm in tempore hoc cum perſecutionibus.* Mitto quòd qui omnia propter Chriſtum relinquunt, multò plura & majora à Fratribus charitatis officio recipiant, ut videre eſt in Religioſis. Conſtat ergo fictitium eſſe mille annorum Regnum poſt Reſurrectionem: ſed reſtat difficultas, num animæ plenæ purgatæ ad conſpectum Dei in cœlo recipiantur ante reſumpta corpora, cui ut fiat ſatis,

R. 2°. De fide eſt animas Piorum, quibus nihil ſupereſt expiandum, ſimul ac corpore ſolutæ ſunt in cœlum admitti, ibique frui intuitiva Dei viſione. Ita enim definitum eſt in Concilio generali Florentino ſeſſ. 25. ex communi Latinorum & Græcorum conſenſu. Præiverat anno 1279. ſecundùm Concilium Lugdunenſe etiam generale in formulâ fidei, quàm Latini ſimul & Græci profeſſi ſunt. Et hoc ſupponit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de invocatione Sanctorum, quia unà cum Chriſto regnant.

Probatur definitio 1°. ex Scripturâ. Luc. 23. verſ. 42. Chriſtus votis Latronis annuens reſpondet; *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* 2. Cor. 5. *Scimus*, inquit Apoſtolus, *quoniam ſi terreſtris domus hujus habitationis diſſolvatur, quòd*

ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis ... audentes igitur ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem: audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præſentes eſſe ad Dominum. Hîc Apoſtolus clarè pronuntiat, diſſolutâ terreſtri domo, ſe ſtatim futurum præſentem ad Dominum, & quidem in cœlis, & obſcuritati fidei viſionem, quæ eſt per ſpeciem, mox ſucceſſuram. Apocal. 7. ait ſanctus Joannes: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.... ſtantes ante thronum .. hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.*

Probatur 2°. ex Traditione, quam Novatores contendunt per tria priora ſæcula pro Millenariis militare, indeque contra Catholicos conficiunt argumentum, ut ipſis videtur, ineluctabile, traditionem generatim ſumptam non poſſe ſtatui pro regulâ fidei; cùm ex eâ non poſſint proferri, niſi teſtimonia plerumque falſa, & in errorem inducentia, ut videre eſt in eâ, de quâ agitur materiâ. Quare operæ pretium eſt, ut ſolito accuratiùs reſponſionem noſtram Traditione ſtabiliamus, præſertim verò trium priorum ſeculorum, quibus Adverſarii affirmant errorem Millenariorum prævaliſſe.

E PRIMO SECULO.

Novatores ne unum quidem pro ſuâ causâ teſtem proferunt: nos verò pro noſtrâ tres inſignes; ſcilicet ſanctum Clementem, ſancti Pauli diſcipulum & adjutorem, Phil. 3. & Beati Petri poſt Linum in Sede Romanâ ſucceſſorem: ſanctum Ignatium, tertium poſt ſan-

ctum Petrum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum: & Hermam, cujus meminit Paulus cap. 16. ad Romanos.

Sanctus itaque Clemens in priore epiſtolâ ſic ſcribit ad Corinthios: *Accipiamus præ oculis noſtris bonos Apoſtolos; Petrus... multos ſuſtinuit labores, atque ita Martyr effectus diſceſſit ad debitum gloriæ locum: Paulus patientiæ præmium obtinuit.*

Sanctus Ignatius Romæ martyrio functus anno 107. in epiſt. ad Rom. *Sinite me*, inquit, *ferarum eſcam fieri, per quas licet Deum adipiſci... ſinite purum lumen haurire. Meus amor crucifixus eſt, & non eſt ignis amans ullam aquam, ſed vivens & loquens in me, veni ad Patrem.* Ergo ſperabat fore ut ſtatim à morte Deum adipiſceretur, & purum lumen conſpiceret, veniretque ad Patrem.

Hermas in opere apud veteres celebratiſſimo, quod Paſtoris nomine inſcribitur lib. 3. ſimilitudine 8â. diſertè docet omnes qui piè obeunt, pœnitentibus exceptis; jam in cœlis coronari.

Univerſalis ergo & conſtans primi Seculi Traditio fuit, nemine Catholicorum refragante, animas plenè purgatas, ſtatim ad Dei conſpectum admitti: contra vero Adverſariorum ſententia neoterica eſt, & ab Apoſtolis minimè tradita.

E SECUNDO SECULO.

Adverſarii pro Millenariorum ſententiâ, quam ex parte amplectuntur, ut diximus, proferunt quidem Papiam Hierapolitanum, & ſanctum Juſtinum Martyrem, qui dubiam hujus Seculi traditionem reddere nequeunt, cùm illam ex pluribus, iiſque inſignibus ejuſdem ætatis teſtibus confirmare liceat.

Non Papias, qui ex Euſebio ſupra citato fuit

mediocris ingenii, & caput 20. Apocal. quo tanquam fundamento opinionem ſuam ſtabiliebat, malè intellexit; legenti enim patebit, ut jam obſervavimus, beatum Apoſtolum eo loci deſtruere errorem Millenariorum & Calviniſtarum, nedum ipſis faveat.

Non ſanctus Juſtinus, quippe qui ita mentem ſuam exponit, ut fateatur plures ſibi adverſari. Sic enim habet dialogo cum Tryphone: *Confeſſus ſum tibi, & antea me quidem & alios eadem mecum ſententientes arbitrari id* (regnum mille annorum) *futurum: multoſque etiam, qui puræ piæque Chriſtianorum ſunt ſententiæ, hoc non agnoſcere.* Quem locum novus quidam Kiliaſta contra fidem omnium exemplarium interpolare auſus eſt, particu â negante infertâ; ita ut legat, *qui non puræ piæque ſunt Chriſtianorum ſententiæ*

Nec dicas ſanctum Juſtinum in eodem dialogo pronuntiare eos non eſſe Chriſtianos, qui dicunt animas mortuorum ſtatim in cœlos recipi; ibi enim agit contra negantes futuram aliquando corporum reſurrectionem, atque inde ſtatuentes ſolam animam fore remunerandam. Verba illius ſunt: *qui dicunt non eſſe reſurrectionem mortuorum, verùm ſimul atque moriuntur, animas ipſorum in cœlos recipi, ne exiſtimetis eſſe Chriſtianos.*

Teſtes autem Traditionis hujus Seculi ſunt,

Primus, ſanctus Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus & beati Joannis diſcipulus qui in epiſtolâ ad Philippenſes apud Euſebium lib. 3. hiſt. cap. 36. de Paulo & ceteris Apoſtolis ſic ſcribit, *non fruſtra concurrerunt; ſed in fide ac juſtitia ingreſſi, ad locum ſibi à Deo debitum pervenerunt.*

Secundus teſtis eſt Eccleſia Smyrnenſis, quæ apud eundem Euſebium de obitu ſancti Polycarpi ſic ait: *per tolerantiam, devicto injuſto Præſide, immortalitatis coronâ receptâ; cum omnibus Apoſtolis.*

omnibuſque juſtis exultans, Deum glorificat.

Tertius, Auctor actorum ſanctæ Symphoroſæ & ſeptem ejus filiorum martyrum circa annum 120. qui eâdem ætate vixit. *Elegerunt*, inquit, *magis decollari, quàm vinci, paſſi mortem, inter Angelos cum Rege æterno vitâ fruuntur in cœlis.*

Quartus, Athenagoras, qui eodem ſeculo egregiam pro Chriſtianis apologiam exaravit, in quâ ſic loquitur: *Perſuaſi ſumus, nos hâc mortali defunctos vitâ, alteram hâc terreſtri longè meliorem, nempe cœleſtem, eſſe victuros, ut apud Deum & cum ipſo ſimus.*

Quintus eſt Caïus, Eccleſiæ Romanæ inſignis Presbyter ſuprà laudatus, qui ex profeſſo contra Millenarios ſcripſit tertio ineunte ſeculo; ac proinde cùm in ſecundo floruerit, conſtantem illius Traditionem teſtatam facit.

E SECULO TERTIO.

NUmerantur pro Millenariorum ſententiâ ſanctus Irenæus, Tertullianus, & nepos Epiſcopus Ægypti. Quanquam Tertullianus à Calviniſtis & aliis Millenariis diſſentit, quippe qui, ut ſuprà obſervavimus, animas Martyrum ſtatim in cœlum avolare agnoſcat. Sanctus etiam Irenæus lib. 5. c. 35. fatetur, quemadmodum S. Juſtinus ſuprà, alios tunc temporis extitiſſe, qui ſibi adverſarentur.

His opponuntur

Primò, ſanctus Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. *Clarum eſt*, inquit, *neminem unquam vitæ tempore Deum evidenter comprehendere: qui autem mundo ſunt corde, Deum videbunt, poſtquam ad extremum finem pervenerint.*

Secundò, Origenes ſancti Clementis olim auditor lib. 6. contra Celſum, ait, *poſt exactos*

labores ejus vitæ ac certamina, ſperamus nos in cœlum evaſuros. Scripſit quoque ex profeſſo contra Millenarios lib. 2. de Principiis cap. 12. ex quo nonnulla ejus verba ſuprà protulimus, p. 249.

Tertiò, ſanctus Dionyſius Alexandrinus, qui opuſculum adversùs ſanctum Irenæum edidit ex ſancto Hieronymo, & duos libros adversùs Nepotem, ex Euſebio eâdem paginâ laudato.

Quarto, ſanctus Cyprianus in exhortatione ad martyrium, circa finem, *quanta dignitas*, inquit, *& quanta ſecuritas.... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eoſdem ſtatim ut Deus videatur?* Et lib. de mortalitate, *amplectamur diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo, qui nos iſtinc ereptos Paradiſo ſtatuit & regno cœleſti...; magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum... Illic glorioſus Apoſtolorum Chorus.*

Quinto, ſanctus Methodius Martyr apud Photium: *Fluxâ hac*, inquit, *brevique vitâ diſſolutâ, habebimus ad Deum habitationem ante reſurrectionem.*

Ex his perſpicuum eſt Millenariorum opinionem ſecundo duntaxat ſeculo natam, non prævaluiſſe in tertio, nec impediiſſe quominus Apoſtolica Traditio lucis ſuæ radios quaquaverſum diffunderet.

E QUARTO SECULO.

OPponuntur Lactantius eloquentiâ quidem percelebris, at rerum Theologicarum non admodum peritus; Victorinus Petabionenſis Epiſcopus, eruditionis expers, ex ſancto Hieronymo Epiſtolâ ad Magnum. Severus Sulpicius, qui tamen de ſancto Martino ſcribit, *Martinus hîc pauper & modicus, cœlum dives ingreditur*, aſſeritque ipſum poſt mortem viſum fuiſſe, cùm in

cœlum avolaret. Quid verò ejuſmodi Scriptorum teſtimonia, niſi lenes admodum nubeculæ in meridianâ luce, quæ uberiùs effulſit, quarto ſeculo & ſequentibus? Tot enim Apoſtolicæ Traditionis teſtes proferunt, ut vix eorum nomina appellare, nedum ſingulorum verba referre liceat. Inter ceteros numerantur ſancti Athanaſius in vitâ ſancti Antonii; Ephrem Tractatu de vitâ Religioſâ; Baſilius hom. in ſanctam Julitham, Gregorius Nyſſenus or. in laudem Pulcheriæ, & in encomio ſancti Ephrem; Gregorius Nazianzenus or. in laudem ſancti Baſilii; Hilarius in Pſalm. 1. Ambroſius Epiſt. ad Theſſal. de Acholio; Epiphanius hæreſi 78. Chryſoſtomus hom. 10. in 2. ad Cor. Hieronymus lib. contra Vigilantium, & Epiſt. ad Marcellum de obitu Lætæ; Auguſtinus lib. 20. de Civ. cap. 7. & in Pſalm. 119. Quæ autem occurrunt, difficilia in ſanctis Hilario, Ambroſio, Auguſtino, & Bernardo, ſolventur in reſponſionibus ob objectiones.

Probatur 3°. ratione. Animæ impiorum à corporibus ſolutæ ſtatim torquentur Job. 21. *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. Luc. 16. anima divitis cruciabatur in flammâ: Ergo à fortiori Juſtorum animæ debitam ſibi mercedem ante Reſurrectionem accipiunt; Deus enim propenſior eſt ad remunerandum, quàm ad puniendum.

Nec dicas in veteri teſtamento malos ſtatim poſt mortem pœnas luiſſe, cùm tamen bonis præmium differretur; hoc enim ex eo contigit, quòd nondum propalata eſſet Sanctorum via; nec cœlum Adami peccato clauſum, à Chriſto fuiſſet reſeratum.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1°. Matth. 20. denarius nonniſi inclinato ad veſperam die omnibus ſimul operariis diſtribuitur : atqui hora illa vulgò intelligitur finis mundi, quo juſtis debita merces rependetur : Ergo.

Nego minorem. Is enim eſt ſcopus parabolæ, ut oſtendatur Judæos, qui priores ad divinum cultum acceſſerunt, non plus accepturos quàm Gentiles Chriſtianos, licèt tempore poſteriores, & in ultimâ mundi ætate Deo ſervire cœperint. Mercedem ſimul accipiunt; quia cœlum non fuit reſeratum niſi in morte Chriſti, clavis enim cœli fuit ſanguis ejus. Unde Apoſtolus de Sanctis Patriarchis ait Heb. 11. verſ. 39. *Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem... ut non ſine nobis conſummarentur.* Sancti autem à morte Chriſti acceperunt mercedem ſerò, ſeu in fine vitæ temporalis incompletam, ut interpretantur ſancti Baſilius, Hieronymus, & Fulgentius, ſeu in fine mundi completam, juxta ſanctos Hilarium & Gregorium.

Inſtabis : atqui non accipiunt in fine vitæ temporalis; nam Apoc. 6. v. 9. animæ Martyrum non in cœlo, ſed ſub altari deliteſcunt, *vidi*, inquit ſanctus Joannes, *ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei... & clamabant voce magna dicentes, Uſquequo, Domine, non judicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terrâ? & datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi* : Ergo.

Nego ſubſumptum : tum quia altare, de quo ſæpè fit mentio in Apocalypſi, in cœlo ſemper viſum eſt : Ergo & animæ Martyrum ſub illo

collocatæ : tum quia cap. 7. eædem animæ in circuitu throni laudem Dei concinunt cum ſpiritibus cœleſtibus. Dicuntur autem ſub altari tanquam ſub principe Chriſto, qui eſt ſuprà, velut agnus occiſus, cujus virtute & merito ſeipſos in ſacrificium Deo obtulerunt. Dantur ſingulis ſtolæ albæ, ſcilicet incompleta fœlicitas, donec perfecto ſalvandorum numero, in Reſurrectione completam accipiant.

Inſtabis iterum : 1. Cor. 15. nulla eſt juſtorum merces, ſi reſurrectio mortuorum non eſt : *Ergo*, inquit Apoſtolus, *& qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hâc vitâ tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Longum eſſet referre alios textus, in quibus Scriptura ſuſpendit bonorum remunerationem uſque ad ultimum Chriſti adventum : Ergo.

Diſtinguo antecedens : ſi reſurrectio mortuorum non eſt ſperanda, Concedo : ſi reſurrectio mortuorum eſt futura & ſperanda, Nego antecedens. Eodem modo ſolve, quæ ex Chryſoſtomo in hunc locum ſolent objici. Pugnat enim Apoſtolus contra eos, qui docebant, vel animam perire cum corpore, quorum hæc erant verba v. 32. *manducemus & bibamus, cras enim moriemur*, vel nullam eſſe Reſurrectionem, præter eam quæ fit in Baptiſmo & juſtificatione. Quod ſi ita eſt, reponit Apoſtolus, perierunt ergo, qui in Chriſto dormierunt, noſque adhuc ſuperſtites, qui omni horâ periclitamur, ſpoliamur, vapulamus, & blaſphemamur tanquam mortalium ſceleſtiſſimi, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. In priori hypotheſi quod anima cum corpore pereat, veritas concluſionis, quam elicit Apoſtolus, evidentiſſima eſt : In poſteriori verò, quòd anima ſuperſtes, corpus ſemel amiſſum nunquam reſumptura ſit, probatur concluſionis Apoſtolicæ

veritas; quia corpori propter Dei obſequium tam dura paſſo juſta debetur merces, quæ ſi denegetur, animæ ſimiliter denegari neceſſe eſt; par enim utriuſque ratio. Deinde ea eſt animæ & corporis connexio, ut ex unius ſorte alterius ſors certo colligatur, ſatiſque fuerit Chriſto probare Matth. 22. verſ. 31. & 32. animas cum corporibus non interire, ut evinceret contra Sadducæos futuram eſſe corporum Reſurrectionem: quam argumentandi rationem priùs uſurpaverat ſcriptor lib. 2. Machab. cap. 12. v. 43. & 44. ſed ſtabilitâ fide Reſurrectionis futuræ, Apoſtolus locum dubitandi non relinquit 2. Cor. 5. quin animæ Piorum dum peregrinantur à corpore, præſentes ſint ad Dominum, domumque habeant non manufactam æternam in cœlis.

Ideo autem Scriptura communis Reſurrectionis diem, & ſecundum Chriſti adventum frequentiùs ob oculos ponit: tum quia homini legitimè certanti corona debetur, anima autem ſeparata homo non eſt, ſed hominis pars: tum quia, cùm Chriſtiani multa corpore paterentur in ipſis Religionis noſtræ exordiis, futura aliquando corporis felicitate erant ſæpius erigendi, tum maximé quia in hâc vitâ pietatis ſtudium juſtis plerumque vertitur in deriſum & opprobrium, nec in morte reſtituitur honos qui eorum virtuti debebatur: contra verò peccatorum proſperitas etiam uſque ad ſepulchrum habetur in pretio & laude; *vidi impios ſepultos*, inquit Sapiens Eccle. 8. *qui etiam cùm adhuc viverent in loco ſancto erant, & laudabantur in civitate quaſi juſtorum operum.* Contra ſcandalum tam grave, quo ipſæ columnæ leguntur in Scripturis quodammodo commotæ, firmandi erant fideles continuâ Reſurrectionis & judicii extremi commemoratione; *tunc enim ſtabunt juſti*, Sap. 5. *in magnâ conſtantiâ adversùs eos*

qui ſe anguſtiaverunt.... videntes autem turbabuntur timore horribili..... dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtiâ ſpiritûs gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam... ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei. Hæc virtutis incentiva, hæ Chriſtianorum voluptates & ſpectacula. *Quæ tunc ſpectaculi latitudo*, inquit Tertullianus capite ultimo de ſpectaculis: *Quid admirer? quid rideam? ubi gaudeam, ubi exultem ſpectans tot at tantos Reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur, cum ipſo Jove & ipſis ſuis teſtibus in imis tenebris congemiſcentes? Item Præſules, perſecutores Dominici nominis, inſultantibus contra Chriſtianis, liqueſcentes? Quos præterea ſapientes illos Philoſophos coram diſcipulis ſuis unà conflagrantibus erubeſcentes, quibus nihil ad Deum pertinere ſuadebant? quibus animas aut nullas, aut non ad priſtina corpora redituras affirmabant? etiam Poëtas non ad Rhadamanti, nec ad Minoïs, ſed ad inopinati Chriſti tribunal palpitantes? Tunc magis Tragœdi audiendi, magis ſcilicet vocales in propriâ calamitate. Tunc Hiſtrones cognoſcendi ſolutiores multò per ignem. Tunc ſpectandus Auriga in flammeâ rotâ totus rubens... hæc jam quodammodo habemus per fidem ſpiritu imaginante repræſentata.*

Inſtabis 3°. 1. Cor. 3. omnes probandi ſunt igne conflagrationis, quæ præcedet Judicii diem, *uniuſcujuſque opus, quale ſit*, ait Apoſtolus, *ignis probabit*: atqui nemo admittitur ad viſionem beatificam, quin priùs probatus fuerit: ergo ante univerſalem mundi conflagrationem nullus hominum videbit Deum.

Diſtinguo majorem: omnes, quos univerſalis conflagratio reperiet in corporibus agentes, illo igni probandi ſunt, Concedo; plus enim vel minùs pro venialium peccatorum gravitate aut multitudine in illa conflagratione crucia-

buntur: omnes omninò, etiam ii, qui olim fuerint carne ſoluti, adeo ut in Purgatorio remaneant, purgandi duntaxat in generali mundi conflagratione, quemadmodum ſeculo proximè elapſo quidam Thomas Anglus docuit, Nego majorem. Hæc enim opinio pugnat contra conſtantem univerſalis Eccleſiæ Traditionem. Sanctus Cyprianus epiſt. 52. interpretans de carcere purgatorio hæc Chriſti verba, Matth. 5. *Non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem*, ait: *aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſolvat noviſſimum quadrantem; aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari & purgari diu igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe.* Ergo, juxta doctrinam beati Martyris, animæ è Purgatorio exeunt, ſicut debitor è carcere, ſtatim atque ſoluta ſunt debita: alioquin fruſtra preces, oblationes, & eleemoſinæ, quas pia mater Eccleſia à primis ſeculis ſollicitè offerre conſuevit pro defunctorum requie, ut teſtantur ſancti Ephrem in ſuo Teſtamento, Ambroſius in obitu Theodoſii, Auguſtinus lib. de curâ pro mortuis. Hinc merito Concilium Lugdunenſe ſecundum, anno 1279. Benedictus XII. in ſuâ Bullâ *Benedictus* anno 13,5. & Concilium Florentinum confirmarunt formulam profeſſionis fidei, in quâ Clemens IV. definierat anno 1267. animas, quæ poſt contractam peccati maculam ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi. Nec prætermittendum eſt Academiam Pariſienſem anno 1665. coëgiſſe Baccalaureum revocare propoſitionem, quâ in ſuâ Theſi cum gravi omnium offenſione, aſſeruerat non eſſe omninò certum animas è purgatorio ſolvi ante extremum Judicii diem.

Objicies 2°. Sanctus Hilarius in illud Pſal. 138, *Si deſcendero in infernum ades*, ſic ſcribit, humanæ

iſta lex neceſſitatis eſt, ut conſepultis corporibus, ad inferos animæ deſcendant. Ergo.

Diſtinguo antecedens : deſcendant ibi non remanſuræ uſque ad diem Judicii, Concedo: ibi remanſuræ, Nego antecedens. Sanctus itaque Hilarius cum Tertulliano, lib. de animâ c. 55. exiſtimavit omnium defunctorum animas ad inferos deſcendere, quod *Dominus*, inquit, *ad conſummationem veri hominis non recuſavit* : ſed ſicut Chriſtus cœlum ſtatim aſcendit, ita & animæ plenè purgatæ.

Inſtabis : S. Hilarius in Pſalm. 120. docet animas Juſtorum in ſinu Abrahæ collocari, donec *introeundi rurſum in regnum cœlorum tempus adveniat.* Et lib. 11. de Trin. de ultimâ Judicii die loquens, ait : *Tradet autem Chriſtus Deo Patri regnum, & tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt* : Ergo priùs non videbunt.

Nego conſequentiam. Sanctus enim Hilarius regnum Chriſti diſtinguit à regno Patris : primum extendit uſque ad diem Judicii, quo illud Patri tradet 1. Cor. 15. ſecundum nunquam finiendum auſpicatur à die Judicii. Scribit autem electos ſimul in illud ſecundum regnum rurſum introire, quod ſupponit eos ſeparatim in illud jam fuiſſe ingreſſos, & ſinum Abrahæ in lege nova eſſe ipſum cœlum; ait enim in Pſalmum 119. *Chriſti conſortium mors acquirit* Et in Pſalm. 65. *Martyres in cœleſtis domicilii habitationem introierunt.*

Objicies 3°. ſanctus Ambroſius lib. de bono mortis cap. 10. docet animas in certis quibuſdam habitaculis & promptuariis uſque ad diem Judicii contineri. Ergo.

Nego conſeq. ipſe enim ſanctus Doctor ſtatim addit illas manſiones eſſe in cœlis apud Patrem, ut habetur Joan. 14. v. 2.

Inſtabis, idem Ambroſius lib. de Caïn cap. 2.

ſcribit animam corpore ſolutam, futuri Judicii ambiguo ſuſpendi.

Diſtinguo, ſuſpenditur ambiguo diei Judicii extremi, Concedo: neſcit enim diem quâ Chriſtus veniet: ſuſpenditur ambiguo ſuæ beatitudinis, Nego. Sanctus enim Doctor epiſt. 16. ad Theſſ. ſcribit Acolium defunctum eſſe poſſeſſorem civitatis æternæ, quæ in cœlo eſt omnia jam ipſi eſſe aperta, & videre facie ad faciem.

Objicies 4°. S. Auguſtinus ſerm. 299. definit omnes Sanctos poſt reſurrectionem ſuam ſabbatiſmum in terrâ cum Chriſto eſſe acturos; antequam in cœlum admittantur.

Reſpondeo, nos ſuprà monuiſſe ſanctum Auguſtinum aliquando verſatum in errore Millenariorum, ut ipſe agnoſcit lib. 20 de Civitate Dei c. 7. ubi meliora jam ſentit; ſicut & c. 13. lib. 1. Retract. cap. 14. enarrat in Pſalmum 119. lib. 1. de peccatorum meritis, & lib. 4. contra Julianum cap. 8. de parvulis ſtatim à Baptiſmo morientibus, ait: *intrans in regnum Dei, ubi ſit ei æternitatis ſalus & agnitio veritatis.*

Inſtabis: Sanctus Auguſtinus enchiridii cap. 109. ſic habet; *tempus quod inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet ſicut unaquæque digna eſt vel requie, vel ærumnâ.* Eadem repetit lib. 1. de Civ. cap. 13. & lib. 12. cap. 9. Ergo ante reſurrectionem animæ piorum non exeunt in cœlum.

Reſpondeo Sanctum Auguſtinum revera fuiſſe ancipitem de loco ſanctarum animarum, quamvis certus eſſet de earum felicitate, quemadmodum firmiter credens peccatum originale contrahi, dubitat tamen de modo quo contraheretur, quia Scriptura ejuſmodi circunſtantias non æquè clarè ac res ipſas definit.

Ac primo quidem pro certo habuit ſanctas animas

mas à Chriſti adventu ad inferos non deſcendere, ſic enim ſcribit lib. 20. de Civitate Dei cap. 15. *non abſurdè credi videtur antiquos etiam ſanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe... profectò deinceps boni fideles, effuſo illo* (ſanguine Chriſti) *pretio jam redempti inferos prorſus neſciunt.* Sed quis ſit ſinus Abrahæ, in quo Scriptura ſanctos recipi perhibet, non ita fidenter pronuntiat, lib. 9. Confeſſ. cap. 3. rem iſtam relinquit in dubio, *quidquid illud eſt*, inquit, *quod illo ſignificatur ſinu*, & lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 34. poſtquam de ſinu Abrahæ, in quo collocatus eſt Lazarus, de paradiſo, quò introductus eſt Latro, & de tertio cœlo, quò raptus eſt Paulus, fusè diſputavit, *ſi tamen*, inquit, *non aliquid eſt diverſis nominibus appellatum unum, ubi ſunt animæ beatorum.*

Eſt tamen ubi Abrahæ ſinum omninò diſtinguat à regno cœlorum, ut enar. in Pſalm. 36. conc. 1. ſic enim loquitur, *poſt vitam iſtam parvam nondum eris ubi ſunt Sancti*, quibus dicetur, venite benedicti Patris mei : *nondum ibi eris, quis neſcit? ſed jam ibi poteris eſſe, ubi illum quondam ulceroſum pauperem dives ille ſuperbus.... in tormentis vidit à longè requieſcentem. In illâ requie poſitus, certè ſecurus expectas judicii diem, quando recipias & corpus, quando immuteris, ut Angelo æqueris.*

Sed omnium frequentiſſimè illum ſinum cum regno cœlorum confundit. in Pſalm 119 lib. 4. contra Julianum cap. 3. lib. 10. de Civ. cap. ultimo, & lib. 20. cap. 12. lib. 2. quæſt. Evang. cap. 28. *ſinus Abrahæ*, inquit, *requies eſt beatorum pauperum, quorum eſt regnum cœlorum, in quo poſt hanc vitam recipiantur.* Et infrà : *ſinus Abrahæ intelligitur ſecretum Patris, quò poſt paſſionem reſurgens aſſumptus eſt Dominus.*

Inſtabis iterum : atqui S. Auguſtinus negat Piorum animas beatitudine jam frui ; ſic enim habet tract. 49. in Joan. *Promiſſa eſt reſurrectio carnis, vita æterna cum Angelis, hoc omnes ſimul accepturi ſumus.* Ergo ante reſurrectionem ſinguli vitam æternam non accipiunt. Et lib. 1. Retract. cap. 14. *Angeli quidem ſancti*, inquit, *quòd ibi ſint* (in beatitudinis poſſeſſione) *nulla quæſtio eſt : ſed de ſanctis hominibus jam defunctis, utrùm ipſi ſaltem dicendi ſint in illâ poſſeſſione conſiſtere, meritò quæritur.*

Diſtinguo ſubſumptum, negat animas beatitudine jam frui completâ, Concedo : incompletâ ſeu inchoatâ, & ut loquitur Joannes XXII. in ſuâ fidei poſſeſſione, quantùm ſtatus animæ ſeparatæ patitur, Nego. Veteres igitur ita diſtinxerunt inter viſionem Dei intuitivam & beatitudinem perfectam & completam, ut illam ante Reſurrectionem conceſſerint animabus ſanctis, hanc verò negaverint propter propenſionem animæ ad corpus. Et hæc obſervatio imprimis neceſſaria eſt ad ſolvendas difficultates, quæ occurrunt in eorum lectione.

Urgebis : atqui ſanctus Auguſtinus negavit ipſam Dei viſionem animabus ſeparatis : Ergo nulla ſolutio.

Antecedens probatur ex Epiſtolâ ad Fortunatianum ſuprà laudatâ, & ex Enarrat. in Pſalm. 43. ubi ſic loquitur, *illa viſio facie ad faciem liberatis in Reſurrectione ſervatur.* Ergo.

Nego antecedens, cujus confirmationem diſtinguo. Viſio facie ad faciem in Reſurrectione ſervatur, quoad certum perfectionis gradum, Concedo : quoad ſubſtantiam, Nego. Solutio eruitur ex lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 34. & 35. ubi ſanctus Doctor diſertè mentem ſuam aperit. Cùm enim ſcripſiſſet cap. 34. in tertio cœlo, quò raptus eſt Apoſtolus, ipſam Dei ſubſtan-

tiam videri quærit cap. 35. *Quid opus ſit ſpiritibus defunctorum corpora ſua in Reſurrectione recipere, ſi poteſt eis etiam ſine corporibus ſumma illa beatitudo præberi?* Tum reſpondet, *minimè dubitandum eſt, & raptam hominis à carnis ſenſibus mentem, & poſt mortem ipſam carne depoſitâ... non ſic videre poſſe incommutabilem ſubſtantiam, ut ſancti Angeli vident: ſive aliâ latentiore causâ, ſive ideo quia ineſt ei naturalis quidam appetitus corporis adminiſtrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne totâ intentione pergat in illud ſummum cœlum, quandiu non ſubeſt corpus, cujus adminiſtratione appetitus ille conquieſcat.* Sanctus tamen Thomas 1a. 2æ. q. 4. art. 5. ad 4. & 5. ubi expendit illum S. Auguſt. textum, reſpondet intentionem animæ ad Deum dupliciter ſpectari poſſe, 1°. ut ad ſummum bonum & summè appetibile. 2°. ut quodam modo communicabile corpori. Intentio animæ ſub priori reſpectu non erit ardentior reſumpto corpore, nec ejus viſio acquiret novum perfectionis gradum, quo delectabilius in Deo quieſcat; nam viſio Dei intuitiva ſemel conceſſa eſt immutabilis; cùm nec creſcat nec decreſcat ſive lumen gloriæ mentem illuſtrans, ſive charitas affectum perficiens: ſed gaudium, quo ſuperabundat, refundet in corpus, & ſic erit beatior extenſivè, non intenſivè.

Objicies 5°. S. Bernardus negat ſanctis viſionem beatificam; nam Serm. 4. in feſto omnium Sanctorum dicit animas Martyrum eſſe ſub altari; quia ſolam vident Chriſti humanitatem, poſt corporum autem Reſurrectionem exaltandas eſſe ſuper altare ad intuendam ejus divinitatem. Et Serm. 4. in dedicatione tres manſiones diſtinguit, infimam, mediam, & ſupremam: infimam vocat tabernacula, ſecundam atria, tertiam domum Dei. Primam tribuit hîc viventibus, ſecundam hinc migrantibus, tertiam in

fide reſurgentibus. *In tabernaculis*, inquit, *gemitus eſt pœnitentiæ, in atriis guſtus lætitiæ; in te* (domum Dei alloquitur) *ſatietas gloriæ. Felix qui hic declinaverit à malo quod eſt culpa, & fecerit bonum: ut illic* (in ſecundâ manſione) *à malo, quod eſt pœna, liberetur, & in te recipiat bonum: hic nimirum primitiæ ſpiritus, illic divitiæ, in te plenitudo.*

Reſpondeo 1°. nonnullis viſum fuiſſe ſanctum Bernardum in oppoſitâ verſari ſententiâ; ſed quæ variis in locis de piarum animarum felicitate nudè & dilucidè tradit, obſtant, quominus propter quædam allegoricè & obſcurè dicta quidquam ſimile de tanto viro ſuſpicemur. Nam Serm. 2. in ſanctum Victorem, *jam cœlos ingreſſus*, inquit, *verè nunc revelatâ facie ſpeculatur gloriam Dei... beata viſio, quâ in eandem imaginem transformatur.* Serm. 19. de Diverſis, *hauriunt* (Sancti) *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur eſſentiam,* Serm. 2. de ſancto Malachiâ, *hodie in conſortium Angelorum recipitur... pari cum Angelis gloriâ & felicitate lætatur.* Et animam ejuſdem ſancti alloquens, Epiſt. 311. ad fratres de Hiberniâ, *nec jam*, inquit, *in fide ambulas, ſed in ſpecie regnas.* Lib. de diligendo Deo cap. 10. de animabus Martyrum, *immerſas ex toto credimus immenſo illi pelago æterni luminis & luminoſæ æternitatis.* Serm. 3. de omnibus Sanctis, *receperunt*, inquit, *jam ſingulas ſtolas; ſed non veſtientur duplicibus, donec veſtiamur & nos. Stola prima, ipſa eſt felicitas animarum. Secunda, immortalitas & gloria corporum.* Et Serm. 4. de iiſdem diſtinguit ſinum Abrahæ, quò olim Piorum animæ deferebantur, ab eo, quò jam abeunt, loco. *Ille*, inquit, *in tenebris, hic in luce multâ: in inferno ille, hic in cœlo.* His præmiſſis, quæ nullum relinquunt dubitandi locum de ſanâ ſancti Bernardi doctrinâ circa ſtatum animarum plenè purgatarum,

Reſpondeo 2°. ad textus in objectione laudatos, ſanctum Bernardum ibi velle duntaxat beatitudinem animæ non fore completam, ſive extenſivè, ut omnes fatentur, ſive intenſivè, ut aliqui opinati ſunt ex ſupra laudato ſancti Auguſtini textu lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 35. niſi reſumpto corpore. *Adeo*, inquit Serm. 3. de omnibus Sanctis, *viget in iis deſiderium hoc naturale* (reſumendi corporis) *ut necdam tota eorum affectio liberè pergat in Deum*. Et Serm. de diverſis, *in hoc ſtatu poſiti Sancti bibere quidem poſſunt, ſed inebriari non poſſunt; quoniam à perfectiſſimâ contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc ſui corporis reſurrectionem in fine ſeculi præſtolantur*. Ergo interim divinitatem, licèt minùs perfectè, contemplantur. Ergo animæ ſanctæ ſive dicantur in ſinu Abrahæ, ſive in Atriis domûs Dei, ſive ſub altari, revera ſunt in cœlo; nam ex ſancto Bernardo, ſinus Abrahæ à Christi paſſione cœlum eſt, & atrium in ejus mente; quia in eo propinquant ad perfectiſſimam Dei viſionem, quam vocat domum Dei. Ergo ſub altari Piorum animæ humanitatem Christi non contemplantur nudè, & ſecundùm ſe præciſè ſpectatam, ſed ut ſubſiſtentem in verbo, quo ſenſu ipſi etiam Angeli deſiderant in eam proſpicere, ut ibidem loquitur S. Bernardus: hæc autem contemplatio non eſt ſine intuitivâ Dei viſione, licèt minùs perfectâ ad mentem ſancti Doctoris, quàm futura ſit poſt reſurrectionem.

Objicies 6°. in veteribus Liturgiis Sanctorum Marci, Baſilii, Chryſoſtomi, Epiphanii, Syrorum, & Æthiopum, præſcribuntur preces pro omnibus defunctis etiam Patriarchis, Apoſtolis, & Martyribus; quin & in Latinâ hodiernâ fiunt orationes, ut Deus eruat animas de ore leonis, nec abſorbeat eas tartarus, quod

ſignum eſt eas hactenus non ſubiiſſe Dei judicium, ſed ſortem earum adhuc eſſe ſuſpenſam. Ergo Eccleſia nullibi credidit animas ſeparatas frui viſione beatificâ.

Reſp. 1°. diſtinguendo anteced. præſcribuntur preces, ut ſacrificium Apoſtolis, Martyribus, & ceteris Sanctis proficiat ad honorem & celebrem memoriam, aliis ad requiem, Concedo: ut omnibus & ſingulis proficiat ad requiem, Subdiſtinguo: ad requiem eſſentialem, Nego antecedens: nam ex S. Auguſtino Serm. 159. aliàs 17. de verbis Apoſtoli, *injuria eſt pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare.* Et tract. 84. in Joan. *ad ipſam menſam Martyres non ſic commemoramus, quemadmodum alios defunctos, ut etiam pro ipſis oremus, ſed magis ut orent ipſi pro nobis.* Sanctus quoque Chryſoſtomus hom. 21. in Acta Apoſtolorum, ſic interpretatur illas preces, quæ pro Martyribus in Liturgiis fundebantur: *Quid putas*, inquit, *pro Martyribus offerre? ... Ingens gloria in memoria tunc haberi; ſicut quando Regum trophæa ſtatuuntur, tunc celebrantur, & quicunque victoriæ ſocii fuerint.* Similia habent ſanctus Cyrillus Jeroſolymitanus, catecheſi 5. & ſanctus Epiphanius hæreſi 75.

Reſp. 2°. In Liturgiâ noſtrâ Latinâ, ubi Eccleſia commemorat defunctorum depoſitionem, ſeu diem obitûs, exhibet eos quaſi adhuc animas exhalantes & in periculo ſubeundi Judicii, quemadmodum in feſto Nativitatis ſubjicit oculis Chriſtum naſcentem, & in Adventu quaſi jam jam naſciturum: *Rorate*, inquit, *cœli deſuper, & nubes pluant juſtum.*

Objicies ultimo: Ochamus è familiâ Minorum, & Joannis XXII. coëtanus teſtatur eum libellis & Conſtitutionibus definiiſſe animas ante reſurrectionem non donari viſione beatificâ;

& inſuper caviſſe, ne quis in Academiâ Pariſienſi gradum Magiſterii conſequeretur, niſi priùs Sacramento ſe obſtrinxiſſet, ejuſmodi dogma ſe defenſurum. Idem refert Adrianus VI. in quartum tract. de Sacramento Confirmationis. Ergo.

Reſpondeo, Ochamum Joannis XXII. infenſiſſimum hoſtem hâc in parte non eſſe audiendum, præſertim cùm in Dial. p. 2. tract. 2. ſcribat ſe id reſciviſſe ex aliorum narratione, cui omnimodam fidem non adhibet, fateaturque Joannem XXII. proteſtatum ſe nihil definiiſſe. Adrianus autem, qui ducentis circiter poſt Joannem annis vixit, videtur deceptus ſcriptis Ochami, falſis rumoribus & libellis de Joanne diſſeminatis.

PARAGRAPHUS VII.

Quæ & quot requiruntur, ut Deus intuitivè videatur?

℟. TRia. Unum ex parte ſubjecti ſeu intellectûs creati; alterum ex parte objecti: tertium ex parte ipſiuſmet actûs, ſive viſionis.

Ex parte quidem ſubjecti requiritur lumen gloriæ, juxta illud Pſalm. 35. *apud te eſt fons vitæ;* ſcilicet ſpiritualis, continuò dimanans in nos, hic per gratiam: in cœlo per gloriam, *& in lumine tuo videbimus lumen.* Non in lumine ſolari aut lumine naturali intellectûs noſtri, vel ſcientiæ humanæ, (ut olim docuerunt Beguardi, & ideo damnati in Concilio Viennenſi;) ſed in lumine tuo ſupernaturali, ſeu à te ſupernaturaliter infuſo videbimus lumen, id eſt fulgentem faciem tuam. Et ratio eſt; quia ſi ad credendum quod Deus promittit, neceſſarium eſt lumen ſupernaturale fidei & gratiæ; à fortiori

ad illud intuendum requiritur ſupernaturale lumen gloriæ, quo mens humana elevetur ſupra omnem ordinem creatum, & roboretur ad ſuſtinendum tantum divinæ Majeſtatis fulgorem. Conſule quæ in hanc rem fuſiùs tradimus Tractatu de Gratiâ, cap. 1. p. 314. & ſeq.

Q. 2°. *Lumen gloriæ eſt-ne habitus?*

R. Nonnulli negant, ſed Theologorum turba affirmat, quia lumen gloriæ non minùs eſt in Beatis permanens, quàm fides, ſpes, & charitas in viatoribus: Ergo ſicut ejuſmodi virtutes ſunt habitus, ita & lumen gloriæ.

Definitur ergo lumen gloriæ, habitus ſupernaturalis, quo mens creata elevatur, & ultimò diſponitur ad Deum intuitivè videndum.

Ex parte etiam objecti, nempe Dei, requiritur, ut intellectui lumine gloriæ inſtructo conjungatur; & cum eo objectivè concurrat ſive per ſe, ſive per ſui ſpeciem ad eliciendam viſionem; namque ex ſancto Auguſtino lib. 5. de Trinit. cap. 12. & alibi paſſim cognitio gignitur à cognoſcente & objecto cognito. Hinc eſt quod homo viator Deum, licèt ubique præſentiſſimum, intuitivè non videat; quia in ratione objecti non conjungitur ejus intellectui, nec oculus etiam perfectè ſanus percipiat in tenebris objecta, quæ circunſtant; quia ſine lumine ab iis non afficitur, nec movetur. Cùm autem objectum ſit aliquando diſtans, aut craſſius quàm ut facultati per ſe conjungatur; tunc conjungitur per vicariam ſui ſpeciem, quæ ideo dicitur impreſſa, quod imprimatur ſive ab objecto, ſive à Deo immediatè, ut ideæ primorum principiorum. Unde Ariſtoteles lib. 3. de animâ c. 8. ait, non lapis in animâ eſt, ſed ejus ſpecies. Et hæc ad mentem ſanctorum Auguſtini & Thomæ, à quibus recedere nefas eſt viro Theologo, quam-

vis illa ut mera commenta habeant recentiores Philoſophi.

Ex parte denique ipſiusmet viſionis requiritur ſecundùm communiorem Theologorum ſententiam expreſſa objecti ſimilitudo, ſeu verbum mentis tanquam viſionis terminus, ad quem ſe habet viſio, ſicut illuminatio ad lumen, calefactio ad calorem. *Quemadmodum enim*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 9. de Trinitate cap. 11, *cùm per ſenſum corporis videmus corpora, fit earum aliqua ſimilitudo in animo noſtro... ita cùm Deum novimus... fit aliqua Dei ſimilitudo illâ notitiâ.* Et Sanctus Anſelmus in Monologio cap. 31. *nullâ ratione*, inquit, *poteſt negari, cùm mens ſeipſam intelligit, imaginem ipſius naſci ſuâ cogitatione*, additque quamcunque rem animus intelligat, ejus ſimilitudinem quantum valet, in ſeipſo exprimere. Denique Facultas Pariſienſis anno 1347. hunc Joannis de Mercuriâ articulum decimum-quintum proſcripſit, *probabile eſt cognitionem vel volitionem non eſſe diſtinctas ab animâ.* Hæc autem ſimilitudo vocatur ſpecies expreſſa, quia à mente exprimitur, eſtque formalis objecti repræſentatio. Cùm contra ſpecies (quam appellavimus impreſſam; quia menti imprimitur ſive ab objecto, ſive à Deo immediatè,) ſit virtualis duntaxat objecti repræſentatio, quatenus nempe cum intellectu concurrit ad formandum verbum mentis, ſeu formalem objecti imaginem. Sed iſta Philoſophos magis ſpectant quàm Theologos, ut quæ nec ex Scripturâ, nec ex Traditione ſufficienter probentur.

Q. 3°. *Eſt ne admittenda ſpecies impreſſa in intuitivâ Dei viſione, ſicut admittitur expreſſa?*

R. Poſſibilis quidem eſt; ſed non debet admitti.

Prima pars reſponſionis probatur; quia ex mox

M v

dictis datur ſpecies expreſſa: Ergo à fortiori dari poteſt impreſſa, ut quæ ſit expreſsâ ignobilior; expreſſa enim eſt formalis divinæ eſſentiæ repræſentatio, impreſſa verò eſt duntaxat ſemen hujuſce repræſentationis.

Dices: res finita infinitam repræſentare nequit: atqui utraque illa ſpecies finita eſt, utpote creata; Deus verò eſt infinitus: Ergo.

Diſtinguo majorem, repræſentare nequit infinito modo, Concedo: finito modo, Nego maj. alioquin viſio Dei intuitiva eſſet impoſſibilis; eſt enim quædam Dei repræſentatio.

Inſtabis: atqui res finita nequidem finito modo repræſentare poteſt objectum infinitum; res enim illa vel haberet omnes objecti infiniti perfectiones, ſicque eſſet infinita in omni genere perfectionis, quod manifeſtè repugnat: vel non haberet, & ita repræſentare non poſſet perfectiones objecti quas non haberet. Ergo nulla ſpecies ſive impreſſa ſive expreſſa divinam eſſentiam repræſentare poteſt.

Diſtinguo ſubſumptum: res finita nequidem finito modo objectum infinitum repræſentare poteſt tanquam medium in quo Deus intuitivè videatur, Concedo: propter rationem in objectione allatam: tanquam medium quo videatur Deus; Nego ſubſumptum. Fatendum itaque eſt nullam ſpeciem, nullamvè creaturam poſſe eſſe medium in quo tanquam in objecto videatur Deus ſicut in ſe eſt: quia illa creatura deberet in ſe continere omnes Dei perfectiones, quod eſt impoſſibile. Unde qui videret ſpeciem expreſſam, quâ beatus intuitivè cognoſcit Deum aut Angelum, non propterea Deum aut Angelum videret, niſi abſtractivè; quia ſpecies illa eſt quid etiam Angelo imperfectius, cùm illa ſit merum accidens, Angelus verò ſubſtantia, ſed videret

duntaxat ejuſmodi ſpeciem eſſe medium, quo mens beati Deo aut Angelo, tanquam objecto immediatè conjungitur, ut, non in illâ, ſed per illam Deum aut Angelum intueatur. Denique ſicut oculus infirmus non in perſpiciliis, quibus juvatur, ſed per perſpicilia objectum attingit; ita Beatus non in ſpecie quæcunque tandem illa ſit, ſed per ſpeciem Deum videt ut in ſe eſt.

Secunda pars reſponſionis probatur, quia ſpecies impreſſa non admittitur, niſi ad ſupplendam vel objecti abſentiam, vel materialitatem nimiam : atqui eſſentia divina eſt intimè præſens intellectui beatorum, & maximè ſpiritalis ac intelligibilis, utpote actus puriſſimus : Ergo ſpecies impreſſa eſt prorſus inutilis.

Dices : vox eſt Scripturarum & Sanctorum Patrum, Deum in cœlis videri per propriam ſpeciem : Ergo.

Diſtinguo antecedens, per propriam ſpeciem, ut excludantur figuræ & ſpecies alienæ in quibus viſus eſt à ſanctis Patriarchis & Prophetis, Concedo : ut aſſeratur ſpecies aliqua menti impreſſa, quâ mediante Deus videatur, Nego antecedens.

Q. 4°. *Lumen gloriæ poteſt ne ſuppleri à Deo per actuale auxilium ſupernaturale ?*

R. Poteſt 1°. quia peccatores, qui ſe diſponunt ad juſtificationem, ſine habitibus infuſis eliciunt actus ſupernaturales per actualia Dei auxilia : Ergo à pari beati ſine habituali lumine gloriæ viſionem beatificam elicere poſſent actuali Dei auxilio adjuti. 2°. quia Deus per ſeipſum poteſt ſupplere cauſalitatem cauſarum ſecundarum, modo non ſint cauſæ formales aut materiales, v. g. ſine ſole poteſt producere lumen, & ſine igne calorem ; quia Sol & ignis ſe habent ad-

illos effectus ut cauſæ efficientes; ſed non poteſt efficere lucidum & calidum ſine lumine & calore; quia lucidum eſſe aut calidum ſunt effectus formales, hoc eſt, reſultant ex ipsâ formæ, putà luminis & caloris, communicatione, adeo ut lucidum eſſe calidum idem ſit, ac habere lumen aut calorem; cùm autem Deus non poſſit quod repugnat, repugnetque habere lumen aut calorem, & non habere, ſequitur quod Deus non poſſit ſupplere cauſalitatem cauſæ formalis, v. g. facere lucidum ſine lumine, aut calidum ſine calore: atqui habituale lumen gloriæ concurrit ad viſionem intuitivam per modum cauſæ efficientis, non verò cauſæ formalis: Ergo Deus poteſt ſupplere cauſalitatem habitualis luminis gloriæ.

Dices: non aqua igni admota & conjuncta calefaciet corpora adjacentia, ſed ſolus ignis aſſiſtens, ſi illa maneat frigida, nec colore priùs informetur: Ergo à pari intellectus beatorum, quantumcumque Deo aſſiſtenti conjunctus, nunquam viſionem beatificam eliciet, niſi formam luminis gloriæ in ſe recipiat.

Diſtinguo antecedens, ſi aqua maneat frigida, nec calefaciendi virtutem à Deo accipiat, Concedo: ſi calefaciendi virtutem à Deo accipiat, Nego antecedens. Porrò Deus aquam formaliter frigidam poteſt reddere virtualiter calefactivam ratione potentiæ obedientialis, quæ unicuique creaturæ ineſt ad quoſlibet effectus, qui non repugnant, quin piper formaliter frigidum tempore hyemis, eſt ex naturâ ſuâ virtualiter calidum ſine calore formali.

Diſtinguo ſimiliter conſequens. Intellectus beatorum viſionem beatificam non eliciet, niſi formam luminis gloriæ, aut ejus virtutem recipiat per actualem Dei motionem, Concedo: niſi ipſum habitum luminis gloriæ formaliter

recipiat, Nego conſequentiam. Solutio patet exemplo allato actuum ſupernaturalium, quos eliciunt peccatores ſine habitibus infuſis, ſed per ſolam Dei aſſiſtentiam & motionem; nam habitus non producunt actus ſuos in genere cauſæ formalis, id eſt, quatenus informant potentiam, ſed in genere cauſæ efficientis, & quatenus cum potentiâ efficienter ad illos concurrunt.

Q. 5°. *Lumen gloriæ poteſt-ne eſſe connaturale alicui creaturæ poſſibili?*

R. Non poteſt, 1°. quia gratia ex citato jam cap. 1. Tract. de Gratiâ pag. 314. & ſeq. excedit omnem ordinem creaturæ poſſibilem, conſtituitque creaturam in eſſe divino, adeo ut ſicut juxta ſanctum Thomam ibidem laudatum, eſſe ignitum non poteſt eſſe connaturale, niſi habenti naturam ignis, ita nec eſſe divinum naturaliter competere queat, niſi habenti naturam divinam: atqui lumen gloriæ in ordine gratiæ excellit, & in eô locum termini, ac ultimæ perfectionis obtinet: Ergo. 2°. quia nulla creatura poteſt eſſe ſibi ſummum bonum, ſuus ultimus finis, ſua beatitudo, indefectibilis ac impeccabilis: atqui ejuſmodi attributa ei competerent, ſi lumen gloriæ & viſio Dei intuitiva eſſent quid illi connaturale, ut per ſe patet: Ergo.

Dices: datur accidens ſupernaturale: Ergo poteſt etiam eſſe ſubſtantia ſupernaturalis.

Nego conſequentiam, quia contradictorium eſt ſupernaturalem dari ſubſtantiam creatam. Supernaturale quippe, ex dictis citato cap. 1. de Gratiâ, definitur quod eſt ſuper omnem ordinem creatum & creabilem; unde illa ſubſtantia creata, quæ fingitur ſupernaturalis, ſimul eſſet ſupernaturalis & non eſſet; eſſet, ut ſupponitur; revera tamen non eſſet, cùm foret in ordine creato. At verò ſine ulla contradictione poteſt dari

accidens ſupernaturale; quia accidens eſt alterius, & ut loquuntur Philoſophi, entis ens; id eſt, proprietas & appendix alicujus ſubſtantiæ: non repugnat autem ſubſtantiam inferiorem ſupra naturam ſuam moveri, & affici à ſubſtantiâ ſuperiore, v. g. ferrum igneſcere per participationem ignis, cryſtallum radios emittere Solis virtute & efficaciâ, Spiritum creatum Deiformem fieri motione divinâ: ſi autem connaturale eſſet ferro ſic igneſcere, cryſtallo ſic fulgere & irradiare, Spiritui creato Deiformem eſſe; conſequens foret ferrum eſſe naturâ ſuâ ignem, cryſtallum Solem, & Spiritum creatum, Deum, quæ abſurda nemo non ſentit.

Paragraphus VIII.

Utrùm viſio beatifica in Angelis & hominibus ſit æqualis perfectionis?

Duplex hîc perfectio diſtingui debet; alia eſt eſſentialis & ſpecifica, ut perfectio charitatis reſpectu fidei & ſpei, *major horum eſt charitas*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 13. alia accidentalis aut integralis, quomodo charitas, quæ eſt ejuſdem ſpeciei & eſſentiæ in omnibus juſtis, perfectior dicitur in iis, in quibus eſt intenſior & magis ardens.

Quæſtio non eſt de perfectione ſpecificâ & eſſentiali; certum quippe videtur viſionem beatificam in omnibus eſſe ejuſdem ſpeciei. Nam ex recepto Philoſophorum effato, illi actus ſunt ejuſdem ſpeciei, quibus eſt idem objectum formale, & idem principium: atqui viſionis beatificæ eſt idem objectum formale, nempe Deus intuitivè videndus, idem quoque principium, ſcilicet lumen gloriæ, quod in omnibus Beatis

idem eſt, ſicut lumen fidei in omnibus fidelibus, Ergo viſio beatifica tum in Angelis, tum in hominibus eſt ejuſdem ſpeciei.

Non refert quòd mentes, quæ in Angelis & hominibus ad viſionem beatificam concurrunt, ſint diverſæ ſpeciei; ad eam enim non conferunt ſecundùm rationes ſpecificas, ſed ut elevatæ, & quatenus ſunt generatim facultates intelligentiâ præditæ, ſub quâ conſideratione ſpecie non differunt, ut infrà ampliùs explicabitur.

Et verò ſi intuitiva viſio Angelica ſpecie diſcreparet ab humanâ, viſio humana nunquam poſſet ad viſionis Angelicæ perfectionem pervenire; infimum enim ſuperioris ordinis ſuperat ſupremum inferioris ordinis; ſed illud repugnat communi fidelium ſententiæ.

Controverſia itaque verſatur duntaxat circa gradum & intentionem viſionis beatificæ, an ſcilicet beati fruantur Dei viſione in gradu æquali vel inæquali.

Jovinianus aſſeruit quarto Seculo, æqualia eſſe rectè factorum merita & præmia, ut refert S. Hieronymus lib. 2. contra illum Hæreticum. Eundem errorem jam pridem proſtratum reſtituerunt Pſeudoreformati Seculo XVI. contra quos ad propoſitam quæſtionem.

R. De fide eſt inæqualem eſſe viſionem beatificam; ita enim definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 32. *Si quis dixerit hominis juſtificati bona opera ... non verè mereri augmentum gratiæ vitam æternam ... atque etiam gloriæ augmentum: anathema ſit.* Præiverat anno 380. Concilium Mediolanenſe, in quo damnatus eſt Jovinianus, ex ſancto Ambroſio epiſtolâ 42.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Joan. c. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* In quem locum Tertullianus ſic ſcribit in Scorpiaco: *Quomodo*

multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum? 1. Cor. 15. *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. Stella enim à ſtellâ differt à claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* Quæ expendens S. Auguſtinus lib. de ſanctâ Virginitate, ait: *hæc ſunt merita diverſa Sanctorum.* 2. Cor. c. 9. *qui parcè ſeminat, parcè & metet.*

Probatur 2°. ex Traditione S. Polycarpus in actis Paſſionis ſuæ: *Merita mea*, inquit, *doloris æſtimatione penſabo: quantò graviora pertulero, tantò præmia majora percipiam.* S. Irenæus lib. 1. cap. 72. *Si plus dilexerimus, clariores erimus apud Deum.* Jam laudavimus verba Tertulliani & S. Auguſtini.

Probatur 3°. ratione. Debet eſſe eadem ratio mercedis pro varietate meritorum, quæ ſupplicii pro varietate criminum: atqui pro varietate criminum varia decernuntur ſupplicia, Apocal. 18. verſ. 7. *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum illi date tormentum:* Ergo.

Dices: Matth. 20. unus denarius & una merces retribuitur omnibus, qui in vineâ ſunt operati, licèt alii plus, alii minùs laboraverint: Ergo par omnibus decernitur gloria.

Diſtinguo anteced. una merces objectivè & ſpecificè ſumpta, Concedo: una merces formaliter & in eodem gradu, Nego anteced. Itaque unus Deus erit omnium merces, ab omnibus poſſidebitur unâ ſpecie viſionis; quemadmodum omnibus convivis iidem cibi apponuntur; ſed alii plùs, alii minùs inde ſumunt, ita tamen ut omnes ſaturentur, non aliquid ampliùs deſiderent, nec invideant plus ſumentibus; *id etiam*, inquit S. Auguſtinus lib. 22. de Civ. cap. 30. *beata civitas illa magnum in ſe videbit, quod nulli ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Archangelis Angeli ceteri; nollet enim eſſe unuſquiſque quod non accepit; ſicut nec in corpore vult oculus eſſe,*

qui eſt digitus, nec minor frater veſtem majoris longiorem appetit, ſua breviori contentus, ut quæ ſit ipſi convenientior.

Q. 2°. *Quænam eſt cauſa hujus inæqualitatis?*

R. Cauſa moralis eſt meritorum inæqualitas; phyſica verò eſt lumen gloriæ, quod pro meritorum diverſitate majus aut minus confertur.

Prima pars reſponſionis probatur; quia cauſa moralis eſt ea, quæ efficientem movet aut determinat ad agendum; ſic fides data moraliter movet ad præſtandum quod promiſſum eſt: atqui Deus ex præcedenti reſponſione gloriam in mercedem retribuit ſecundùm uniuſcujuſque laborem, 1. Cor. 3. v. 8. *Tantùm ampliùs*, inquit ſanctus Fulgentius libro de Trinitate, *alius alio in illâ vitâ Deum videbit, quantùm ampliùs in hâc vitâ eum dilexit.*

Secunda pars probatur; quia cauſa phyſica dicitur, quæ vi ſuâ effectum producit; famulus v. g. eſt cauſa phyſica operis, præceptum verò domini cauſa moralis; famulus enim propriâ virtute & efficaciâ opus perficit, præceptum verò domini virtute alienâ: atqui lumen gloriæ, quod pro meritorum diverſitate inæqualiter datur, vi ſuâ inæqualitatem viſionis beatificæ ita efficit, ut naturales vires perſpicacioris intellectûs, putà Angelici, nihil ad eam conferant: Ergo.

Minor probatur 1°. auctoritate Academiæ Pariſienſis, quæ, agente Guillelmo Pariſienſi Antiſtite anno 1240. hanc propoſitionem proſcripſit. *cujus meliora fuerint naturalia, neceſſariò major erit gratia & gloria.* Ejuſdem propoſitionis cenſuram confirmavit Stephanus Pariſienſis anno 1267.

Probatur 2°. eadem minor ratione duplici. Prima, quia homo in ſtatu viæ, quantumcun-

que ingenii acumine & excellentiori ſcientiâ præpolleat, ſeipſum non diſcernit ab Idiotâ, qui æquali gratiâ movetur juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 4. *Quis te diſcernit?* Ergo nec in ſtatu patriæ naturali mentis perſpicaciâ ſe diſcernit ab homine reſpectu viſionis Dei intuitivæ in hypotheſi, quòd ambo æquali lumine gloriæ donentur. Secunda, quia gloria non redditur niſi meritis: atqui ſi Angelus, propter naturales vires Deum perfectiùs videret, majorem gloriam obtineret ſine majoribus meritis, quod eſt abſurdum & contra communem fidelium ſenſum, Ergo.

Dices 1°. è duobus fidelibus alter cum æquali gratia intenſiùs operari poteſt, alter verò remiſſiùs: ergo à pari è duobus Beatis alter cum æquali lumine gloriæ Deum perfectiùs videre poterit.

Nego conſequent. & paritatem. Ideo enim fidelis viator cum æquali gratiâ Deum intenſiùs diligere poteſt, quàm alter, non quòd ſupra motionem divinam diligere queat; ſed quòd bene utatur gratiâ, quam alter pro libertate ſuâ otioſam ex parte relinquere poteſt. At lumen gloriæ non ſubeſt libero arbitrio beatorum, ſed mentes eorum neceſſario rapit, ac determinat, ac proinde nec plus nec minùs videre poſſunt, quam moventur lumine gloriæ.

Dices 2°. quando effectus pendet à duabus cauſis, quarum una eſt efficacior, perfectionem prodire neceſſe eſt; rheda v. g. velociùs trahetur à duobus equis, ſi alter eorum ſit generoſior: atqui viſio beatifica producitur ab intellectu Beatorum, & lumine gloriæ ſimul concurrentibus: Ergo erit intenſior & perfectior, ſi cum æquali lumine gloriæ ad eam concurrat Spiritus Angelicus ſpiritu rationali perſpicacior.

Diſtinguo maj. ſi ambæ illæ cauſæ per naturales vires concurrant, Concedo: ſi ſupernaturaliter & ut divinitùs elevatæ concurrant, Nego maj. Diſtinguo ſimiliter minor. & nego conſeq.

Inſtabis: gratia non deſtruit naturam, ſed eam neceſſariò ſupponit ac perficit; nam poſſe habere fidem & lumen gloriæ naturæ humanæ eſt & Angelicæ, non autem pecorinæ: atqui ſive gratia, ſive lumen gloriæ videretur deſtruere naturam Angelicam, ſi ſub æquali gratiâ luminis gloriæ totas vires, quibus mentem humanam præcellit, exercere non poſſet: Ergo.

Nego min. imò lumen gloriæ mentem Angelicam naturæ imperfectionibus exuit, illamque transfert ad divinum intelligentiæ modum; quod ut intelligas,

Advertes gradum differentiæ, qui eſt ultima rei perfectio eſſentialis, in creaturis ſemper habere aliquid imperfectionis admixtum, quatenus nempe pugnat cum majori perfectione, rationalitas v. g. ita eſt hominis perfectio, quâ ſuperat omnia corporea, ut reſpectu Angelici Spiritûs ſit imperfectio, nec poſſit pervenire ad ſublimiorem illum intelligentiæ modum, qui Angelorum proprius eſt, niſi elevetur ſupra connaturalem ratiocinandi modum. Jam verò ſublimior intelligentiæ modus, quo Angeli nos præcellunt, imperfectus eſt; quia pugnat cum divino illo modo, quo Deus intuitivè videtur: at gradus genericus ſubſtantiæ intellectualis, qui eſt communis Angelis & hominibus, nullam habet oppoſitionem cum majori perfectione, quæcunque illa ſit, nec proinde admixtam involvit imperfectionem. Unde mirum non eſt, ſi intelligendi modus, quo mens Angelica ſuperat humanam, nihil conferat ad viſionem Dei intuitivam, cùm contra exuendus ſit beneficio

luminis gloriæ; repugnat enim Deum intuitivè videri humano, vel Angelico modo. Transferenda eſt ergo creatura intellectualis ad ordinem divinum, quod fit per lumen gloriæ; transfertur autem ratione gradûs generici, utpote qui nullam majorem perfectionem excludat. Sed cùm ſit communis & æqualis homini, & Angelo, ſequitur non poſſe eſſe cauſam inæqualitatis viſionis beatificæ.

Urgebis: gradus genericus & ſpecificus in Angelo ſunt realiter quid unum: Ergo gradus genericus non elevatur per lumen gloriæ ſine ſpecifico, ac proinde uterque gradus concurrit ad viſionem beatificam, & ita reddit illam in Angelo perfectiorem, quam in homine.

Diſtinguo conſequens, ſine ſpecifico entitativè, & ut ita dicam, materialiter ſumpto, Concedo: ſine ſpecifico formaliter ſumpto, quaſi mens Angelica tendat in Deum modo ipſi proprio & ſpecifico, Nego conſequentiam.

Paragraphus IX.

De Objecto viſionis beatificæ.

Q. 1°. *Quotuplex eſt objectum viſionis beatificæ?*

R. Duplex: aliud primarium, quòd per ſe primò videtur, & in quo cetera conſpiciuntur; talis eſt Deus, quem S. Auguſtinus alloquens lib. 5. Conf. cap. 4. ait: *Beatus eſt, qui te novit, etſi alia neſciat: qui autem te & alia novit, non eſt propterea beatior, ſed propter ſe ſolum.* Aliud ſecundarium, quod in alio videtur, nec confert ad beatitudinem niſi accidentaliter, cujuſmodi ſunt creaturæ.

Q. 2°. *Quotuplici modo creaturæ videri poſſunt à Beatis?*

R. Duplici. Primò namque alias vident in Verbo ſeu in Deo, & quidem per viſionem Dei intuitivam, tanquam artefacta in arte; & in causâ exemplari, *videt beatus Verbum*, inquit ſanctus Bernardus lib. 5. de Conſid. c. 1. *& in Verbo facta per Verbum, nec opus habet ex his, quæ facta ſunt, factoris notitiam mendicare; neque enim, ut vel ipſa noverit, ad ipſa deſcendit; quippe ibi illa videt, ubi longè meliùs ſunt, quàm in ſe ipſis.* Secundò, res nonnullas vident vel in ipſiſmet, per ſpecies ſibi inditas, vel per ſpeciales & novas revelationes, quomodo Angeli inferiores dicuntur illuminari à ſuperioribus, & hi immediatè à Deo. Sic ex Apoſtolo Eph. 3. innotuit Principatibus & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei circa quædam conſectaria Incarnationis, quæ ſcribit abſcondita fuiſſe à ſeculis in Deo. Dico conſectaria; nam futuram Incarnationem ab inſtanti beatitudinis ſuæ noverant. Porrò ejuſmodi notitia non habetur per viſionem Dei intuitivam, ut quæ ſecundùm communem Theologorum ſententiam nec augeatur progreſſu temporis, nec minuatur: ſicut nec beatorum merita, quibus illa reſpondet. Prior notitia appellatur a ſancto Auguſtino lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 22. viſio matutina, quia eſt clarior: poſterior vero viſio veſpertina, quia eſt obſcurior; quem loquendi morem retinent Theologi.

Q. 3°. *Quænam beati vident in Deo per viſionem intuitivam?*

R. Primò, vident omnia quæ ſunt formaliter in Deo, nempe eſſentiam divinam, & ejus attributa tum abſoluta, tum relativa, ac proinde tres Perſonas, Joan. 14. *qui videt me*, inquit, Chriſtus, *videt & Patrem*, atque adeo ipſum etiam Spiritum ſanctum; una enim eademque eſt omnium ratio, quam illico ſubjicit Chriſtus,

non creditis, quia ego in Patre & Pater in me eſt? ſcilicet per identitatem naturæ, quæ eſt communis tribus perſonis, & ab iis realiter indiſtincta; res enim ſimpliciſſima videri non poteſt, ſicuti eſt, quin videatur tota, alioquin videretur ſicuti in ſe eſt, & non videretur, quod eſt contradictorium. Unde ſanctus Auguſtinus in Pſal. 95. *Patris*, inquit, *& Filii ſeparari non poteſt viſio, ubi non ſepatur natura & ſubſtantia.*

Dices pro Scoto & nonnullis aliis Theologis, qui oppoſitam ſententiam propugnant: potuit una perſona incarnari ſine aliâ: poteſt natura divina communicari filio ſine paternitate: Ergo abſolutè & extraordinaria Dei virtute poteſt una perſona videri ſicuti eſt ſine aliâ.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quòd viſio intuitiva terminetur ad objectum ſicuti eſt; cùm autem divina eſſentia, & omnia ejus attributa ſint una ſimpliciſſima entitas, repugnat ea ſeparatim videri ſicut in ſe ſunt; quia revera ſunt unum quid. At vero in Incarnatione, licèt identicè, & ut ita dicam, materialiter totus Deus humanitati uniatur, non tamen unitur omni modo, nec formaliter ut natura eſt, & ut Pater eſt, ſed ut Verbum. Similiter in æternitate Pater communicat naturam divinam filio, non ſecundùm omnem modum, quo ſe habet, id eſt ut formaliter ſubſiſtentem paternitate, quamvis identicè Pater neceſſariò ſit in filio propter naturæ identitatem, quæ realiter eſt paternitas.

Inſtabis: quæ virtualiter diſtinguuntur, poſſunt ſeparatim cognoſci: atqui eſſentia divina & attributa diſtinguuntur virtualiter: Ergo.

Diſtinguo majorem, poſſunt ſeparatim cognoſci abſtractivè, Concedo: intuitivè & ut in ſe ſunt, Nego majorem, propter rationes allatas.

Inſtabis iterum, paternitas & filiatio realiter diſtinguuntur: ergo poſſunt ſeparatim videri.

Diſtinguo antecedens, realiter diſtinguuntur inter ſe, Concedo: in eſſentiâ divinâ, Nego antecedens, in ea quippe ſunt unum & idem, ac proinde videri nequeunt, ut in ſe ſunt, ſine eſſentiâ divinâ, ne viciſſim eſſentia divina ſine illis.

Secundò, quilibet Beatus videt creaturas ſecundùm eſſe eminentiale, quod habent in Deo; quia illud eſſe nihil aliud eſt, quàm divina eſſentia, quæ eminenter complectitur omnes creaturarum perfectiones. At illas non neceſſariò videt ſecundùm eſſe formale, quod habent in ſe; quia ut ſic ſunt quid à Deo realiter diſtinctum, ac proinde non implicat Deum videri ſine illis hoc poſteriori modo ſpectatis.

Dices: visâ causâ, videntur effectus ad quos illa ſe extendit: atqui Deus eſt cauſa rerum omnium: Ergo.

Diſtinguo maj. videntur effectus confusè & abſtractivè, Concedo: videntur clarè & in particulari: Nego majorem; qui enim arborem frugiferam plenè novit, proptereà non cognoſcit niſi generatim & confusè fructus quos olim produxit, & deinceps productura eſt.

Inſtabis: qui Deum videt, videt ejus decreta, conſilia & omnimodam ſcientiam; cùm iſta ſint quid unum cum ejus eſſentiâ: atqui non poſſunt videri Dei decreta, conſilia, & infinita ejus ſcientia, quin videantur omnes creaturæ, præteritæ, præſentes, & futuræ: Ergo.

Diſtinguo maj. videt ejus decreta, & omnimodam ſcientiam entitativè ſpectata, Concedo: terminativè ſpectata, Nego majorem. Jam enim diximus Parag. 7°. eum, qui videret verbum mentis alterius, non viſurum objectum, cujus

verbum illud eſſet formalis repræſentatio. Igitur divina decreta & conſilia quoad entitatem, & ut in ſe ſunt, Beatis neceſſuriò ſunt conſpicua, & pervia; ſed cùm determinatio ad hos & illos effectus ſit omninò libera, eam Deus pro arbitrio abſcondit aut revelat. Sic dies Judicii ignoratur ab Angelis, Matth. 24. verſ. 36. Et ſolus Agnus in cœlo ſolvit ſignacula libri, in quo ſcriptæ & ſignatæ erant futuræ Chriſtianorum, perſecutiones & victoriæ, Apoc. 5. Ergo beati non cognoſcunt omnia præterita, præſentia, & futura.

Q. 4°. *Quænam igitur ex iis cognoſcunt?*

R. Generatim cognoſcunt quæ ſecundùm Dei ſapientiam & bonitatem expendit eos noſſe. Ita definiit Concilium Senonenſe in decretis fidei cap. 13. ubi ait Beatis pervium eſſe uniforme illud deitatis ſpeculum, in quo quidquid illorum intereſt, eluceſcat.

Ac 1°. quidem vident omnia myſteria, quorum fidem in terris habuerunt; quia viſio eſt præmium & merces fidei quæ præceſſit, *quid videbimus*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 20. de Civit. c. 21. *niſi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes?*

2°. Quæ nobis hic ſunt objecta ſcientiæ naturalis, nempe natura & ordo rerum hujuſce univerſitatis, ea Beati comperta habent, *Angeli*, inquit ſanctus Auguſtinus, lib. de Gen. ad litt. cap. 24. *atque adeo omnes alii* (Beati) *proculdubio univerſam creaturam in ipſo verbo Dei noverunt.* Sanctus Baſilius lib. de verâ Virginitate, *complectuntur omnia & comprehendunt.* Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 34. *Quid eſt quod non vident, qui videntem omnia, vident?* Et ratio eſt, quia ejuſmodi notitiæ ineſt homini naturalis appetitus, proindeque pertinet ad ejus perfectionem

ctionem & integram felicitatem. Si ergo perfecta illa notitia fuit appendix & conſectarium quoddam juſtitiæ originalis, in quâ conditi ſunt primi parentes, juxta illud Eccli. 17. *creavit illis ſcientiam ſpiritûs, ſenſu implevit cor illorum;* à fortiori conſequitur beatitudinem cœleſtem, ut quæ ſit ultima hominis perfectio, ad quam tendebat ſtatus innocentiæ.

3°. Ex rebus contingentibus norunt Beati, quæ ad ipſos ſpectant, preces, v.g. percipiunt, quæ ad illos diriguntur: norunt Angeli, quæ ad eos pertinent, quos in cuſtodiam acceperunt; ſancti Parentes, quæ ad familiam; Epiſcopi, quæ ad diœceſim; Reges, quæ ad regna, quæ dum viverent, adminiſtrarunt. Sic ab Eliâ jam tranſlato, qui prophetaverat in regno Iſraël, allatæ ſunt litteræ, 2. Paralip cap. 21. v. 12. Sic Jeremias & Onias orare dicuntur pro populo ſuo in magnis calamitatibus conſtituto, 2. Machab. cap. 15. Sic ſanctus Petrus epiſt. 2. cap. 1. ſuam ſollicitudinem diſcipulis pollicetur poſt ſuum obitum; *Dabo*, inquit.... *operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* His & aliis exemplis fretus ſanctus Ambroſius in oratione de obitu Theodoſii, docet ipſum in cœlis curam habiturum Honorii & Arcadii liberorum. Et ſanctus Gregorius lib. 12. Moralium cap. 17. idipſum de omnibus Sanctis aſſerit; *an*, inquit, *fratres ſuos periclitantes non videant, non curent? an qui Deum toti & totum ſapiunt, cùm Deus charitas ſit, charitatis exortes ſunt?* Sine mutuâ ejuſmodi ſollicitudine non ſtaret communio quam Chriſtus inſtituit & præcepit inter membra corporis ſui, quod eſt Eccleſia in cœlis regnans, in terris militans, & in Purgatorio patiens. Nec dubium eſt, quin Deus annuat Sanctorum votis ordini à ſe præſcripto prorſus

conſentaneis. Et ita docent S. Thomas 3. p. qu. 10. art. 2. & omnes Theologi.

4°. Denique Beati ſeſe invicem ſuoſque in patriâ cognoſcunt; alioquin ſocietas, ad quem homo natus eſt, ſtare non poſſet. *In meliorem ſtatum deſtinamur*, inquit Tertullianus lib. de Monogamiâ cap. 10. *reſurrecturi in ſpiritale conſortium agnituri, tam noſmetipſos, quàm noſtros*. Et S. Cyprianus lib. de mortalitate, *magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum ... ad horum conſpectum & complexum venire quanta & illis & nobis in commune lætitia eſt?*

Ex his colliges 1°. fieri poſſe ut Beatus meritis & gloriâ inferior plura cognoſcat; quia illius conditio extenſiorem illam viſionem exigit, propter quam tamen felicior exiſtimandus non eſt, ut ſuprà monuit ſanctus Auguſtinus. 2°. Turpiter hallucinari eos, qui elucidandis Religionis noſtræ myſteriis, & ceteris rebus Thheologicis ita ſe dedunt, ut propterea pietatis officia remittant, rariùs ſacrificium offerant, ipſumque orationis munus quàm minimum pendant; cùm ex dictis ejuſmodi bona opera ſint merita, quibus in mercedem retribuitur amplior & clarior rerum divinarum perceptio.

Fruſtra opponunt illi tritum adagium, *qui ſtudet, orat*; id enim eo ſenſu dicitur, quo dicimus eum orare, qui injunctum opus perficit, qui agrum colit, aut mercaturam exercet, ſi nempe orationis ſpiritus in eo ſaltem virtualiter perſeveret; alioquin ſi iſta ex cupiditate, ambitione, aut alio quovis terreno affectu procedant, quomodo etiam dici queunt, cùm ipſum orationis ſpiritum extinguant? Unde ſanctus Auguſtinus epiſt. 130. aliàs 121. *Ideo*, inquit, *ab aliis curis atque negotiis, quibus ipſum deſiderium quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mentem revoca-*

mus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id, quod deſideramus, intendere, ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebriùs inflammetur.

Q. 5°. *Beati poſſunt-ne cognoſcere omnia poſſibilia?*

R. Cùm neque Scriptura, neque Traditio facem hîc præbeant, propoſita quæſtio minùs Theologos ſpectat, quàm Philoſophos, quorum eſt ſcrutari naturam & expendere quid mens creata poſſit aut non poſſit.

Duæ autem ſunt hîc oppoſitæ opiniones, & tertia inter utramque media. Prima negat abſolutè intellectum creatum videre poſſe omnia poſſibilia; quia qui videt quidquid Deus poteſt, is ſanè cognoſcit omnipotentiam Dei, quantùm cognoſcibilis eſt: atqui nulla creatura poteſt cognoſcere omnipotentiam divinam quantùm cognoſcibilis eſt, cùm ſit infinitè cognoſcibilis, ac proinde incomprehenſibilis: Ergo.

Altera contra affirmat omnes creaturas poſſibiles ab intellectu creato videri poſſe; quia qui videt majus, poteſt videre minus: atqui Beati vident Deum, qui eſt aliquid longè majus, quàm omnes creaturæ poſſibiles: Deus enim eſt intenſive, id eſt, in omni genere perfectionis infinitus; creaturæ verò poſſibiles extenſivè, hoc eſt numero duntaxat ſunt infinitæ: ad cognoſcendum autem numerum infinitum, non requiritur intellectus infinitus, ſicut ad cognoſcendam ſubſtantiam infinitè perfectam eo omni modo, quo cognoſcibilis eſt. Unde concludunt Patroni hujus ſententiæ, Beatum, qui videret omnia poſſibilia, non propterea comprehenſurum omnipotentiam divinam, quæ, ut infinita eſt, infinitè etiam eſt cognoſcibilis; ſed viſurum duntaxat infinita credibilia, ad quæ ſe extendere poteſt.

habet; Deus enim, utpote ens à ſe, eſt actus puriſſimus, ſimpliciſſimus, & illimitatus, nulla in eo vitæ radix, nulla potentia intelligendi, nullus habitus ſcientiæ, ſed eſt ſuamet actualis cognitio; adeo ut eſſe actu, vivere actu, & intelligere actu, ſint unum & idem: quibus præmiſſis, ad quæſtionem propoſitam.

R. Scientia Dei eſt actus ſimpliciſſimus, immutabilis, & infinitus.

Primò eſt ſimpliciſſima, Sap. 7. verſ. 22. *eſt in illâ* (ſapientiâ) *Spiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, & multiplex*, ſcilicet ſecundùm noſtrum concipiendi modum, propter diverſa objecta, ad quæ ſe extendit; *ſed non diverſis obtutibus*, inquit Petrus Damiani opuſc. 36. cap. 7. *diverſa conſiderat, ut cùm intendit præteritis, vacet à præſentibus; ſed uno duntaxat ac ſimplici potentiſſimæ majeſtatis intuitu ſimul omnia comprehendit.*

Secundò eſt immutabilis, nec creſcit, nec decreſcit: *ſicut omnino tu es*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 13. Conf. cap. 16. *tu ſcis ſolus qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter.*

Tertiò eſt infinita tum intenſive tum extenſive, *ſapientiæ ejus non eſt numerus*, Pſal. 146. Ac imprimis Deus ſeipſum novit & comprehendit tanquam primarium objectum ac præſtantiſſimum intelligibile. *Novit omnia Deus Pater in ſeipſo*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 14. *novit in filio: ſed in ſeipſo tanquam ſeipſum: in filio tanquam verbum ſuum.* Deinde novit cetera omnia, Heb. 4. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.*

Videt omnia poſſibilia, Eccli. 23. *Domino . . . Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* Rom. 4. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

Videt exiſtentia, præterita, & futura, Pſ. 138. *Tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua*, etiam ſecreta cordium, *intellexiſti cogitationes meas de longè*. 1. Paralip. c. 28. *omnia... corda ſcrutatur Dominus, & univerſas mentium cogitationes intelligit.* Heb. 4. dicitur *diſcretor cogitationum & intentionum cordis*. Deniquè ex Tertulliano lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Præſcientia Dei tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas.*

Videt deniquè futura conditionata. Probatur, quia conditionatè futura ſunt ea quæ revera extitura non ſunt, ſed exiſterent, ſi poneretur certa conditio; atqui Deus ejuſmodi futura cognoſcit; nam Matth. 11. Chriſtus aſſerit, quòd ſi in Tyro & Sydone eædem factæ fuiſſent virtutes, quæ apud Corozaïn & Bethſaïdas, Tyrii & Sydonii pœnitentiam egiſſent. 1. Reg. c. 23. David conſulit Deum, num habitatores Ceilæ ipſum Saülem traderent, ſi apud illos remaneret, Deus autem reſpondet, *tradent*, quo accepto oraculo, fugit David, & ita non eſt traditus. Ergo Deus præſcit quæ conditionatè futura ſunt.

Dices 1°. Deus cum dubitatione futura libera prædicit Jerem. 26. *Noli*, ait Deus ad Prophetam, *ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant*, Ezech. 2. *ſi fortè audiant .... & ſi fortè quieſcant*. Joan. 8. *ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*. Ergo.

Diſtinguo antecedens, cum dubitatione prædicit more humano, ut denotet liberum hominis arbitrium, & propriam ejus de eventibus futuris dubitationem, Concedo: cum dubitatione, quæ ſit in Deo, Nego anteced. Ita ſancti Patres, ſanctus Hieronymus in cap. 26. Jer. *Verbum*, inquit, *ambiguum, forſitan, majeſtati divinæ non poteſt convenire; ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum homini ſervetur arbitrium, nec ex præ-*

multæ manſiones apud Patrem, ſi non pro varietate meritorum? 1. Cor. 15. *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. Stella enim à ſtellâ differt à claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* Quæ expendens S. Auguſtinus lib. de ſanctâ Virginitate, ait: *hæc ſunt merita diverſa Sanctorum.* 2. Cor. c. 9. *qui parcè ſeminat, parcè & metet.*

Probatur 2°. ex Traditione S. Polycarpus in actis Paſſionis ſuæ: *Merita mea*, inquit, *doloris æſtimatione penſabo: quantò graviora pertulero, tantò præmia majora percipiam.* S. Irenæus lib. 1. cap. 72. *Si plus dilexerimus, clariores erimus apud Deum.* Jam laudavimus verba Tertulliani & S. Auguſtini.

Probatur 3°. ratione. Debet eſſe eadem ratio mercedis pro varietate meritorum, quæ ſupplicii pro varietate criminum: atqui pro varietate criminum varia decernuntur ſupplicia, Apocal. 18. verſ. 7. *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum illi date tormentum:* Ergo.

Dices: Matth. 20. unus denarius & una merces retribuitur omnibus, qui in vineâ ſunt operati, licèt alii plus, alii minùs laboraverint. Ergo par omnibus decernitur gloria.

Diſtinguo anteced. una merces objectivè & ſpecificè ſumpta, Concedo: una merces formaliter & in eodem gradu, Nego anteced. Itaque unus Deus erit omnium merces, ab omnibus poſſidebitur unâ ſpecie viſionis; quemadmodum omnibus convivis iidem cibi apponuntur; ſed alii plùs, alii minùs inde ſumunt, ita tamen ut omnes ſaturentur, non aliquid ampliùs deſiderent, nec invideant plus ſumentibus; *id etiam*, inquit S. Auguſtinus lib. 22. de Civ. cap. 30. *beata civitas illa magnum in ſe videbit, quod nulli ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Archangelis Angeli ceteri; nollet enim eſſe unuſquiſque quod non accepit; ſicut nec in corpore vult oculus eſſe,*

qui eſt digitus, nec minor frater veſtem majoris longiorem appetit, ſua breviori contentus, ut quæ ſit ipſi convenientior.

Q. 2°. *Quænam eſt cauſa hujus inæqualitatis?*

R. Cauſa moralis eſt meritorum inæqualitas: phyſica verò eſt lumen gloriæ, quod pro meritorum diverſitate majus aut minus confertur.

Prima pars reſponſionis probatur; quia cauſa moralis eſt ea, quæ efficientem movet aut determinat ad agendum; ſic fides data moraliter movet ad præſtandum quod promiſſum eſt: atqui Deus ex præcedenti reſponſione gloriam in mercedem retribuit ſecundùm uniuſcujuſque laborem, 1. Cor. 3. v. 8. *Tantùm ampliùs*, inquit ſanctus Fulgentius libro de Trinitate, *alius alio in illâ vitâ Deum videbit, quantùm ampliùs in hâc vitâ eum dilexit.*

Secunda pars probatur; quia cauſa phyſica dicitur, quæ vi ſuâ effectum producit; famulus v. g. eſt cauſa phyſica operis, præceptum verò domini cauſa moralis; famulus enim propriâ virtute & efficaciâ opus perficit, præceptum verò domini virtute alienâ: atqui lumen gloriæ, quod pro meritorum diverſitate inæqualiter datur, vi ſuâ inæqualitatem viſionis beatificæ ita efficit, ut naturales vires perſpicacioris intellectûs, putà Angelici, nihil ad eam conferant: Ergo.

Minor probatur 1°. auctoritate Academiæ Pariſienſis, quæ, agente Guillelmo Pariſienſi Antiſtite anno 1240. hanc propoſitionem proſcripſit. *cujus meliora fuerint naturalia, neceſſariò major erit gratia & gloria.* Ejuſdem propoſitionis cenſuram confirmavit Stephanus Pariſienſis anno 1267.

Probatur 2°. eadem minor ratione duplici. Prima, quia homo in ſtatu viæ, quantumcun-

que ingenii acumine & excellentiori ſcientiâ præpolleat, ſeipſum non diſcernit ab Idiotâ, qui æquali gratiâ movetur juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 4. *Quis te diſcernit?* Ergo nec in ſtatu patriæ naturali mentis perſpicaciâ ſe diſcernit ab homine reſpectu viſionis Dei intuitivæ in hypotheſi, quòd ambo æquali lumine gloriæ donentur. Secunda, quia gloria non redditur niſi meritis: atqui ſi Angelus, propter naturales vires Deum perfectiùs videret, majorem gloriam obtineret ſine majoribus meritis, quod eſt abſurdum & contra communem fidelium ſenſum, Ergo.

Dices 1°. è duobus fidelibus alter cum æquali gratia intenſiùs operari poteſt, alter verò remiſſiùs: ergo à pari è duobus Beatis alter cum æquali lumine gloriæ Deum perfectiùs videre poterit.

Nego conſequent. & paritatem. Ideo enim fidelis viator cum æquali gratiâ Deum intenſiùs diligere poteſt, quàm alter, non quòd ſupra motionem divinam diligere queat; ſed quòd bene utatur gratiâ, quam alter pro libertate ſuâ otioſam ex parte relinquere poteſt. At lumen gloriæ non ſubeſt libero arbitrio beatorum, ſed mentes eorum neceſſario rapit, ac determinat, ac proinde nec plus nec minùs videre poſſunt, quam moventur lumine gloriæ.

Dices 2°. quando effectus pendet à duabus cauſis, quarum una eſt efficacior, perfectionem prodire neceſſe eſt; rheda v. g. velociùs trahetur à duobus equis, ſi alter eorum ſit generoſior: atqui viſio beatifica producitur ab intellectu Beatorum, & lumine gloriæ ſimul concurrentibus: Ergo erit intenſior & perfectior, ſi cum æquali lumine gloriæ ad eam concurrat Spiritus Angelicus ſpiritu rationali perſpicacior.

Diſtinguo maj. ſi ambæ illæ cauſæ per naturales vires concurrant, Concedo: ſi ſupernaturaliter & ut divinitùs elevatæ concurrant, Nego maj. Diſtinguo ſimiliter minor. & nego conſeq.

Inſtabis: gratia non deſtruit naturam, ſed eam neceſſariò ſupponit ac perficit; nam poſſe habere fidem & lumen gloriæ naturæ humanæ eſt & Angelicæ, non autem pecorinæ: atqui ſive gratia, ſive lumen gloriæ videretur deſtruere naturam Angelicam, ſi ſub æquali gratiâ luminis gloriæ totas vires, quibus mentem humanam præcellit, exercere non poſſet: Ergo.

Nego min. imò lumen gloriæ mentem Angelicam naturæ imperfectionibus exuit, illamque transfert ad divinum intelligentiæ modum; quod ut intelligas,

Advertes gradum differentiæ, qui eſt ultima rei perfectio eſſentialis, in creaturis ſemper habere aliquid imperfectionis admixtum, quatenus nempe pugnat cum majori perfectione, rationalitas v. g. ita eſt hominis perfectio, quâ ſuperat omnia corporea, ut reſpectu Angelici Spiritûs ſit imperfectio, nec poſſit pervenire ad ſublimiorem illum intelligentiæ modum, qui Angelorum proprius eſt, niſi elevetur ſupra connaturalem ratiocinandi modum. Jam verò ſublimior intelligentiæ modus, quo Angeli nos præcellunt, imperfectus eſt; quia pugnat cum divino illo modo, quo Deus intuitivè videtur: at gradus genericus ſubſtantiæ intellectualis, qui eſt communis Angelis & hominibus, nullam habet oppoſitionem cum majori perfectione, quæcunque illa ſit, nec proinde admixtam involvit imperfectionem. Unde mirum non eſt, ſi intelligendi modus, quo mens Angelica ſuperat humanam, nihil conferat ad viſionem Dei intuitivam, cùm contra exuendus ſit beneficio

luminis gloriæ; repugnat enim Deum intuitivè videri humano, vel Angelico modo. Transferenda eſt ergo creatura intellectualis ad ordinem divinum, quod fit per lumen gloriæ; transfertur autem ratione gradûs generici, utpote qui nullam majorem perfectionem excludat. Sed cùm ſit communis & æqualis homini, & Angelo, ſequitur non poſſe eſſe cauſam inæqualitatis viſionis beatificæ.

Urgebis: gradus genericus & ſpecificus in Angelo ſunt realiter quid unum: Ergo gradus genericus non elevatur per lumen gloriæ ſine ſpecifico, ac proinde uterque gradus concurrit ad viſionem beatificam, & ita reddit illam in Angelo perfectiorem, quam in homine.

Diſtinguo conſequens, ſine ſpecifico entitativè, & ut ita dicam, materialiter ſumpto, Concedo: ſine ſpecifico formaliter ſumpto, quaſi mens Angelica tendat in Deum modo ipſi proprio & ſpecifico, Nego conſequentiam.

Paragraphus IX.

De Objecto viſionis beatificæ.

Q. 1°. *Quotuplex eſt objectum viſionis beatificæ?*

R. Duplex: aliud primarium, quòd per ſe primò videtur, & in quo cetera conſpiciuntur; talis eſt Deus, quem S. Auguſtinus alloquens lib. 5. Conf. cap. 4. ait: *Beatus eſt, qui te novit, etſi alia neſciat: qui autem te & alia novit, non eſt propterea beatior, ſed propter ſe ſolum.* Aliud ſecundarium, quod in alio videtur, nec confert ad beatitudinem niſi accidentaliter, cujuſmodi ſunt creaturæ.

Q. 2°. *Quotuplici modo creaturæ videri poſſunt à Beatis?*

R. Duplici. Primò namque alias vident in Verbo ſeu in Deo, & quidem per viſionem Dei intuitivam, tanquam artefacta in arte; & in causâ exemplari, *videt beatus Verbum*, inquit ſanctus Bernardus lib. 5. de Conſid. c. 1. *& in Verbo facta per Verbum, nec opus habet ex his, quæ facta ſunt, factoris notitiam mendicare; neque enim, ut vel ipſa noverit, ad ipſa deſcendit; quippe ibi illa videt, ubi longè meliùs ſunt, quàm in ſe ipſis.* Secundò, res nonnullas vident vel in ipſiſmet, per ſpecies ſibi inditas, vel per ſpeciales & novas revelationes, quomodo Angeli inferiores dicuntur illuminari à ſuperioribus, & hi immediatè à Deo. Sic ex Apoſtolo Eph. 3. innotuit Principatibus & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei circa quædam conſectaria Incarnationis, quæ ſcribit abſcondita fuiſſe à ſeculis in Deo. Dico conſectaria; nam futuram Incarnationem ab inſtanti beatitudinis ſuæ noverant. Porrò ejuſmodi notitia non habetur per viſionem Dei intuitivam, ut quæ ſecundùm communem Theologorum ſententiam nec augeatur progreſſu temporis, nec minuatur: ſicut nec beatorum merita, quibus illa reſpondet. Prior notitia appellatur a ſancto Auguſtino lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 22. viſio matutina, quia eſt clarior: poſterior vero viſio veſpertina, quia eſt obſcurior; quem loquendi morem retinent Theologi.

Q. 3°. *Quænam beati vident in Deo per viſionem intuitivam?*

R. Primò, vident omnia quæ ſunt formaliter in Deo, nempe eſſentiam divinam, & ejus attributa tum abſoluta, tum relativa, ac proinde tres Perſonas, Joan. 14. *qui videt me*, inquit, Chriſtus, *videt & Patrem*, atque adeo ipſum etiam Spiritum ſanctum; una enim eademque eſt omnium ratio, quam illico ſubjicit Chriſtus,

non creditis, quia ego in Patre & Pater in me eſt? ſcilicet per identitatem naturæ, quæ eſt communis tribus perſonis, & ab iis realiter indiſtincta; res enim ſimpliciſſima videri non poteſt, ſicuti eſt, quin videatur tota, alioquin videretur ſicuti in ſe eſt, & non videretur, quod eſt contradictorium. Unde ſanctus Auguſtinus in Pſal. 95. *Patris*, inquit, *& Filii ſeparari non poteſt viſio, ubi non ſeparatur natura & ſubſtantia.*

Dices pro Scoto & nonnullis aliis Theologis, qui oppoſitam ſententiam propugnant: potuit una perſona incarnari ſine aliâ: poteſt natura divina communicari filio ſine paternitate: Ergo abſolutè & extraordinaria Dei virtute poteſt una perſona videri ſicuti eſt ſine aliâ.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quòd viſio intuitiva terminetur ad objectum ſicuti eſt; cùm autem divina eſſentia, & omnia ejus attributa ſint una ſimpliciſſima entitas, repugnat ea ſeparatim videri ſicut in ſe ſunt; quia revera ſunt unum quid. At vero in Incarnatione, licèt identicè, & ut ita dicam, materialiter totus Deus humanitati uniatur, non tamen unitur omni modo, nec formaliter ut natura eſt, & ut Pater eſt, ſed ut Verbum. Similiter in æternitate Pater communicat naturam divinam filio, non ſecundùm omnem modum, quo ſe habet, id eſt ut formaliter ſubſiſtentem paternitate, quamvis identicè Pater neceſſariò ſit in filio propter naturæ identitatem, quæ realiter eſt paternitas.

Inſtabis: quæ virtualiter diſtinguuntur, poſſunt ſeparatim cognoſci: atqui eſſentia divina & attributa diſtinguuntur virtualiter: Ergo.

Diſtinguo majorem, poſſunt ſeparatim cognoſci abſtractivè, Concedo: intuitivè & ut in ſe ſunt, Nego majorem, propter rationes allatas.

Inſtabis iterum, paternitas & filiatio realiter diſtinguuntur: ergo poſſunt ſeparatim videri.

Diſtinguo antecedens, realiter diſtinguuntur inter ſe, Concedo: in eſſentiâ divinâ, Nego antecedens, in ea quippe ſunt unum & idem, ac proinde videri nequeunt, ut in ſe ſunt, ſine eſſentiâ divinâ, ne viciſſim eſſentia divina ſine illis.

Secundò, quilibet Beatus videt creaturas ſecundùm eſſe eminentiale, quod habent in Deo; quia illud eſſe nihil aliud eſt, quàm divina eſſentia, quæ eminenter complectitur omnes creaturarum perfectiones. At illas non neceſſariò videt ſecundùm eſſe formale, quod habent in ſe; quia ut ſic ſunt quid à Deo realiter diſtinctum, ac proinde non implicat Deum videri ſine illis hoc poſteriori modo ſpectatis.

Dices: viſâ causâ, videntur effectus ad quos illa ſe extendit: atqui Deus eſt cauſa rerum omnium: Ergo.

Diſtinguo maj. videntur effectus confusè & abſtractivè, Concedo: videntur clarè & in particulari: Nego majorem; qui enim arborem frugiferam plenè novit, propterea non cognoſcit niſi generatim & confusè fructus quos olim produxit, & deinceps productura eſt.

Inſtabis: qui Deum videt, videt ejus decreta, conſilia & omnimodam ſcientiam; cùm iſta ſint quid unum cum ejus eſſentiâ: atqui non poſſunt videri Dei decreta, conſilia, & infinita ejus ſcientia, quin videantur omnes creaturæ, præteritæ, præſentes, & futuræ: Ergo.

Diſtinguo maj. videt ejus decreta, & omnimodam ſcientiam entitativè ſpectata, Concedo: terminativè ſpectata, Nego majorem. Jam enim diximus Parag. 7°. eum, qui videret verbum mentis alterius, non viſurum objectum, cujus

verbum illud eſſet formalis repræſentatio. Igitur divina decreta & conſilia quoad entitatem, & ut in ſe ſunt, Beatis neceſſariò ſunt conſpicua, & pervia; ſed cùm determinatio ad hos & illos effectus ſit omninò libera, eam Deus pro arbitrio abſcondit aut revelat. Sic dies Judicii ignoratur ab Angelis, Matth. 24. verſ. 36. Et ſolus Agnus in cœlo ſolvit ſignacula libri, in quo ſcriptæ & ſignatæ erant futuræ Chriſtianorum, perſecutiones & victoriæ, Apoc. 5. Ergo beati non cognoſcunt omnia præterita, præſentia, & futura.

Q. 4°. *Quænam igitur ex iis cognoſcunt ?*

R. Generatim cognoſcunt quæ ſecundùm Dei ſapientiam & bonitatem expendit eos noſſe. Ita definiit Concilium Senonenſe in decretis fidei cap. 13. ubi ait Beatis pervium eſſe uniforme illud deitatis ſpeculum, in quo quidquid illorum intereſt, eluceſcat.

Ac 1°. quidem vident omnia myſteria, quorum fidem in terris habuerunt; quia viſio eſt præmium & merces fidei quæ præceſſit, *quid videbimus*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 20. de Civit. c. 21. *niſi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes ?*

2°. Quæ nobis hìc ſunt objecta ſcientiæ naturalis, nempe natura & ordo rerum hujuſce univerſitatis, ea Beati comperta habent, *Angeli*, inquit ſanctus Auguſtinus, lib. de Gen. ad litt. cap. 24. *atque adeo omnes alii* (Beati) *proculdubio univerſam creaturam in ipſo verbo Dei noverunt.* Sanctus Baſilius lib. de verâ Virginitate, *complectuntur omnia & comprehendunt.* Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 34. *Quid eſt quod non vident, qui videntem omnia, vident ?* Et ratio eſt, quia ejuſmodi notitiæ ineſt homini naturalis appetitus, proindeque pertinet ad ejus perfectionem

ctionem & integram felicitatem. Si ergo perfecta illa notitia fuit appendix & conſectarium quoddam juſtitiæ originalis, in quâ conditi ſunt primi parentes, juxta illud Eccli. 17. *creavit illis ſcientiam ſpiritûs, ſenſu implevit cor illorum;* à fortiori conſequitur beatitudinem cœleſtem, ut quæ ſit ultima hominis perfectio, ad quam tendebat ſtatus innocentiæ.

3°. Ex rebus contingentibus norunt Beati, quæ ad ipſos ſpectant, preces, v.g. percipiunt, quæ ad illos diriguntur: norunt Angeli, quæ ad eos pertinent, quos in cuſtodiam acceperunt; ſancti Parentes, quæ ad familiam; Epiſcopi, quæ ad diœceſim; Reges, quæ ad regna, quæ dum viverent, adminiſtrarunt. Sic ab Eliâ jam tranſlato, qui prophetaverat in regno Iſraël, allatæ ſunt litteræ, 2. Paralip cap. 21. v. 12. Sic Jeremias & Onias orare dicuntur pro populo ſuo in magnis calamitatibus conſtituto, 2. Machab. cap. 15. Sic ſanctus Petrus epiſt. 2. cap. 1. ſuam ſollicitudinem diſcipulis pollicetur poſt ſuum obitum; *Dabo*, inquit.... *operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* His & aliis exemplis fretus ſanctus Ambroſius in oratione de obitu Theodoſii, docet ipſum in cœlis curam habiturum Honorii & Arcadii liberorum. Et ſanctus Gregorius lib. 12. Moralium cap. 17. idipſum de omnibus Sanctis aſſerit; *an*, inquit, *fratres ſuos periclitantes non videant, non curent? an qui Deum toti & totum ſapiunt, cùm Deus charitas ſit, charitatis exortes ſunt?* Sine mutuâ ejuſmodi ſollicitudine non ſtaret communio quam Chriſtus inſtituit & præcepit inter membra corporis ſui, quod eſt Eccleſia in cœlis regnans, in terris militans, & in Purgatorio patiens. Nec dubium eſt, quin Deus annuat Sanctorum votis ordini à ſe præſcripto prorſus

conſentaneis. Et ita docent S. Thomas 3. p. qu. 10. art. 2. & omnes Theologi.

4°. Denique Beati ſeſe invicem ſuoſque in patriâ cognoſcunt; alioquin ſocietas, ad quem homo natus eſt, ſtare non poſſet. *In meliorem ſtatum deſtinamur*, inquit Tertullianus lib. de Monogamiâ cap. 10. *reſurrecturi in ſpiritale conſortium agnituri, tam noſmetipſos, quàm noſtros.* Et S. Cyprianus lib. de mortalitate, *magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum .... ad horum conſpectum & complexum venire quanta & illis & nobis in commune lætitia eſt?*

Ex his colliges 1°. fieri poſſe ut Beatus meritis & gloriâ inferior plura cognoſcat; quia illius conditio extenſiorem illam viſionem exigit, propter quam tamen felicior exiſtimandus non eſt, ut ſuprà monuit ſanctus Auguſtinus. 2°. Turpiter hallucinari eos, qui elucidandis Religionis noſtræ myſteriis, & ceteris rebus Thheologicis ita ſe dedunt, ut propterea pietatis officia remittant, rariùs ſacrificium offerant, ipſumque orationis munus quàm minimum pendant; cùm ex dictis ejuſmodi bona opera ſint merita, quibus in mercedem retribuitur amplior & clarior rerum divinarum perceptio.

Fruſtra opponunt illi tritum adagium, *qui ſtudet, orat*; id enim eo ſenſu dicitur, quo dicimus eum orare, qui injunctum opus perficit, qui agrum colit, aut mercaturam exercet, ſi nempe orationis ſpiritus in eo ſaltem virtualiter perſeveret; alioquin ſi iſta ex cupiditate, ambitione, aut alio quovis terreno affectu procedant, quomodo etiam dici queunt, cùm ipſum orationis ſpiritum extinguant? Unde ſanctus Auguſtinus epiſt. 130. aliàs 121. *Ideo*, inquit, *ab aliis curis atque negotiis, quibus ipſum deſiderium quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mentem revoca-*

mus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id, quòd deſideramus, intendere, ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebriùs inflammetur.

Q. 5°. *Beati poſſunt-ne cognoſcere omnia poſſibilia?*

R. Cùm neque Scriptura, neque Traditio facem hîc præbeant, propoſita quæſtio minùs Theologos ſpectat, quàm Philoſophos, quorum eſt ſcrutari naturam & expendere quid mens creata poſſit aut non poſſit.

Duæ autem ſunt hîc oppoſitæ opiniones, & tertia inter utramque media. Prima negat abſolutè intellectum creatum videre poſſe omnia poſſibilia; quia qui videt quidquid Deus poteſt, is ſanè cognoſcit omnipotentiam Dei, quantùm cognoſcibilis eſt: atqui nulla creatura poteſt cognoſcere omnipotentiam divinam quantùm cognoſcibilis eſt, cùm ſit infinitè cognoſcibilis, ac proinde incomprehenſibilis: Ergo.

Altera contra affirmat omnes creaturas poſſibiles ab intellectu creato videri poſſe; quia qui videt majus, poteſt videre minus: atqui Beati vident Deum, qui eſt aliquid longè majus, quàm omnes creaturæ poſſibiles: Deus enim eſt intenſive, id eſt, in omni genere perfectionis infinitus; creaturæ verò poſſibiles extenſivè, hoc eſt numero duntaxat ſunt infinitæ: ad cognoſcendum autem numerum infinitum, non requiritur intellectus infinitus, ſicut ad cognoſcendam ſubſtantiam infinitè perfectam eo omni modo, quo cognoſcibilis eſt. Unde concludunt Patroni hujus ſententiæ, Beatum, qui videret omnia poſſibilia, non propterea comprehenſurum omnipotentiam divinam, quæ, ut infinita eſt, infinitè etiam eſt cognoſcibilis; ſed viſurum duntaxat infinita credibilia, ad quæ ſe extendere poteſt.

Tertia opinio conciliat duas oppoſitas. Primò concedit omnia poſſibilia non poſſe videri in verbo ſeu in omnipotentiâ divinâ propter rationem pro ſententiâ negante allatam, ſcilicet, quia illâ viſione comprehenderetur omnipotentia divina; quid eſt enim comprehendere etiam intenſivè aliquam cauſam, niſi clarè & diſtinctè videre omnem ejus virtutem & efficaciam? Secundò, definit non repugnare, quominus mens creata per ſpecialem revelationem omnia poſſibilia in ſe ipſis videat, cùm non ſint niſi numero infinita, nec proinde dici poſſit ejuſmodi viſionem eſſe comprehenſivam omnipotentiæ; quia viſis omnibus effectibus in eſſentiâ finitis non comprehenditur eorum cauſa; cujus eſſentia eſt infinita. Plauſibilis quidem hæc ratio, veriſimilemque admodum reddit tertiam opinionem.

Atque hæc de attributis tranſcendentibus ſeu modificativis dicta ſunt. Sequuntur adjuncta, quæ in Scholis appellantur magna attributa, non quòd ceteris ſint majora; cùm omnia in Deo realiter ſint unum & idem; ſed quòd fuſiùs tractari ſoleant propter graviores, quæ occurrunt, difficultates.

CAPUT XV.

De Scientiâ Dei.

Circa Dei ſcientiam tria quæruntur, 1°. Utrùm exiſtat, & quænam ſint ejus proprietates. 2°. Quomodo dividatur ſecundùm noſtrum concipiendi modum. 3°. Quodnam ſit illius medium, ſeu quonam modo Deus cuncta cognoſcat.

PARAGRAPHUS I.

De exiſtentiâ ſcienciæ Dei; & ejus proprietatibus.

Q. 1°. **S***Cientia eſt ne Dei attributum?*
R. Eſt.

Probatur 1°. ex Scripturâ, 1. Reg. cap. 2. *Deus ſcientiarum dominus eſt.* Job. 12. *Apud ipſum eſt ſapientia & fortitudo, ipſe habet conſilium & intelligentiam* Prov. 3. *Dominus ſapientiâ fundavit terram, ſtabilivit cœlos prudentiâ.* Eſther. 14. *qui habes omnium ſcientiam.* Rom. 11. *ô altitudo divitiarnm ſapientiæ & ſcientiæ Dei.*

Probatur 2°. ratione. Deus eſt id quo nihil melius eſſe & concipi poteſt: atqui ſcientia eſt eximia perfectio, & meliùs eſt eam habere, quàm non habere: Ergo in Deo eſt ſcientia, non tamen diſcurſiva, hæc quippe imperfectionem importat.

Q. 2°. *Quænam ſunt proprietates divinæ ſcientiæ?*
Antequam reſpondeam huc revocanda ſunt quæ ſuprà diximus de vitâ Dei, de ejus ſimplicitate, immutabilitate, ac infinitis perfectionibus, nempe Deus eſt vivens intellectuale, ſed non eo modo quo Angelus aut anima rationalis. Vita quippe Angeli, ſive animæ rationalis ſpectari debet, vel in radice, vel in potentiâ proximâ, vel in actu. Radix eſt ipſamet natura Angelica aut humana, quæ eſt capax intelligentiæ, ſcientiæ, & viſionis ſeu intellectionis. Potentia proxima eſt intellectus, per quem Angelus vel homo fit proximè potens eliciendæ cognitionis, quam ut faciliùs & promptiùs eliciat, adjicitur et ſcientiæ habitus. 3°. ſequitur ipſemet intelligentiæ actus, ſeu intellectio actualis, à quâ denominatur intelligens. At in Deo res non ita ſe

habet; Deus enim, utpote ens à ſe, eſt actus puriſſimus, ſimpliciſſimus, & illimitatus, nulla in eo vitæ radix, nulla potentia intelligendi, nullus habitus ſcientiæ, ſed eſt ſuamet actualis cognitio; adeo ut eſſe actu, vivere actu, & intelligere actu, ſint unum & idem: quibus præmiſſis, ad quæſtionem propoſitam.

R. Scientia Dei eſt actus ſimpliciſſimus, immutabilis, & infinitus.

Primò eſt ſimpliciſſima, Sap. 7. verſ. 22. *eſt in illâ* (ſapientiâ) *Spiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, & multiplex*, ſcilicet ſecundùm noſtrum concipiendi modum, propter diverſa objecta, ad quæ ſe extendit; *ſed non diverſis obtutibus*, inquit Petrus Damiani opuſc. 36. cap. 7. *diverſa conſiderat, ut cùm intendit præteritis, vacet à præſentibus; ſed uno duntaxat ac ſimplici potentiſſimæ majeſtatis intuitu ſimul omnia comprehendit.*

Secundò eſt immutabilis, nec creſcit, nec decreſcit: *ſicut omnino tu es*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 11. Conf. cap. 16. *tu ſcis ſolus qui es incommutabiliter, & ſcis incommutabiliter, & vis incommutabiliter.*

Tertiò eſt infinita tum intenſive tum extenſive, *ſapientiæ ejus non eſt numerus*, Pſal. 146. Ac imprimis Deus ſeipſum novit & comprehendit tanquam primarium objectum ac præſtantiſſimum intelligibile. *Novit omnia Deus Pater in ſeipſo*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 14. *novit in filio: ſed in ſeipſo tanquam ſeipſum: in filio tanquam verbum ſuum.* Deinde novit cetera omnia, Heb. 4. *Non eſt ulla creatura invìſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.*

Videt omnia poſſibilia, Eccli. 23. *Domino ... Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* Rom. 4. *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

Videt exiſtentia, præterita, & futura, Pſ. 138. *Tu cognoviſti omnia, noviſſima, & antiqua*, etiam ſecreta cordium, *intellexiſti cogitationes meas de longè*. 1. Paralip. c. 28. *omnia ... corda ſcrutatur Dominus, & univerſas mentium cogitationes intelligit.* Heb. 4. dicitur *diſcretor cogitationum & intentionum cordis*. Denique ex Tertulliano lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Præſcientia Dei tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas*.

Videt denique futura conditionata. Probatur, quia conditionatè futura ſunt ea quæ revera extitura non ſunt, ſed exiſterent, ſi poneretur certa conditio; atqui Deus ejuſmodi futura cognoſcit; nam Matth. 11. Chriſtus aſſerit, quòd ſi in Tyro & Sydone cædem factæ fuiſſent virtutes, quæ apud Corozaïn & Bethſaïdas, Tyrii & Sydonii pœnitentiam egiſſent. 1. Reg. c. 23. David conſulit Deum, num habitatores Ceilæ ipſum Sauli traderent, ſi apud illos remaneret, Deus autem reſpondet, *tradent*, quo accepto oraculo, fugit David, & ita non eſt traditus. Ergo Deus præſcit quæ conditionatè futura ſunt.

Dices 1°. Deus cum dubitatione futura libera prædicit Jerem. 26. *Noli*, ait Deus ad Prophetam, *ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant*, Ezech. 2. *ſi fortè audiant .... & ſi fortè quieſcant*. Joan. 8. *ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*. Ergo.

Diſtinguo antecedens, cum dubitatione prædicit more humano, ut denotet liberum hominis arbitrium, & propriam ejus de eventibus futuris dubitationem, Concedo: cum dubitatione, quæ ſit in Deo, Nego anteced. Ita ſancti Patres, ſanctus Hieronymus in cap. 26. Jer. *Verbum*, inquit, *ambiguum, forſitan, majeſtati divinæ non poteſt convenire; ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum homini ſervetur arbitrium, nec ex præ-*

ſcientia ejus quaſi neceſſitate vel facere quid, vel non facere cogatur. Sanctus quoque Auguſtinus in Pſal. 2. ad hæc verba, *nequando iraſcatur Dominus*, ſic ſcribit, *cum dubitatione poſitum eſt, non ſecundùm viſionem Prophetæ, ubi certum eſt, ſed ſecundùm eos ipſos qui monentur; quia cum dubitatione ſolent cogitare iram Dei, quibus apertè non revelatur.* Et tract. 37 in cap. 8. Joan. *ille qui omnia ſcit, quando dicit*, forſitan me ſciretis, *non dubitat, ſed increpat: dubitationis verbum eſt, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia neſciente: Cùm verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cùm Deum nihil utique lateat, illâ dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.* Sic enim herus ſervum inobedientem increpare ſolet, forſitan obtemperabis, cùm adhibuero verbera.

Inſtabis: atqui Deus nonnulla prædicit futura, quæ non eveniunt, v. g. lib. 4. Regum cap. 20. per Iſaïcam dicit Ezechiæ, *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu & non vives*: & Jonæ 3. jubet Prophetam prædicare, *adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur,* Nihilominus convaluit Ezechias, & Ninive non eſt ſubverſa: Ergo Deus futura certò non præſcit.

Diſtinguo antecedens cum ſancto Thomâ 2. 2. qu. 171. art. 6. ad 2. quædam non eveniunt, quæ tamen Deus prædicit futura ſecundùm ordinem cauſarum ſecundarum, Concedo: quæ prædicit abſolutè, Nego antec. Deus itaque prædixit & Ezechiam moriturum habitâ ratione morbi lethalis, à quo naturaliter ſanari non poterat, & Ninivem evertendam propter inhabitantium malitiam, ſed certò ſciebat quid ſupra ordinem cauſarum ſecundarum eſſet facturus.

Dices 2°. ſancti Auguſtinus, Proſper, & Fulgentius rejiciunt præſcientiam futurorum conditionatorum: Ergo.

Diſtinguo antecedens, rejiciunt in ſenſu Semipelagianorum, eoque hæretico, Concedo, abſolutè, Nego antecedens. Semipelagiani itaque in eo verſabantur errore, quòd initium ſalutis eſſet à nobis, ita ut gratia adjuvaret duntaxat jam conantes aut ſaltem deſiderantes, nullatenus verò præveniret. Cùm autem urgerentur exemplo parvulorum, qui priuſquam decedant, nullo præeunte pietatis affectu, baptizantur, recurrebant ad futura conditionata, fingebantque Deum quibuſdam gratiam baptiſmi impertiri, aliis verò denegare; quia præſciebat illos, ſi vixiſſent, dono ſibi conceſſo rectè uſuros, illos contra abuſuros. *Quis audiat*, inquit S. Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 12. *quod dicuntur parvuli pro ſuis futuris meritis in ipſa infantili ætate baptizati exire de hâc vitâ; & ideo alii non baptizati in eâdem ætate mori, quia & ipſorum præſcita ſunt merita futura, ſed mala; non eorum vitam bonam vel malam Deo remunerante vel damnante, ſed nullam... Unde hoc talibus viris in mentem venerit, neſcio, ut futura, quæ non ſunt futura, puniantur aut honorentur merita parvulorum.*

Inſtabis: atqui ſanctus Auguſtinus lib. 2. qu. 2. ad Simplicianum, omnem Deo adjudicat futurorum præſcentiam.

Diſtinguo ſubſumptum; abjudicat omnem præſcentiam, quæ ſit cum aliquâ imperfectione, qualis eſt in hominibus, Concedo: omnem abſolutè præſcientiam, Nego. Sanctus itaque Doctor duos defectus in præſcientiâ, quæ in nobis ineſſe poteſt, deprehendit: 1°. remota ſunt à nobis quæ dicimur præſcire; Deo autem omnia ſunt præſentiſſima. 2°. futura minùs nobis perſpecta ſunt, quàm præſentia; unde aliquid perfectionis accedit noſtræ notitiæ; cùm res quas præſentiebamus futuras, exiſtere incipiunt.

atqui perabſurdum eſt, quòd temporaliter aliquid accedat ſcientiæ Dei, *& tamen*, inquit, *& ſcit Deus, & præſcit Deus ineffabili modo.*

Dices 3°. Matth. 7. v. 23. & cap. 25. verſ. 12. Deus non novit reprobos, nec mala eorum opera: Ergo.

Diſtinguo antecedens, non novit ſcientiâ approbationis, quomodo peritus artifex dicit ſe non agnoſcere opus malè elaboratum, Concedo: non novit ſimpliciter & abſolutè, Nego antecedens, alioquin quomodo impios judicaret?

PARAGRAPHUS II.

De reliquis ſcientiæ Dei proprietatibus.

Q. 1. *Scientia Dei eſt ne cauſa rerum?*

R. Eſt cauſa eorum omnium quæ Deus facit, minimè verò eorum quorum Deus non eſt auctor, nempe peccatorum.

Prima pars probatur 1°. ex Scripturâ Prov. 8. ſic de ſeipſâ loquitur ſapientia *cum eo eram cuncta componens*, Joan. 1. de Verbo divino, quod eſt ſapientia Patris, *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* 2°. Ex Patribus S. Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 13. *Univerſas*, inquit, *creaturas ſpirituales & corporeas, non quia ſunt, ideo novit Deus, ſed ideo ſunt, quia novit.* Sanctus Gregorius lib. 20. Moral. cap. 23. *quæ ſunt non ab æternitate ejus, ideo videntur quia ſunt; ſed ideo ſunt, quia videntur.* 3°. ratione S. Thomæ, quia ſcientia Dei ſe habet ad res creatas, ſicut ſcientia artificis ad res artificiales: atqui ars in mente artificis eſt cauſa rerum artificialium: Ergo.

Dices: ſcientia ſupponit exiſtentiam objecti; prius enim eſt eſſe, quàm cognoſci, ergo ſcientia Dei non eſt cauſa rerum.

Diſtinguo anteced. ſcientia ſpeculativa ſupponit objectum, Concedo: ſcientia practica, Nego anteced. Nam Architecti ſcientia non ſupponit domum, ſed facit.

Inſtabis: Deus per ſuam omnipotentiam cuncta creavit: Ergo ſcientia divina non eſt rerum cauſa.

Nego conſeq. Tria quippe attributa ad rerum productionem concurrunt, nempe voluntas, ſcientia, & omnipotentia: voluntas decernit opus producendum, ſcientia dirigit, omnipotentia exequitur.

Secunda pars probatur 1°. ex Scripturæ textibus, quibus contra Calvinum infra demonſtrabimus Deum non eſſe auctorem peccati. 2°. ex ſanctis Patribus. Sanctus Hieronymus dialogo contra Pelagianos ſcribit, *non ideo peccavit Adam quia hoc futurum noverat* (Deus;) *ſed præſcivit Deus quaſi Deus, quod ille erat propriâ voluntate facturus.* S. Joannes Damaſcenus dialogo adversùs Manichæos, *quod præſcentia*, inquit, *Diabolo minimè cauſa fuerit cur malus fieret, hinc conſtat, nam nec medicus dum futurum morbum prænoſcit, morbo cauſam aſſert. Verùm morbi quidem cauſa in præpoſterâ, & immoderatâ vitæ ratione conſiſtit: ac medici prænotio eruditionis ipſius argumentum eſt; prænotionis autem cauſa hæc eſt, quòd ita futurum erat.* 3°. ratione, quia peccatum formaliter ſumptum eſt merus defectus, qui refundi non poteſt, niſi in cauſam deficientem; quemadmodum claudicatio non adſcribitur animæ, quæ tibiam movet, ſed ipſi tibiæ malè affectæ.

Dixi, *peccatum formaliter ſumptum*, Deus quippe ut cauſa univerſalis concurrit ad materiale peccati, putà ad homicidium materialiter ſpectatum, quia actus ille eſt ens reale & phyſicum, quod non poteſt exiſtere niſi dependenter à con-

curſu divino, quem ſanè Deus non præbet, niſi intellectuali modo, & propter finem laudabilem. Ideo autem malitia, quæ actui illi ineſt: Deo aſcribi non poteſt.; quia ad illum nedum moveat aut determinet, ab eo deterret ſive per legem extrinſecùs ſonantem, ſive per gratiam intrinſecùs operantem. Sed de his iterum ubi de Providentiâ.

Q. 2°. *Præſcientia Dei imponit ne rebus neceſſitatem?*

R. Affirmavit univerſim Joannes Hus, & ideo in Concilio Conſtantienſi damnatus ſeſſ. 17. Quidam ex Philoſophis Gentilibus, ut Cicero lib. 2. de Divinatione, cùm non poſſent conciliare libertatem cum Dei præſcientiâ, maluerunt definire Deum non eſſe præſcium futurorum contingentium, quam negare quod in ſeipſis verum experiebantur, ſcilicet liberum ſibi eſſe multa vel facere vel non facere. *Ideo Tullius*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 5. de Civ. c. 9. *ereptâ Deo præſcentiâ, ne libertatis damnum homo ſentiret, homines, dum vult facere liberos, fecit ſacrilegos.* Contra ejuſmodi errores.

R. Præſcientia non imponit neceſſitatem cauſis liberis.

Probatur, quia neceſſe eſt ut cuncta in tempore eveniant eo modo, quo Sapientia, quæ eſt omnium artifex, ab æterno ordinavit, & præſcivit: atqui Sapientia ordinavit, & præſcivit alia liberè futura, alia neceſſariò: ergo ſecundùm Dei præſcientiam & ſapientiam, alia in tempore exiſtunt liberè, alia neceſſariò.

Major eſt evidens; ſicut enim Architectus domum conſtruit juxta ideam, quam mente concepit; ita Deus hanc rerum univerſitatem produxit, & adminiſtrat eo modo, quo ejus ſapientia ab æterno diſpoſuit, & prævidit.

Minor eſt S. Thomæ 1. p. qu. 19. art. 8. ubi de divinâ voluntate, quæ proculdubio nihil futurùm ſine præſcientiâ decernit, ſic ſcribit: *Cùm voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed & quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autèm quædam fieri Deus, neceſſariò, quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus ad complementum univerſi; & ideo quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proveniunt, quibuſdam autèm aptavit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant.*

Cauſis igitur ratione deſtitutis præſcientia imponit operandi neceſſitatem, v. g. igni calefaciendi, plantis fructus ſuos producendi, avibus nidificandi, ubi, quando, & eo quo congruit modo, cùm enim materiales ſint, ſeipſas movere & determinare nequeunt, ſed aliunde moveantur neceſſe eſt, nempe naturali pondere & inſtinctu, qui, ut eſt à Deo, deficere non poteſt, ſed poſitis omnibus ad agendum requiſitis, ſcopum neceſſariò attingit. At cauſas mente præditas, puta homines, reliquit in manu conſilii ſui, appoſuit eis aquam & ignem, vitam & mortem, bonum & malum, ut ad quod voluerint, ſeſe determinent, moveant, ac manum apponant, ut dicitur Eccli. c. 15. ex quo contingit eas aliquando deficere, & à fine aberrare. Sed cùm iſta ſint à Deo ordinata, ac proinde præſcita, ſequitur Dei præſcentiam, & ordinationem cauſis mente præditis tribuere libertatem, non verò tollere.

Dices: quod Deus ab æterno præſcivit, & decrevit, neceſſe eſt ut eveniat: atqui ex dictis Deus ab æterno cuncta præſcivit, & ordinavit: ergo ea in tempore neceſſariò eveniunt.

Diſtinguo majorem; neceſſe eſt ut eveniat eo

modo, quo Deus præſcivit, & ordinavit, Concedo: alio modo, Nego majorem. Porrò Deus præſcivit, & ordinavit, ut cauſæ mente præditæ liberè agerent: ergo revera liberè agunt: & ſi quæ neceſſitas hîc repetatur ex præſcientiâ & decretis divinis, erit duntaxat conſequentiæ, quatenus nimirum ex eo quòd Deus præſcierit, & decreverit hominem liberum fore, ſequitur hominem neceſſariò eſſe liberum.

Inſtabis: prædeſtinatio ex dicendis eſt decretum Dei abſolutum & efficax perducendi electos ad gloriam ante prævisa eorum merita: atqui hujuſmodi præſcientia & decretum neceſſitatem electis imponunt: ergo libertas, ſaltem in electis, cum præſcientiâ ſtare nequit.

Diſtinguo maj. ut ſuprà; perducendi ad gloriam mediis liberis, Concedo: mediis neceſſariis, Nego majorem.

Diſtinguo etiam minorem; imponunt neceſſitatem conſequentiæ, Concedo: antecedentem & abſolutam, Nego minorem & conſequentiam. Imò cùm Deus ordinaverit electos efficaciter perducere ad gloriam per eorum merita, quæ nulla ſunt, niſi ſint libera, neceſſe eſt ut liberè ad gloriam perveniant, alioquin divina ordinatio non eſſet efficax, nec infallibilis.

Urgebis: electi à Deo efficaciter moti vel reſiſtere poſſunt, vel non poſſunt: ſi non poſſunt, moventur neceſſariò: ſi poſſunt, ſequitur eos poſſe Dei præſcientiam fallere, & irrita reddere abſoluta Dei decreta, quod eſt longè abſurdiſſimum.

Reſpondeo poſſe reſiſtere, nec propterea ſequi eos præſcientiam Dei poſſe fallere, & abſoluta ejus decreta nulla efficere. Imò falleretur Dei præſcientia, & caſſa eſſent ejus decreta, ſi non poſſint reſiſtere, cùm Deus ab æterno præ-

ſcierit & ordinaverit, ut efficacem ipſius motionem abſolutè poſſent non ſequi.

Urgebis ampliùs : poſito poſſibili in actu, nullum ſequitur abſurdum : ergo cùm homo gratiæ efficaci reſiſtere poſſit, ſupponere licèt quòd actu reſiſtat. Atqui in illâ hypotheſi, falletur Dei præſcentia, neque fiet quod Deus abſolutè voluerat fieri. Quæ cùm ſine impietate dici nequeant, reſtat ut dicamus prædeſtinationem, & gratiam efficacem imponere neceſſitatem.

Diſtinguo antecedens, poſſibili poſito in actu eo modo, quo poſſibile eſt, Concedo : ſecus, Nego antecedens. Sic v. g. quia abſolutè poſſibile eſt Petrum non currere, abſolutè ſupponi poteſt Petrum actu non currere : ſed in hypotheſi quòd Petrus currat, jam ſupponi non poteſt quòd actu non currat; curreret enim, & non curreret, quod eſt contradictorium. Petrus itaque abſolutè, & in ſenſu diviſo, hoc eſt, potentiâ ejus ab actuali curſu ſeparata, poteſt non currere; ſed in hypotheſi quod actu currat, & in ſenſu compoſito, id eſt, ſi potentia currendi ſit conjuncta & compoſita cum actuali curſu, repugnat Petrum non currere.

Diſtinguo ſimiliter conſequens, poſſibile eſt hominem gratiæ efficaci reſiſtere abſolutè, & in ſenſu diviſo, Concedo : quia gratia efficax non movet neceſſariò, & voluntas ei reſiſtere poteſt : poſſibile eſt in ſenſu compoſito, hoc eſt, poſitâ actuali voluntatis determinatione, quæ quidem infallibiliter ſequitur, ſed non neceſſariò, Nego conſeq. quia gratia efficax non ſolùm dat poſſe, ſed etiam agere, hoc eſt, dat ipſum actum, ſed liberum. Unde non poteſt ſupponi quòd homo ei actu non obtemperet; quia ſequeretur contradictio, quòd gratia efficax actum daret, & non daret. Decretum itaque dandi gra-

tiam per ſe efficacem, eſt decretum dandi actum liberum, ad quem voluntas humana infallibiliter, ſed liberè ſe determinat. Ergo cùm Deus iſta præviderit, & ordinaverit, neceſſario neceſſitate conſequentiæ liberè eveniunt.

PARAGRAPHUS III.

De diviſione Scientiæ Divinæ.

Q. 1°. Quotuplex eſt *Scientiæ Divinæ diviſio ſecundùm noſtrum concipiendi modum?*

R. Multiplex; alia enim dicitur ſpeculativa, alia practica: alia neceſſaria, alia libera; alia ſimplicis intelligentiæ, alia viſionis.

Q. 2°. *Quid eſt ſcientia Dei ſpeculativa?*

R. Eſt cognitio objecti non operabilis, ut ſcientia, quâ Deus ſeipſum, & res poſſibiles cognoſcit.

Q. 3°. *Quid eſt ſcientia Dei practica?*

R. Eſt cognitio objecti operabilis, ut mundi condendi.

Q. 4°. *Quid eſt ſcientia Dei neceſſaria?*

R. Eſt cognitio objecti independentis à liberis Dei decretis, ut ſcientia rerum poſſibilium, quæ neceſſariò poſſibiles ſunt, & independenter à voluntate divinâ.

Q. 5°. *Quid eſt ſcientia libera?*

R. Eſt cognitio objecti pendentis à libero Dei decreto, talis eſt ſcientia rerum exiſtentium.

Q. 6°. *Quid eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ?*

R. Eſt cognitio rerum merè poſſibilium, quæ nec extitêre, nec exituræ ſunt.

Q. 7°. *Quid eſt ſcientia viſionis?*

R. Eſt cognitio rerum exiſtentium in aliquâ temporis differentiâ, ſive actu exiſtant, ſive extiterint, ſive exituræ ſint.

Q. 8°. *Sunt-ne adæquatæ ejuſmodi ſcientiæ divinæ diviſiones?*

R. 1°. Omnes conſentiunt ſcientiam Dei adæquatè dividi in ſpeculativam & practicam, neceſſariam & liberam; quia nulla in Deo fingi poteſt ſcientia, quæ non ſit ſpeculativa aut practica, neceſſaria vel libera.

Sed decimo ſexto ſeculo nata eſt in Scholis controverſia, eaque nunc celebris, circa diviſionem ſcientiæ in eam quæ eſt ſimplicis intelligentiæ, & eam quæ dicitur viſionis. Molina quippe lib. de Concordiâ quæſt. 23. art. 4. contendit hanc diviſionem eſſe inadæquatam, quia præter res poſſibiles & res exiſtentes in aliquâ temporis differentiâ, ſunt aliæ conditionatæ futuræ, quæ nec ſimpliciter futuræ ſunt, cùm nunquam habituræ ſint exiſtentiam, nec merè ſunt poſſibiles, ut patet exemplo futuræ converſionis Tyriorum, ſi vidiſſent Chriſti miracula; ſub illa enim conditione converſio illorum non tantùm erat poſſibilis, quemadmodum converſio civium Corozaïn, ſed erat quid medium inter poſſibilitatem & futuritionem; alioquin Chriſtus inter utramque non diſtinxiſſet, nec illam alio modo cognoviſſet, quam iſtam, quàm ſanè noverat poſſibilem. Ergo prior erat plusquam poſſibilis. Adeoque præter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quâ videntur res merè poſſibiles, & ſcientiam viſionis quam terminant res exiſtentes, aſſignanda eſt tertia ſcientiæ ſpecies, quæ verſatur circa futura conditionata. Verùm iſta non cogunt recedere ab antiqua & receptâ diviſione. Quare,

R. 2°. Adæquata eſt ſcientiæ Dei diviſio in eam, quæ eſt ſimplicis intelligentiæ, & eam, quæ eſt viſionis, nec fingi debet alia, quæ ſit inter utramque media.

Probatur, quia quidquid Deus cognoſcit, vel

exiſtit in aliquâ temporis differentiâ, vel non exiſtit, conditio v. g. ſub quâ res futura dicitur, vel aliquando extitura eſt, vel nunquam extitura; medium quippe non datur inter exiſtere & non exiſtere, cùm ſint contradictoria: atqui primum pertinet ad ſcientiam viſionis, ſecundum verò ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: Ergo alia ſcientia, quæ dicatur media, Deo aſcribi non poteſt.

Dices: totuplex ſcientia in Deo eſt diſtinguenda, quotuplici modo una & eadem res abſolutè non futura cognoſci poteſt: atqui una & eadem res abſolutè non futura duplici modo cognoſci poteſt, 1°. ut poſſibilis, 2°. ut futura ſub conditione: Ergo.

Minor probatur. Traditio Davidis in urbe Ceïla conſiſtentis dupliciter cognoſci poterat. 1°. ut poſſibilis. 2°. ut futura ſi in illâ urbe moratus eſſet. Primum noverat David; niſi enim intellexiſſet illud eſſe poſſibile, de eventu anxius non fuiſſet. Sed cùm eum lateret, quid futurum, ſi adventum Saülis præſtolaretur, Deum, cui omnia patent, conſulit: quam verò reſponſionem ex divino oraculo expectabat? Quòd illud eſſet poſſibile? minimè; id enim ipſi conſtabat; ſed quærebat, quod non erat ſibi compertum, ſcilicet num revera tradendus eſſet in hypotheſi quod ex urbe non fugeret. Deus ad vota Davidis notitiam, quâ ille carebat, impertiit, reſponditque, *tradent*: ergo traditio Davidis, quæ nunquam extitit, quia conditio non eſt poſita (David quippe accepto oraculo, in urbe non remanſit) duplici modo cognoſci potuit, 1°. ut poſſibilis, 2°. ut futura ſub conditione; ac proinde præter ſcientiam poſſibilium & exiſtentium, media quædam, quæ ſit conditionatè futurorum, eſt admittenda.

Confirmatur. Ideo cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ, ut dicitur Sap. 9. v. 14. quia circa contingentia manifeſtè poſſibilia neſcimus quid hoc vel illud conſilium ſit pariturum: Ergo notitia futurorum conditionatorum eſt diſtincta, & in nobis ſeparata à notitiâ mere poſſibilium.

Diſtinguo minorem, duplici modo cognoſci poteſt, & duplici ſcientia, ſcilicet ſimplicis intelligentiæ & viſionis, propter duplex objectum, quod concurrit in futuris conditionatis, Concedo: duplici modo, qui conſtituat ſcientiam mediam diſtinctam à ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ & viſionis, Nego minorem. In futuro itaque conditionato, v. g. in proditione Davidis, ſi remanſiſſet in urbe Ceilâ, duo ſpectari debent. Primum, eſt ipſamet proditio nunquam futura, ac proinde merè poſſibilis, quæ ut ſic eſt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Secundum, eſt infirmitas humana, quæ in habitatoribus Ceilæ infallibiliter ceſſiſſet Saüli minanti urbis obſidionem & ſubverſionem, niſi Deus efficaci ſuo auxilio eos roborare decreviſſet: non decreverat autem, cùm ſtatuiſſet Davidem fugâ ſalvare: atqui infirmitas Ceïlitarum & divinum decretum ſunt quid exiſtens & objectum ſcientiæ viſionis. David ergo certus proditionem eſſe poſſibilem, quæſivit à Deo; num decreviſſet illam permittere, ſi in urbe moraretur. Item dicendum de aliis futuris conditionatis: de converſione Tyriorum ſi factæ fuiſſent apud eos virtutes, quæ factæ ſunt Corozaïn: de lapſuris electis, niſi perſecutionis dies propter eos eſſent breviandi, Matth. 24. de juſto, quem properavit educere de medio iniquitatum, Sap. 4. In his quippe alia ſunt abſolutè poſſibilia, & objecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ in Deo neceſſa-

riæ, nimirum converſio Tyriorum nunquam futura, & lapſus electorum non futurus: alia exiſtentia & objecta ſcientiæ viſionis & liberæ, ſcilicet gratia Corozaïtis fruſtra conceſſa, ſed quæ habebat vim infallibiliter determinandi non indurata Tyriorum corda: natura etiam in electis per concupiſcentiam vitiata, quæ per ſe ſuperare nequit graves tentationes: denique æternum Dei decretum eripiendi electos ab ejuſmodi tentationibus. Ergo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis Deus plenè cognoſcit libera conditionatè futura, ac proinde ſine fundamento cuditur tertia illa ſcientiæ ſpecies, quæ media appellatur.

Ad confirmationem reſpondeo, ideo incertas eſſe noſtras providentias & timidas mortalium cogitationes circa libera abſolutè vel conditionatè futura; quia quantumcunque ea noverimus poſſibilia, neſcimus quid Deus circa illa ordinaverit. Compertum eſt nobis, v. g. non eſſe impoſſibile æternæ ſuæ ſaluti conſulere in mercaturâ, militiâ, ſtatu Clericali, &c. Sed latet nos per quam ex illis viam Deus decreverit nos perducere. Hinc continuæ orationis neceſſitas, ut Deus vias ſuas nobis demonſtret; ſi enim aliàs ſecuti fuerimus, ad propoſitum terminum non perveniemus, quia, *niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Pſal. 126.

Paragraphus IV.

De medio Scientiæ Divinæ.

Medium ſcientiæ dicitur cauſa cognitionis: ſic creaturæ ſunt medium, quo naturaliter cognoſcimus Deum exiſtere; quia ejuſmodi

by Google

ſcientiam in nobis pariunt, & in Philoſophicis prima principia ſunt media cognitionis, quia per ea devenimus in concluſionis notitiam. His præmiſſis.

Q. 1°. *Quo medio Deus ſeipſum & cetera cognoſcit?*

R. 1°. Deus nullo in medio eſſentiam ſuam cognoſcit; quia medium debet eſſe priùs quàm res, quæ in ipſo cognoſcitur: atqui nihil poteſt fingi priùs divinâ eſſentiâ, ut quæ ſit ens à ſe & prima radix ceterorum: Ergo.

R. 2°. Juxta noſtrum intelligendi modum Deus in ſuâ eſſentiâ veluti in medio attributa ſua cognoſcit; quia eſſentia divina à nobis concipitur tanquam radix, in quâ Deus videt ſua attributa & proprietates.

R. 3°. Deus alia à ſe in ſeipſo cognoſcit.

Probatur 1°. ex SS. Patribus. Sanctus Dionyſius vel quivis auctor de divinis nominibus, cap. 7. ait: *Divina Sapientia ſeipſam cognoſcens ſcit omnia.* Sanctus Ambroſius tract. in Symbolum cap. 1. *nihil*, inquit, *extrà intelligere, ſed ſingula intueri dicitur.* S. Auguſtinus lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 15. ſic habet, *vidit omnia, quando fecit, & ſicut vidit ea, ita fecit, non præter ſeipſum videns, ſed in ſeipſo.* S. Thomas 1. p. qu. 14. art. 5. *Deus*, inquit, *ſeipſum videt in ſeipſo, alia autem à ſe videt non in ipſis, ſed in ſeipſo.*

Probatur 2°. ratione, quam urget ſanctus Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 4. operatio intellectûs ſumit ſpeciem & perfectionem ab objecto primario. v.g. actus fidei eſt nobilior actu ſcientiæ etiam infuſæ, quia verſatur circa Deum tanquam primarium objectum nobiliſſimum: atqui ſi Deus cognoſceret creaturas immediatè in ſeipſis independenter ab eſſentiâ divinâ, creaturæ eſſent primarium ejus objectum: ergo operatio

ejus ab ipſis ſpeciem & perfectionem acciperet. *Hoc autem*, inquit Angelicus Doctor, *eſt impoſſibile, cùm ejus operatio ſit ejus eſſentia; & hæc, quippe ens à ſe, nequeant ab alio diſtincto ſpeciem accipere. Sic igitur impoſſibile eſt, quòd intellectum à Deo primo, & per ſe, ſit aliud ab ipſo.*

Dices: ſequeretur Deum alia à ſe cognoſcere abſtractivè, non verò intuitivè: illud enim abſtractivè cognoſcitur, quod in alio videtur, ut effectus in cauſa.: falſum conſequens: ergo & antecedens.

Nego ſequelam, cujus confirmationem diſtinguo, quod in alio cognoſcitur ſecundùm rationes genericas & communes duntaxat, Concedo: quòd in alio cognoſcitur, etiam ſecundùm rationes individuales & ultimas atomos, Nego. Ideo igitur effectus non videntur intuitivè in cauſis creatis, ſed abſtractivè duntaxat, nec viciſſim cauſæ in effectibus; quia rationes individuales effectuum non continentur in cauſis creatis, nec cauſarum in effectibus. At Deus, cùm ſit ipſum eſſe, cujus creaturæ ſunt quædam participationes, eminentiori modo continet rationes communes & individuales creaturarum, ac proinde, ſicut in ſpeculo intuitivè videntur objecta, & in numero ſenario numerus ternarius; ita Deus omnes creaturas in ſeipſo intuitivè cognoſcit.

Deinde eſſentia Dei ex mox dicendis eſt rerum omnium idea; atqui res videntur ut ſunt in ſe, quando videntur in ſuâ propriâ ideâ: Ergo Deus in ſeipſo creaturas intuitivè videt.

Inſtabis ex ſupra dictis, perfectiones creaturarum, quæ habent admixtam imperfectionem, ut ſubſtantiæ corporeæ, non ſunt formaliter in Deo; nec enim lapis, nec equus exiſtunt in Deo, inquit S. Auguſtinus, multò minùs furta,

adulteria & aliæ actiones malæ : ergo Deus iſta ſaltem in ſeipſo non videt.

Nego conſequentiam, quia ſimplices creaturarum perfectiones, quamvis non ſint in Deo formaliter, eminentiori tamen modo in eo continentur, quod ſatis eſt ut ſint medium divinæ cognitionis; non enim repugnat res viliores videri per media nobiliora. Angeli quippe per ſpecies ſpirituales, adeoque nobiliſſimas, intuitivè vident res corporeas, & quæ in iis ſunt viliſſima. Illud ipſum ſanctus Auguſtinus tract. 1. in Joan. eleganter explicat exemplo artificis. *Faber*, inquit, *facit arcam.* 1°. *in arte habet arcam, ſi enim in arte arcam non haberet, non eſſet unde fabricando illam proferret .... Attendite ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non eſt vita : arca in arte vita eſt; quia vivit anima artificis, ubi ſunt iſta omnia antequam proferantur. Sic ergo, fratres chariſſimi, quia Sapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, ſecundùm artem continet omnia antequam fabricet omnia, hinc quæ fiunt per ipſam artem, non continuò vita ſunt; ſed quidquid factum eſt, vita in illo eſt. Terram vides, eſt in arte terra : cœlum vides, & in arte cœlum ... ſed foris corpora ſunt, in arte vita ſunt.* Foris ergo, hoc eſt, in ſeipſis habent admixtam imperfectionem, in divinâ ſapientiâ nullam. Finge domum conſtruendam in loco anguſtiori, & minimè idoneo, ut perficiatur omnibus numeris abſoluta; ſingularis tamen induſtria Architecti in eo elucet, quòd eam tam peritè conſtruxerit, quàm incommoda ſoli anguſtia pateretur. Ita Deus formans vermiculum, illum non cumulat omni perfectionis genere; quia anguſtior vermiculi natura tantam perfectionem non admittit ſed pro ſuâ infinitâ ſapientiâ tribuit illi quidquid perfectionis capere poteſt. Unde abſoluto mundi opificio, vidit ſcientiâ approbationis

cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, id eſt, perfecta & integra.

Ex his ſatis intelligitur Deum non operari quidquid abſolutè eſt perfectiſſimum, poſſet enim producere creaturas perfectiores, & perfectiores in infinitum, ſed cuncta etiam viliſſima facit modo perfectiſſimo.

Ergo creatura rationalis ad imaginem Dei facta, imitetur ſuum exemplar: non ambiat temerè quidquid perfectionis eſt; ſed quàm accuratè incumbat iis, quæ ſunt vocationis ſuæ, etiamſi levia & humiliora videantur.

Quod verò ſpectat actiones malas, duo in iis ſunt diſtinguenda, nempe materiale, & malitia formalis, ſeu repugnantia cum recta ratione. Materiale præciſè non eſt quid malum; tum quia nullus dixerit motus iræ, crudelitatis, & laſciviæ in belluis eſſe malos, cùm ſint ab Auctore naturæ, à quo belluæ aguntur: tum quia omne ens poſitivum eſt metaphyſicè bonum: bonitas enim eſt proprietas entis: atqui actiones malæ ſunt entia poſitiva: Ergo metaphyſicè ſpectatæ ſunt bonæ, ac proinde earum rationes ſunt in Deo. Sed quod eſt natura in pecore, illud vitium eſt in homine; quia eſt diſſentaneum naturæ rationali, ac proinde legi æternæ: hæc autem repugnantia in quâ conſiſtit malitia formalis, eſt defectus, qui in Deo locum non habet.

At, inquies, ſi ille defectus non eſt in Deo, quomodo ergo illum videt?

Reſp. vidit indirectè per bonum oppoſitum, quod in ipſo eſt, ſicut cæteras privationes per formam oppoſitam, cæcitatem per viſum, tenebras per lucem; quod enim nihil eſt, per ſe non eſt cognoſcibile.

Quamvis autem Deus oderit ejuſmodi morales defectus, juxta illud Pſalmi 5. *Non Deus volens iniquitatem*

iniquitatem tu es : illos tamen ita permittit, ut ſciat quid inde boni faciat; *neque enim*, inquit ſanctus Auguſtinus enchir. c. 11. *Deus omnipotens cùm ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, ut bene faceret etiam de malo*, quatenus ſcilicet ex bonis & malis ſapienter ordinatis, ſicut ex luce & tenebris, quas Deus non fecit, ſed ordinavit, admirabilis exurgit univerſitatis pulchritudo, *in quâ*, pergit ſanctus Doctor, *etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum, & loco ſuo poſitum eminentiùs commendat bona, ut magis placeant.* Porro illa ordinis ratio exiſtit in Deo, & in illâ tanquam in medio videt univerſam orbis diſpoſitionem.

Q. 2°. *Quotuplex eſt in Deo medium cognoſcendi creaturas?*

R. Unum eſt realiter; quia omnia in Deo unum ſunt; ſecundùm autem noſtrum concipiendi modum quadruplex eſt, nempe eſſentia divina, prout ratione diſtinguitur ab attributis, omnipotentia, ideæ & voluntas, ſeu decreta divina.

Eſſentia quidem, quæ, ut ipſum eſſe, cetera eminenter continet, & ab ipſis eſt participabilis: omnipotentia quoque cùm ſit rerum omnium productiva, nec comprehendi queat, quin perfectè cognoſcatur quidquid efficere poteſt. Ideæ ſimiliter, quæ ſunt rerum omnium ſimilitudines & formæ intelligibiles, ad quarum inſpectionem agens intellectuale operatur. Denique decreta divina, quibus Deus decernit ex infinitis poſſibilibus nonnulla producere.

Ergo Deus poſſibilia videt 1°. in eſſentiâ, ut ab eis participabili. 2°. in omnipotentiâ, ut eorum productivâ. 3°. in ideis tanquam in ſuâ arte, ut loquitur S. Auguſtinus, & rerum poſſi-

bilium formâ intelligibili. Exiſtentia verò ſive præterita, ſive præſentia, ſive futura cognoſcit in ſuis decretis; illud enim eſt medium neceſſarium cognoſcendi creaturas exiſtentes, ſine quo nullæ creaturæ exiſtunt, & quo poſito creaturæ exiſtunt in aliquâ temporis differentiâ: atqui ſine Dei decretis nullæ creaturæ exiſtunt, iis autem poſitis, neceſſariò neceſſitate ſaltem conſequentiæ, ut dictum eſt Paragrapho ſecundo, creaturæ exiſtunt; cur enim alter mundus non exiſtit, cùm Deus illum poſſibilem videat in ſuâ eſſentiâ, omnipotentia, & ideis, iſte verò exiſtit, niſi quia alterum mundum producere noluit, hunc verò voluit? Ergo.

Q. 30. *Ideæ ſunt-ne in Deo agnoſcendæ, & quid ſunt?*

R. Primò, dantur ideæ in Deo. Probatur 1°. ex Scripturâ Heb. 11. *Fide intelligimus, aptata eſſe ſecula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*, id eſt, ut non apparentibus in ideis divinis, ſeu in mente & arte divinâ, exiſtentia & viſibilia fierent. 2°. ex Sanctis Patribus S. Dionyſius ſeu quivis auctor lib. de divinis nominibus ſic ſcribit cap. 5. *In omnium causâ priùs conſtitiſſe omnium rerum exemplaria credendum eſt.* S. Auguſtinus tract. 1. in Joan. ſupra laudato: *eſt autem*, inquit, *in ipſâ ſapientiâ ſpiritaliter ratio quædam, quâ terra facta eſt.* Sanctus Joannes Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 3. ſic ratiocinatur: *Deus omnium auctor eſt, ergo omnium, quæ ſunt, rationes in ſe & cauſas, hoc eſt, ideas, jam ante in ipſo præhabet.* Et verò omne agens intellectuale habet in ſe imaginem illius rei, quam facturus eſt, alioquin temerè, fortuitò, & cæco modo ageret.

Dices: ſanctus Anſelmus in Menologio cap. 29. docet in verbo non eſſe rerum ſimilitudines: Ergo.

Diſtinguo antecedens, non eſſe ſimilitudines

à rebus acceptas, quemadmodum in ſpeculo. Concedo: non eſſe ſimilitudines in verbo naturales & eſſentiales, quæ ſint rerum creatarum exemplaria, Nego antecedens. Namque ſubdit creaturas eſſe divini illius exemplaris imitationes.

R. Secundò, ideæ divinæ ſunt ipſamet Dei eſſentia quatenus rerum omnium repræſentativa. Probatur; quia idea eſt exemplar ſeu interna ſimilitudo in mente agentis, ad cujus inſpectionem opus ſuum perficit: atqui eſſentia divina eſt exemplar omnium creaturarum tum poſſibilium, tum exiſtentium.

Ergo una eſt in Deo realiter idea, virtualiter & ratione multiplex.

Q. 4°. *Quomodo Deus in ſuis decretis videt futura contingentia?*

R. Duplicis generis ſunt futura contingentia: alia habent cauſam neceſſariam, ut conflagratio domûs per lapſum fulminis, quod caſu & fortuitò in illam decidit: alia pendent à causâ liberâ, ut peccatum.

Circa priora nulla poteſt eſſe difficultas, licèt enim reſpectu noſtri fortuita ſint, ab æterno tamen ordinata ſunt & prædefinita, neceſſariò futura, ac proinde in decretis divinis præcognita.

Sed gravis eſt controverſia circa futura libera; cùm enim Deus reliquerit hominem in manu conſilii ſui, & poſito quolibet decreto, liberum ei ſit eligere quod voluerit, ſive bonum, ſive malum, ambigitur in quo medio Deus præſcire poſſit ad quid voluntas ſeſe determinata ſit. Non præſcit in ſuâ eſſentiâ, aut omnipotentiâ, aut in ideis; quia ex dictis nonniſi poſſibilia in iis repræſentantur, nec quidquam eſt futurum, niſi dependenter ab aliquo Dei decreto. Neque

etiam in decretis præſcire videtur, cùm ſub divinis decretis voluntas maneat indifferens ad agendum vel non agendum. Quomodo ergo Deus ab æterno prævidere potuit, quid voluntas in tempore eſſet actura, vel non actura? Hîc uſurpare libet verba S. Auguſtini enarratione in Pſalmum 49. *Ne fortè hoc à me, fratres, expectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoſcat Deus: hoc ſolùm dico, non ſic cognoſcit ut homo, non ſic cognoſcit ut Angelus: & quomodo cognoſcit dicere non audeo, quoniàm & ſcire non poſſum. Unum tamen ſcio, quia & antequam eſſent, noverat Deus.*

Attamen non inutile viſum eſt breviter exponere diverſos opinandi modos circa Dei præſcientiam liberè futurorum, ut quod in illis opinionibus Eccleſia reprobat, ſedulò vitetur; quod tolerat, ſine damno unitatis & pacis tractetur; & quod probat, præferatur.

Futura autem libera ſunt diverſi generis, alia ordinis naturalis, quæ pendent à ſolo voluntaris arbitrio & generali Dei concurſu: ut deambulatio: alia ſupernaturalia, quæ ſine ſupernaturali Dei auxilio exiſtere nequeunt; ut fides: & hæc duplicis ſunt generis, alia quippe pertinent ad ſtatum in quo conditi ſunt Angeli & primi parentes, alia ad ſtatum naturæ lapſæ, in quo nunc vivimus.

Philoſophorum magis eſt quàm Theologorum agere de liberè futuris primi & ſecundi generis; quia Philoſophus rationem, Theologus verò auctoritatem Dei revelantis conſulit: atqui auctoritas divina vix quidquam tradit de liberè futuris primi & ſecundi generis; ſed tota eſt, ut oſtendat naturam humanam in primo homine fuiſſe corruptam, commendetque efficaciam gratiæ, quam Chriſtus Dominus nobis promeruit, ut ab univerſali illâ corruptione li-

beremar. Ergo noſtri inſtituti eſt potiſſimùm agere de libere futuris in ſtatu naturæ lapſæ; pauca tamen ſubjiciemus de aliis liberè futuris.

Paragraphus V.

Referuntur variæ ſententiæ de Dei præſcientia liberè futurorum in ſtatu naturæ lapſæ.

Lutherus & Calvinus non tam ſolvunt, quàm ſecant nodum difficultatis circa liberè futura; Negant enim abſolutè in hoc ſtatu eſſe ullum actum liberum ordinis ſupernaturalis. *Si præſcivit Deus*, inquit Lutherus lib. de ſervo arbitrio, *Judam fore proditorem, neceſſariò Judas fiebat proditor, nec erat in manu Judæ aliter facere, aut voluntatem mutare, licèt id fecerit volendo non coactus.* Et Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 3. Parag. 1. *voluntatem Deus movet, non ut noſtræ poſſit electionis motioni aut obtemperare aut refragari.*

Janſenius ad hunc errorem acceſſit definiens voluntatem ſub gratiâ, vel ſub concupiſcentiâ, voluntariè quidem ſed neceſſariò agere. Conſule quæ in hanc rem dicimus tract. de Gratiâ.

Refelluntur ex dictis citato tract. de Gratiâ, pag. 521. & ſeq. nov. edit. ubi fusè probamus ejuſmodi doctrinam eſſe hæreticam, & ut talem damnatam à Concilio Tridentino, & Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. Rejectis ergò erroribus, quatuor ſunt in Schola celebres ſententiæ.

Prima eſt Cajetani & aliorum, qui docent Deum cognoſcere futura libera in reali eorum coëxiſtentiâ cum æternitate; nempe, inquiunt, in æternitate non eſt prius & poſterius, præteritum & futurum; ſed omnia ſunt præſentia: cùm enim ex ſupra allatâ definitione, æternitas

ſit vitæ interminabilis tota ſimul poſſeſſio, & prorſus indiviſibilis, rerum omnium tam præteritarum quam futurarum actualem exiſtentiam complectitur; *quis hominum*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 15. de Trin. c. 7. *habere poteſt illam Sapientiam, quâ novit Deus omnia, ita ut nec ea quæ dicuntur futura, quaſi deſint, expectentur ut veniant; ſed & præterita & futura cum præſentibus ſint cuncta præſentia?* Ergo vidit Deus v. g. futuram Petri negationem cum æternitate coëxiſtentem.

Refelluntur 1°. quia futura non exiſtunt ab æterno: ergo cum æternitate non coëxiſtunt; prius eſt enim exiſtere quàm coëxiſtere; coëxiſtentia quippe eſt relatio accidentalis, quæ pro fundamento exiſtentiam neceſſariò ſupponit. 2°. licèt æternitas ſit duratio realiter indiviſibilis, virtualiter tamen eſt extenſa, non ſecus ac immenſitas: Ergo ſicut humanitas Chriſti non ubique correſpondet immenſitati Verbi divini, cui realiter unita eſt, ſimiliter nec futura libera cunctis virtualibus partibus æternitatis. Præterita itaque & futura Deo ſunt præſentia objectivè, non vero realiter, *antequam res fierent*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 5. de Gen. ad litt. c. 18. *erant in Dei ſcientia, non erant in ſuâ naturâ.*

Secunda ſententia eſt Thomiſtarum, qui medium ſcientiæ divinæ ſtatuunt decreta phyſicè prædeterminandi cauſas liberas; poſitis enim illis decretis, neceſſariò neceſſitate hypothetica & conſequentiæ ſequuntur ejuſmodi futura.

Refelluntur, tum quia non datur ejuſmodi decretum, ut communiter docent Philoſophi: tum maximè, quia illud decretum ſecundùm Thomiſtas eſt neceſſarium ad eliciendos quoſlibet actus liberos ſive naturalis ordinis, ſive ſupernaturalis, ſive in ſtatu naturæ lapſæ, ſive in

ſtatu innocentiæ : atqui juxta S. Auguſtinum Deus in ſtatu naturæ lapſæ non eo modo decernit futura libera ordinis ſupernaturalis, quo ea decrevit in ſtatu naturæ innocentis, ut probamus tract. de Gratiâ pag. 342. nov. Edit. Ergo Deus futura libera hujus ſtatûs in alio decreto præſcit, quàm in decreto Phyſicæ prædeterminationis : tum denique quia Deus ab æterno non decrevit phyſicè præmovere in tempore, niſi ad exigentiam cauſæ liberæ, ut ſalvetur ejus libertas : atqui propoſita quæſtio recurrit, in quo medio Deus prævidet illam futuram exigentiam, quæ eſt prorſus contingentem : Ergo decretum phyſicè prædeterminandi non eſt medium ſufficiens cognoſcendi futura libera.

Tertia ſententia eſt Ludovici Molinæ lib. de Concordiâ, & Sectatorum ejus, qui definiunt ſcientiam mediam eſſe medium in quo Deus videt futura libera, ſive abſoluta, ſive conditionata, tam in ſtatu naturæ lapſæ, quam in ſtatu naturæ innocentis. Ut autem ſuam ſtabiliant opinionem, nonnulla circa Dei decreta & ſtatum naturæ lapſæ obſervant.

Ac 1°. quidem, Deus, inquiunt, non poteſt creaturas, illæſâ earum libertate, efficaciter determinare, ac proinde nullum eſt abſolutum antecedens Dei decretum, in quo videat liberos earum actus futuros.

2°. Eſt in Deo voluntas plena & integra ſalvandi omnes & ſingulos homines : ſed ab eorum voluntate quoad effectum ſuſpenſa.

3°. Ex illâ generali Dei voluntate ſequitur ejus decretum præbendi omnibus gratiam ad actus ſupernaturales & ad perſeverandum neceſſariam, ſicut in ordine naturali decrevit ſingulis cauſis exhibere ſuum concurſum, quoties eſſent ad agendum paratæ. Ita Molina in ſuâ Concor-

diâ qu. 14. art. 13. diſput. 10. *Sicut Deus*, inquit, *ſemper præſto eſt per concurſum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit aut nolit, prout placuerit: ita præſto illi eſt per auxilium gratiæ ſufficientis, ut quoties ex viribus naturalibus agendi voluerit opus aliquod ex iis quæ ad juſtificationem ſpectant, illud exequatur prout ad ſalutem oportet.* Ne autem videatur idem ſentire cum Semipelagianis, addit, *non quidem quaſi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullâque ratione ea promereatur.* Ad quid igitur inſerviunt? *ut eâ ratione*, ibidem explicata, *ſemper in manu liberi arbitrii noſtri poſita eſſet ſalus noſtra, per noſque ipſos ſtaret, quòd ad Deum non converteremur.*

4°. Peccatum originale in hâc ſententiâ voluntatem quidem ſpoliavit gratuitis donis, ſed naturales ejus vires non minuit; ſic enim ſcribit Molina cit. art. 13. diſput. 7. *Peccatum primi parentis ſolùm in gratuitis nobis nocuit; & ob id naturalia in nobis & in Angelis poſt peccatum integra remanſerunt, qualia eſſent ſuapte naturâ, ſi nullo dono ſupernaturali fuiſſent affecta.* Hinc

5°. Cùm liberum arbitrium in hoc ſtatu non ſit naturalibus viribus imminutum juxta hujuſce ſententiæ patronos, non eget aliâ gratiâ, quàm quæ Angelis & primo Parenti conceſſa eſt, quamque S. Auguſtinus vocat auxilium, *ſine quo* Angeli & Adamus velle & agere non poterant; & cum quo poterant, non autem quo actu vellent & agerent. Uno verbo gratia utriuſque ſtatûs eſt duntaxat ſufficiens; &, ut aiunt, verſatilis ad nutum voluntatis, ut quæ ejus liberæ determinationi ſubjiciatur, dicendaque ſit efficax, ſi voluntas ei conſentiat, ſufficiens verò, ſi voluntas diſſentiat.

6°. Deus per ſcientiam mediam in cauſis liberis prævidet pro ſuâ intelligendi vi infinitâ, & ut loquuntur, *ſuper comprehenſione*, ad quid ſe de-

terminaturæ ſint in hypotheſi quòd gratia illa verſatilis offeratur.

7°. Deus prævifo recto & perſeveranti gratiæ uſu ad vitæ finem, abſolutæ decernit dare gloriam in debitam mercedem.

8°. Hic modus conciliandæ gratiæ cum libero arbitrio Molinæ videtur extendendus ad omnes, etiam ad ſanctiſſimas Chriſti & matris ejus animas; ſic enim ſcribit qu. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membro 9. *ad exaltationem, laudem, & honorem Chriſti & ſanctiſſimæ illius matris ſpectat, & mihi videtur admodum veriſimile, Sacro-ſanctis eorum duorum animabus, non ſolùm excellentiora dona Deum conferre decreviſſe; ſed etiam eaſdem prævidiſſe meliùs quàm ceteras pro ſuâ innatâ libertate uſuras ſuo arbitrio, eâque ratione in tantam dignitatem potiùs quàm ceteras electas fuiſſe.*

Ex his colligere licet, cur ceteri Theologi adversùs ſcientiam mediam tam acriter hactenus inſurrexerint; quia nempe illius uſus efficaci gratiæ derogat, myſterium prædeſtinationis labefactat, & voluntati humanæ per peccatum originale debilitatæ, plus, quàm par ſit, virium tribuit.

Uſum dixi; ſi enim ſcientia media juxta propriam notionem Philoſophicè ſpectetur, non magni refert, ſive admittatur, ſive rejiciatur tanquam tertia ſpecies ſcientiæ divinæ, quin ex apertis Moliniſtarum adverſariis non deſunt, qui ejus ope explicent Dei præſcientiam liberè futurorum ordinis naturalis, ac etiam ſupernaturalis in ſtatu innocentiæ. Quid autem in hâc parte ſentiendum nobis videatur, breviter dicemus ultimo Paragrapho, nunc verò.

Refellitur hæc tertia ſententia, eo, quo diximus, modo explicata à Moliniſtis; quia nova eſt, ante Molinam in Scholis inaudita, & do-

ctrinæ ſancti Auguſtini contraria. Illud non ſemel confitetur Molina citat. lib. de Concord. qu. 23. art. 4. diſp. 1. *Hæc noſtra ratio*, inquit, *conciliandi libertatem cum divinâ prædeſtinatione à nemine, quem viderim, huc uſque tradita.* Et paulo ante conferens ſuam cum ſancti Auguſtini ſententiâ, ait: *Quæ ſi data explanataque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta.. neque ex Auguſtini opinione concertationibuſque cum Pelagianis tot fideles fuiſſent turbati.* Ex quibus ſic argumentari licèt. Illa ſententia in Religione non debet admitti, quæ eſt nova & contraria receptæ ſancti Auguſtini doctrinæ: atqui ex conceſſis ſententia Molinæ eſt ejuſmodi: Ergo.

Major probatur 1°. quia doctrina in iis, quæ ad Religionem pertinent, eo ipſo falſa cenſetur, quo probatur nova, ut obſervat Tertullianus lib. de præſcript. cap. 31. *Id.... verum priùs traditum, id falſum quod poſteriùs immiſſum.* 2°. quia Eccleſia jam pridem ſancti Auguſtini doctrinam de gratiâ & libero arbitrio, ſuam eſſe agnovit teſte Hormiſdâ Summo Pontifice, in epiſt. ad Poſſeſſorem tomo 4. Concil. in quâ ſic ſcribit: *de libero tamen arbitrio & gratiâ Dei, quid Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia, licèt in variis libris beati Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum poſſit cognoſci*, &c. Simile teſtimonium jam præbuerat ſanctus Cæleſtinus in ſuâ Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ tom. 4. Concil. ubi de ſancto Auguſtino ſic habet: *Quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos etiam ante à meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori.* Denique ex Petavio inter inſignes Societatis Jeſu Theologos celeberrimo, *Auguſtini de gratiâ ſententiam quotquot deinceps conſecuti ſunt Patres & Doctores, tum verò Ec-*

cleſiæ Romanæ Præſules, Præſulumque conventus aliorum ratam & Catholicam judicarunt; ut hoc ſatis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Auguſtino poſitum ac decretum eſſe conſtaret. tom. 1. Theol. dogmatum lib. 9. cap. 6. n. 1. Quàm autem Molinæ ſententia adverſetur S. Auguſtini doctrinæ, ampliùs patebit ex dicendis in confirmationem quartæ ſententiæ.

Dices: Molinæ doctrina longuo & diligenti examini ſubjecta coram Summis Pontificibus Clemente octavo & Paulo quinto in famoſis Congregationibus de *Auxiliis*, nullâ cenſura eſt perſtricta: Ergo ab Apoſtolicâ Sede eſt approbata.

Diſtinguo antecedens, nullâ cenſurâ eſt perſtricta, quia de eâ nondum eſt prolatum, vel ſaltèm promulgatum judicium, Concedo: nullâ cenſurâ eſt perſtricta, & judicatum eſt cenſuram non mereri, Nego antecedens; cauſa quippe adhuc ſub lite pendet.

Dixi, *vel ſaltem promulgatum*; quia ſi fides habeatur actis ejuſmodi Congregationum, quæ paucis adhinc annis evulgata ſunt, communibus votis ac ſuffragiis damnata eſt Molinæ doctrina, nec aliud deſideratur, quàm Apoſtolici judicii promulgatio; ſed cùm acta illa authenticè & ſufficienti auctoritate evulgata non fuerint, variaque circunferantur, Molinæ cauſa finita dici non poteſt.

Confirmatur ex Reſcripto Pauli V. dato anno 1607. poſt abſolutas Congregationes *de Auxiliis*, quo litem omnem in ſuſpenſo poſuit, declaravitque *ſe opportuno tempore promulgaturum declarationem ac determinationem ſuam*, cavens ne quis interim partem alteram notâ aliquâ, vel cenſurâ notare audeat.

Inſtabis: illa opinio improbabilis cenſeri non

debet, quam Eccleſia, vel Sedes Apoſtolica non corrigit: atqui ex conceſſis talis eſt Molinæ opinio: Ergo.

Nego maj. hæc enim propoſitio proſcripta eſt à Clero Gallicano anno 1700. Quia quod tolerat Eccleſia, vel Sedes Apoſtolica, illud continuò non approbat, ſed diſcutiendum permittit, ſalvâ pace & charitatis vinculo, quo domeſtici fidei inter ſe vinciri debent, quodque ſollicitè ſervare, & aliis pro virili ſuadere proponimus.

Quarta ſententia, cui adhæremus, eſt ſancti Auguſtini & in Scholâ communis, de quâ Paragrapho ſequenti.

PARAGRAPHUS VI.

Deus actus liberè futuros ordinis ſupernaturalis in ſtatu naturæ lapſæ videt in abſoluto ſuo decreto, efficaci quidem & poſitivo, ſi boni futuri ſint, permiſſivo autem, ſi mali.

PRima pars, quæ eſt de actibus bonis, probatur 1°. ex Scripturâ, Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo* (Chriſto) *ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos .... ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ ... in quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Et c. 2. *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur; ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Singula verba ſunt ponderanda. 1°. Elegit nos, non quia futuri eramus ſancti, ſed ut eſſemus ſancti. 2°. juxta propoſitum

voluntatis ſuæ, non ſecundùm præſcientiam voluntatis humanæ. 3°. in laudem gloriæ gratiæ ſuæ: quæ autem gratiæ gloria, ſi ex nutu voluntatis pendeat? 4° Iſta electio ſors appellatur, ut palam fiat nullum præ alio habere in ſe cur eligatur. 5°. Deus omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, non ſecundùm diſpoſitionem voluntatis alienæ. 6°. timet Apoſtolus, ne quis in ſeipſo glorietur præ alio: at qui ſeſe determinaret ad opus, non parum gloriæ ſibi tribuere poſſet. 7°. creati ſumus in operibus bonis: creatio autem eſt ex mero nihilo; nec quidquam præſupponit. 8°. bona opera præparavit Deus, ut in illis ambulemus: ergo non prævidit nos in illis ambulaturos antequam præpararet.

Probatur 2°. ex ſancto Auguſtino lib. de prædeſtin. Sanctorum cap. 10. *Prædeſtinatione*, inquit, *ea Deus præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus* Et cap. 17. *hæc eſt immobilis veritas prædeſtinationis & gratiæ. . . . . ait Apoſtolus.* Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem ut eſſemus ſancti, *quòd profectò ſi propterea dictum eſt, quia præſcivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipſe credentes, contra iſtam præſcientiam loquitur filius dicens:* non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. *Electi ſunt itaque eâ prædeſtinatione, in quâ Deus ſua futura facta præſcivit . . elegit . . non quia per nos ſancti & immaculati futuri eramus, ſed elegit prædeſtinavitque ut eſſemus.* Probat ibidem & cap. ſeq. quoties in Scripturâ & libris Sanctorum Patrum occurrit nomen præſcientiæ Dei, ſemper intelligendam eſſe prædeſtinationem, ſi agatur de vocatione electorum. *Quid ergo*, inquit cap. 18. *nos prohibet, quantum apud aliquos verbi tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere?* Objicientibus autem Se-

mipelagianis ipſummet ſanctum Doctorem lib. de ſex quæſtionibus contra Paganos, Chriſtum tum voluiſſe hominibus apparere, quando ſciebat qui erant in cum credituri, reſpondet cap. 9. ejuſdem libri de prædeſtinatione Sanctorum, ſe id dixiſſe ſalvo latente Dei conſilio, & aliarum cauſarum. Quid autem ſit latens illud conſilium exponit: *utrùm*, inquit, *tantummodo eos præſcivit, an etiam prædeſtinaverit Deus credituros, quærere ac diſſerere tunc non putavi... poſſet etiam dici non valuiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari ſuam doctrinam, quando ſciebat, & ubi ſciebat, qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Ergo, juxta ſanctum Auguſtinum, prior eſt electio, quàm præſcientia futuri conſensûs.

Nec dicas ſanctum Auguſtinum hiſce in locis impugnare duntaxat errorem, quo Semipelagiani docebant naturales liberi arbitrii conatus & merita conditionatè futura eſſe cauſam cur Deus alios aliis præferret, ac proinde ſcientiam mediam abſolutè non rejicere, ſed ſolum ejus abuſum. Namque Semipelagiani ſcientiam mediam duplici de causâ excogitarunt, 1°. ne videretur Deus iniquus perſonarum acceptor, ſi è duobus parvulis peccato originali pariter infectis pro beneplacito unum alteri præferret; atque adeo, ut ſalvaretur Dei æquitas, finxerunt alterum propterea Baptiſmo regenerari, alterum verò ſine Baptiſmo decedere, quia Deus præſcivit primi merita, ſecundi demerita conditionatè futura; ſi nempe ambo ad ætatem adultam pervenirent: en abuſus ſcientiæ mediæ, contra quam inſurgit ſanctus Doctor, oſtendens longè abſurdiſſimum eſſe parvulos præmio aut pœna æterna actu affici propter merita aut demerita quæ nec extant, nec futura ſunt.

Sed alia fuit ratio Semipelagianis cudendi ſcientiam mediam; nimirum exiſtimabant illi prædeſtinatione antecedenter efficaci, quam aſtruebat ſanctus Auguſtinus, deſtrui liberum arbitrium, induci fatalem neceſſitatem, tolli ſalutis ſollicitudinem, hominum induſtriam, nec ſupereſſe locum exhortationibus, & increpationibus, & alia id genus incommoda opponebant, quæ hodie obtrudunt ſcientiæ mediæ Patroni: atqui ſanctus Auguſtinus in laudato libro de prædeſtinatione Sanctorum, & in ſequenti de dono perſeverantiæ, ex quibus Hormiſdas ſupra docebat potiſſimùm petendam doctrinam Romanæ Eccleſiæ; & ubi ſanctus Doctor hujuſmodi Semipelagianorum objectiones expendit, nedum in eorum opinionem ſaltem quoad hanc partem inclinet, & ſuam doctrinam temperet, illos totis viribus refellit, docetque Deum nihil futurum præſcire, niſi quod facturus eſt, ubi igitur de vocatione Electorum. Ergo futura eorum bona opera videt in decretis antecedenter efficacibus.

Probatur 3°. iis omnibus momentis, quibus in Tract. de Gratiâ cap. 6. Paragr. 4. 5. 6. & 7. probamus dari in hoc ſtatu gratiam per ſe efficacem, effectum ejus non eſſe repetendum ex voluntatis conſenſu, aut ex circunſtantiis per ſcientiam mediam prævisis, ſed ipſam per ſe dare velle & operari.

Secunda pars, quæ eſt de actibus malis quos Deus præſcit indirectè in ſuo decreto permiſſivo, probatur; quia illud eſt medium cognoſcendi indirectè futuros actus malos, quo poſito, infallibiliter, quamvis liberè, ſequuntur actus mali: atqui in ſtatu naturæ lapſæ poſito decreto Dei permiſſivo, infallibiliter ſequuntur actus mali: Ergo.

Minor probatur; quia decretum peccati permiſſivum excludit voluntatem conferendæ gratiæ efficacis, includit verò decretum concurrendi ad materiale peccati, peccatum quippe eſt actus voluntatis creatæ à ſuâ regulâ deficientis, ita ut actus ſecundùm entitatem ſpectatus ſit materiale peccati, & defectus formale: actus autem non poteſt poni ſine Dei concurſu, ut diximus ubi de immenſitate Dei, ac proinde in decreto peccati permiſſivo neceſſario intelligitur decretum concurrendi ad materiale peccati; alioquin Deus peccatum non permitteret; ſed impediret. Atqui poſito decreto peccati permiſſivo ſic explacato, Deus præſcit futuros actus malos, v. g. eo ipſo, quo decrevit permittere Petri negationem, & ad eam concurrere, vidit Petrum negaturum. Ergo decretum peccati permiſſivum, eſt medium cognoſcendi futuros actus malos. Quomodo verò Deus præſciat voluntatem creatam ſe determinaturam ad peccatum; cùm ipſe eam non determinet, exponemus paragrapho ſequenti, qui erit de medio cognoſcendi actus naturalis ordinis, quales ſunt actus moraliter mali.

Dices 10. effectus, qui eſt à duabus cauſis, in earum alterâ videri nequit: atqui actus liberi pendent à Deo ſimul, & à voluntate creatâ, *non ego*, inquit Apoſtolus, *ſed gratia Dei mecum*: ergo in Deo videri nequeunt.

Diſtinguo majorem: ſi altera non ponat ſecundam in actu, Concedo: ſecus, Nego maj. Porro Deus in hoc ſtatu dat voluntati liberè velle & operari. Unde Sanctus Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. expendens illud Apoſtoli Rom. 9. *non igitur volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, ait, *ſi propterea ſolùm dictum*

eſt . . . quia voluntas hominis ſola non ſufficit . . . poteſt & hoc modo dici, igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ addatur, ſed rejectâ paritate, ſic concludit: *non igitur ideo dictum putandum eſt, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; quia niſi ejus adjutorio non poſſumus adipiſci quod volumus: ſed ideò potius, quia niſi ejus vocatione non volumus.*

Dices 2°. medium ſcientiæ divinæ, utpote perfectiſſimæ, debet eſſe metaphyſicè certum: quæ autem novimus certitudine duntaxat morali, illa ſcimus imperfectè: atqui decretum Dei efficax non eſt medium metaphyſicè certum; namque poſito illo efficaci decreto, liberum eſt voluntati conſentire vel diſſentire motioni divinæ: Ergo.

Nego minorem: cùm enim Deus per gratiam efficacem det velle & operari liberè; certum eſt etiam metaphyſicè actum illum efficaciter præ-definitum liberè futurum. Conſule quæ in hanc rem diximus paragrapho ſecundo pag. 300.

Inſtabis: ſaltem præſcientia futuri peccati in decreto permiſſivo, non eſt niſi moraliter certa; cùm voluntas, poſito decreto permiſſivo, abſolutè poſſit non peccare, nec repugnet poſſibile reduci ad actum: Ergo.

Confirmatur. Dives certò certitudine morali prævidet mendicum infallibiliter accepturum pinguem eleemoſynam ipſi oblatam, nihilominus continget aliquando quòd illam ex quâdam moroſitate reſpuat, ac proinde non repugnat non poni quæ infallibiliter futura prævidentur.

Nego antecedens, & dico repugnare non futurum, quod Deus prævidet infallibiliter futurum, quamvis abſolutè poſſit non evenire, ac-

proinde illud eſſe metaphyſicè certum, namque fide divinâ credendum eſt aliqua nunquam futura, quamvis abſolutè contingere poſſint, v. g. Concilium Tridentinum Seſſ. 6. can. 23. definit juſtos in hâc vitâ abſque ſpeciali auxilio, quale conceſſum eſt Beatæ Virgini non futuros immunes ab omni peccato veniali, quamvis abſolutè illa vitare poſſint, & nonniſi ſuâ culpâ offendant. Unde ſic argumentari licet : illud eſt metaphyſicè certum, quod eſt de fide divinâ credendum; fidei enim non poteſt ſubeſſe falſum : atqui fide divinâ credendum eſt quædam nunquam futura, licèt abſolutè contingere poſſint : Ergo.

Ad confirmationem reſpondeo divitem ideo poſſe falli in eo quod judicat infallibiliter futurum; quia non perſpicit in allato mendici exemplo intimos cordis receſſus, non videt inordinatas, quæ ineſſe poſſunt, animi affectiones, ſed futurum conjicit ex iis, quæ extrinſecùs apparent & ordinariè contingunt. At Deo omnia ſunt pervia, videt quid voluntas, poſitò ejus decreto permiſſivo, factura ſit vel non factura, ut pleniùs explicabitur parag. ſeq. in reſponſione ad ſecundum quæſitum.

Objectiones, quæ ſolent peti ex libertate contra decreta Dei abſoluta, ſolvimus Paragrapho ſecundo.

Paragraphus VII.

De medio quo Deus vidit ab æterno futuros actus liberos ordinis naturalis, vel ſupernaturalis Angelorum & hominis innocentis.

Q. 1°. *Deus vidit-ne ab æterno in ſuis decretis antecedenter abſolutis & efficacibus futuros actus liberos ſupernaturales Angelorum ac hominis inno-*

centris, & ceteros qui ſunt ordinis naturalis?

R. Minimè, quia ex ſancto Auguſtino nulla ſunt ejuſmodi actuum decreta antecedenter abſoluta & efficacia; *iſtam gratiam*, inquit lib. de cor. & grat. cap. 10. *non habuit homo primus, quâ nunquam vellet eſſe malus: ſed ſanè habuit, in quâ ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet; & ſine quâ etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet... tale quippe erat adjutorium quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam; ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, quâ fit ut homo habeat juſtitiam ſi velit. Secunda ergo pluſ poteſt, quâ etiam fit ut velit.* Et poſt pauca de Angelis bonis ſubdit, *cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.* Eadem tractat, cap. 11. ejuſdem libri; quæ fuſiùs referimus tract. de Gratiâ cap. 3, Par. 4. pag. 501. & ſeqq. 2. edit. ut palam fiat ſanctum Doctorem nullam agnoviſſe gratiam per ſe efficacem in Angelis viatoribus & in ſtatu innocentiæ, ſed ſufficientem duntaxat & ad nutum voluntatis verſatilem, ac proinde Angelorum, qui ſteterunt, prædeſtinationem non fuiſſe antecedentem, ſed conſequentem ex prævifis eorum meritis Quod autem dicimus de actibus ſupernaturalibus Angelorum & hominis innocentis, idem dicendum de actibus naturalis ordinis.

Dices: Sanctus Auguſtinus lib. de cor. & gr. cap. 10. docet Angelos, qui ſteterunt fuiſſe ampliùs adjutos & certiores factos de ſuâ perſeverantiâ: Ergo.

Diſtinguo anteced. ampliùs adjutos & certiores factos in ipſa beatitudinis retributione, Concedo: ante beatitudinis retributionem, dum eſſent adhuc in viâ, Nego antec. Solutio patet ex ipſâ laudati capitis lectione.

Q. 2°. *Quo itaque medio Deus ab æterno vidit futuros ejuſmodi actus.*

R. 1°. Hæc quæſtio eſt planè Philoſophica, cùm ſolo rationis diſcurſu ſolvi poſſit, nec extet hâc de re revelatio, ex quâ Theologus diſcurrere valeat.

Nonnulli ex his Theologis, qui ſcientiam mediam reſpectu actuum ſupernaturalium hujus ſtatûs magnâ animi contentione rejiciunt, eam tamen admittunt reſpectu non ſolùm actuum naturalis ordinis in quolibet ſtatu; ſed etiam reſpectu actuum ſupernaturalium ſtatus innocentiæ & Angelorum viatorum, docentque Deum per ſcientiam mediam præſciſſe ejuſmodi actus futuros. Sed refelluntur ex dictis Paragrapho tertio, ubi probavimus omnem Dei ſcientiam eſſe vel ſimplicis intelligentiæ, vel viſionis.

Alii Theologi definiunt ejuſmodi actus præſciri à Deo in futurâ cauſæ liberæ determinatione; quia, inquiunt, Deus non determinat illos actus, ſed ſola cauſa libera, per quam Deus determinatur ad præbendum ſuum concurſum: Ergo Deus non in ſe, ſed in futurâ cauſæ liberæ determinatione præſcit futuros illos actus, nec decernit ad eos concurrere, niſi prævisâ determinatione cauſæ liberæ. Sed remanet difficultas, quomodo Deus præſcit illam determinationem, an ſine medio, an cum medio, & quodnam tandem illud eſt.

R. 2°. Generatim Deus ab æterno illos actus eo præſcivit modo, quo illos in tempore vidit præſentes in primo inſtanti exiſtentiæ eorum, *qui ſemper eſſe habet*, inquiebat ſuprà ſanctus Gregorius, *cuncta ſibi præſentia conſpicit. Quæ in ſeipſis ſimul exiſtere non poſſunt, illi ſimul omnia aſſiſtunt*, ſcilicet objectivè. Scientia quippe ejus, utpote

immutabilis, rerum ortu aut interitu non creſcit aut decreſcit, nec aliquatenus modificatur; ſed ſicut univerſam mundi fabricam mente ab æterno concepit, atque ſingulas ejus partes uſque ad minimas atomos ordinavit ac diſtribuit; ita in tempore illam ſecundùm ſuam ideam produxit, & continuo ſuo influxu adminiſtrat cunctis rebus præſentior, quàm ipſæ ſibi, *in ipſo enim vivimus, & ſumus, & ſumus*, Act. 17. Unde non mirum quod ipſe cauſis liberis ita intimus percipiat ubi & quando exigunt ejus concurſum; ſi enim Lucifer v. g. in inſtanti, quod immediatè præceſſit ejus rebellionem, ſenſit ſe ad eam propenſum; à fortiori Deus idipſum vidit in præſenti & intima voluntatis Luciferi coëxiſtentia. Quod autem Deus in tempore vidit immenſitati ſuæ coëxiſtens, illud ab æterno eodem prorſus modo vidit in arte ſuâ, juxta quam decrevit hancce rerum univerſitatem condere & adminiſtrare; quare

R. 30. Preſſiùs, Deus actus liberè futuros ordinis naturalis vel ſupernaturalis Angelorum viatorùm, & hominis innocentis præſcivit in diſpoſitione præconcepta hujuſce univerſitatis, in quâ repræſentantur rerum omnium natura, & eſſentialis à Deo dependentia, affectiones, motus, modificationes, & futura rerum intima coëxiſtentia. Patet reſponſio ex mox dictis.

CAPUT XVI.

De voluntate Dei.

Circa divinam voluntatem quatuor diſcutienda occurrunt 1°. ejus exiſtentia & eſſentia. 2°. diviſio. 3°. objectum. 4°. proprietates & affectiones.

Paragraphus I.

De exiſtentiâ & eſſentiâ divinæ volontatis.

Q. 1°. **E**Xiſtit-ne in Deo voluntas;

R. Certum eſt exiſtere, 1°. ex Scripturâ, Matth. *6. Fiat voluntas tua.* 2°. Ex definitione Eccleſiæ in ſexto Concilio generali, in quo contra Monothelitas declaravit duplicem in Chriſto eſſe voluntatem, divinam ſcilicet & humanam; 3°. ex ratione; quia cuilibet enti ſua ineſt inclinatio naturalis: atqui hæc inclinatio in mente præditis, qui agunt ratione ſeu intellectu, voluntas dicitur: in ſenſitivis, quæ non moventur niſi prævio ſenſu, appetitus: & in inanimatis, quæ ſolo naturæ pondere feruntur, ut lapis, vocatur pondus, vel naturalis propenſio.

Q. 2°. *Voluntas divina diſtinguitur-ne ab eſſentiâ?*

R. Non diſtinguitur niſi ſecundum noſtrum imperfectum concipiendi modum; eſſe enim, & velle in Deo ſunt realiter unum & idem; quia Deus, utpote ens à ſe eſt actus puriſſimus, ſimpliciſſimus, & expers realis compoſitionis, ſive ex naturâ & potentiâ, ſive ex potentiâ & actu; ſed eſt ſua voluntas, & ſua volitio.

Ergo realiter una eſt in Deo volitio, æterna & immutabilis, ſicut illius eſſe, ſed ratione ratiocinatâ multiplex pro diverſitate effectuum.

Dices: ſi velle Dei eſt ejus eſſe immutabile, fruſtra ad eum preces diriguntur; unicus enim precantium finis eſt flectere alterius voluntatem minùs propenſam, vel etiam averſam.

Nego ſequelam, cujus confirmationem diſtinguo, flectere voluntatem creatam, Concedo; increatam, Nego.

Preces itaque non diriguntur ad Deum, ſicut

ad hominem, propter diſparem utriuſque voluntatis rationem. Enimvero nullius hominis voluntas per ſeipſam ſtatui poteſt regula & menſura aliarum voluntatum; quia flexibilis eſt ad malum æque ac bonum, nonnunquam eſt injuſta, ſæpius minùs propenſa ad præſtandum id quod expedit. Ideo exponamus neceſſe eſt motiva quæ illam inclinare debeant, inſuper precibus inſtamus & urgemus, ut flectatur ad noſtram ut pote rectam, alioquin noſtra oratio fieret illi in ſcandalum, nobis verò in peccatum.

Contra verò divina voluntas eſt regula, cui conformari debent omnes creatæ voluntates, ut quæ ſit immutabilis, ſemper recta, imo ipſamet rectitudo, cui niſi cohæreant ceteræ voluntates, pravæ ſunt & diſtortæ. *Ora ergo*, inquit ſanctus Auguſtinus, *non ut tua voluntas fiat; ſed ſicut orare didiciſti, ut fiat voluntas Dei in te.*

At, inquies, qui ergo fit, ut non conſequar, quod ſecundùm Dei voluntatem peto? Jubet continentiam, humilitatem, pro quibus me orantem non exaudit.

Reſpondet ſanctus Auguſtinus lib. 2. de ſer. Domini in monte cap. 3. ideo te hactenus non fuiſſe plenè exauditum, quia non plenè & ex toto corde tanta dona deſideras: *ipſa*, inquit, *orationis intentio cor noſtrum ſerenat & purgat, capaciuſque efficit ad excipienda divina munera, quæ nobis ſpiritualiter infunduntur; non enim ambitione precum nos exaudit Deus, quia paratus eſt lucem ſuam dare... ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cùm inclinamur ad alia, & rerum temporalium cupiditate tenemur.* Plura in hanc rem vide Tractatu de religione, cap. de oratione Parag. 5. & ſeq.

Paragraphus III.

De diviſione divinæ voluntatis.

Q. 1°. Quomodo dividitur voluntas divina?
R. Dividitur generatim in voluntatem ſigni, & voluntatem beneplaciti.

Q. 2°. *Quid eſt voluntas ſigni?*

R. Eſt Signum, quo Deus exteriùs declarat ſe aliquid velle, & hoc ſenſu dicimur facere voluntatem Dei, cùm ejus legem & præcepta obſervamus; quia Dei præcepta ſunt ſigna voluntatis ejus.

Ergo voluntas ſigni, metaphoricè dicitur voluntas (ſicut idioma vocatur lingua), & eſt Deo extrinſeca.

3°. *Quid eſt voluntas beneplaciti.*

R. Eſt ipſamet Dei volitio, decernens aliquid tanquam ſibi gratum.

Dicitur 1°. *ipſamet Dei volitio*, ut ſignificetur illam voluntatem eſſe verè & propriè in Deo.

Dicitur 2°. *decernens aliquid*, quæ voces denotant voluntatem beneplaciti non eſſe neceſſariam Dei complacentiam in bono cognito, ſed actum liberum ſeu decretum alicujus effectûs producendi.

Q. 4°. *Quotuplex eſt voluntas ſigni?*

R. Quintuplex, nempe præceptum, prohibitio, permiſſio, conſilium, & operatio, quæ ſolent exprimi verſu ſequenti:

Præcipit ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

His enim ſignis colligimus latentem alterius voluntatem, judicamuſque illum velle cùm præcipit, permittit, ſuadet & operatur: nolle verò cùm prohibet.

Q. 5°.

Q. 5°. *Quo ſenſu permiſſio eſt ſignum voluntatis divinæ?*

R. Quatenus Deus non impedit, cùm poſſit operationem cauſæ ſecundæ. Nam ex ſancto Thoma qu. 10. art. 12. *removens prohibens dicitur movens per accidens*, ſic Deus permittit peccatum, quod tamen prohibet; quia revera vult illud eſſe in voluntate peccatoris.

Q. 6°. *Voluntas ſigni conjungitur-ne ſemper cum voluntate beneplaciti?*

R. Semper quidem denotat aliquam in Deo voluntatem, alioquin eſſet ſignum falſum; ſed non ſemper ſignificat Deum velle quidquid illo ſigno apprehendimus, ut patet ex cap. 22. Gen. ubi Deus præcipit Abrahamo ut offerret filium in holocauſtum, Abrahamus enim intellexit hoc præcepto Deum velle Iſaacum ſibi immolari, cùm vellet duntaxat tentare ejus obedientiam. Unde ſanctus Thomas cit. art. 12. docet operationem Dei ſemper eſſe conjunctam cum voluntate beneplaciti, non autem præceptum vel conſilium; fieri enim nequit quin is propriè velit quod liberè & ſpontè facit.

Ergo certiſſimum eſt ſignum Deum velle nos ea pati, quæ ab ipſo nobis obveniunt incommoda, cùm non ita certum ſit illum velle quæ nos facere permittit.

Q. 7°. *Quotuplex eſt voluntas beneplaciti?*

R. Duplex, antecedens & conſequens.

Q. 8°. *Quid eſt voluntas antecedens?*

R. Eſt voluntas beneplaciti, quâ Deus ex bonitate ſuâ vult fieri aliquid ſecundùm ſe ſpectatum, & noſtro concipiendi modo ante circumſtantias particulares ſecundùm quas illud ipſum non vult; ſic Judex antecedenter vult omnem civem vivere, & ad vitam cujuſque tuendam media ſuppeditat; ſed civem homicidam &

peſtiferum voluntate conſequente vult occidi.

Voluntas igitur conſequens eſt voluntas beneplaciti, quâ Deus ſpectatis omnibus circumſtantiis, vult aliquid ſimpliciter & abſolutè. De utráque voluntate ſic ſcribit ſanctus Chryſoſtomus hom. 1. in Epiſt. ad Epheſ. *prima eſt ut non pereant, qui non peccarunt. Voluntas ſecunda eſt, ut qui facti ſunt mali, pereant.* Et ſanctus Joannes Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 29. *Primâ quidem voluntas*, inquit, *Deus vult omnes homines ſervari & regni ſui compotes eſſe: neque enim ſupplicii ac cruciatûs causâ, verum ad hoc, ut bonitatis ipſius participes ſimus, nos effinxit: ut juſtus autem, iis quoque qui peccant, pœnam infert.* hoc eſt, voluntate conſequente, ſeu ſecundariâ.

Q. 9o. *Voluntas dicitur-ne antecedens aut conſequens ex eo præcisè, quòd antecedat vel ſequatur prævisum voluntatis creatæ conſenſum?*

Affirmat Molina; ut qui ex dictis nolit eſſe ullum Dei decretum efficax ſalvandi homines & concurrendi ad actus liberos, niſi ex prævisſo voluntatis conſenſu; ſed rejectâ illâ opinione.

R. Juxta ſancti Auguſtini doctrinam, voluntas conſequens infligendæ pœnæ eſt ex præviſione conſenſûs voluntatis malæ; quia pœna ſupponit culpam & demeritum: *omnis pœna*, inquit ſanctus Doctor lib. 3. de lib. arb. c. 18 *ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.* Sed voluntas conſequens gratiæ & gloriæ conferendæ non præſupponit voluntatis conſenſum; quia gratuita eſt & illum efficit.

Q. 10°. *Quomodo ergo voluntas illa dici poteſt conſequens, cùm præviſionem futuri conſenſûs antevertat?*

R. Ita dicitur quia non abſtrahit, ſicut antecedens, à circumſtantiis, in quibus homo à parte rei exiſtere poteſt, ſed in illis omnibus ſpectat

electum, v. g. parvulum in periculo decedendi ſine Baptiſmo, ut inde illum eripiat, latronem propter latrocinia in cruce juxta Chriſtum pendentem, Saulum in Chriſtianos ſævientem, ut illos ibi juſtificet, ubi alii damnantur.

Q. 11°. *Voluntas antecedens ſalvandi omnes homines eſt-ne beneplaciti & propriè dicta?*

Negant Eſtius, Sylvius & alii veteres Thomiſtæ non pauci; ſed ſententia affirmans eſt ſancti Thomæ & inter Theologos communis, quam multis probamus tract. de Gratiâ cap. 7. parag. 5. & ſequentibus, nec ſunt hîc repetenda, ſed conſulenda, quæ ibi dicta ſunt.

Q. 12°. *Eſt-ne admittenda diviſio voluntatis divinæ in abſolutam & conditionatam?*

Negant plures è Thomiſtis, contenduntque nullam eſſe in Deo voluntatem conditionatam, 1°. quia voluntas conditionata eſt voluntas ſuſpenſa & pendens ab aliquo eventu: atqui ejuſmodi voluntas repugnat in Deo, qui eſt purus actus & prima cauſa omnium eventuum. 2°. voluntas conditionata eſt Deo indigna, otioſa, ne dicatur illuſoria reſpectu eorum quæ ſpectant æternam hominum ſalutem; quis enim ſanâ mente concipiet Deum in aliquo inſtanti ſuſpendere decretum propter conditionem, quæ ab ipſo pendet, & quam ponere non vult, ſicque ſtatuiſſe, volo ſalvare omnes homines, ſi habeant donum perſeverantiæ, quod multis denegabo? 3°. quia omne futurum eſt Deo objectivè præſentiſſimum, videt futura omnium reproborum peccata: atqui nimis abſurdum eſt Judicem, cui præſentiſſima ſunt alicujus civis latrocinia & homicidia, velle conditionatè hujuſmodi hominem vivere, quem morte plectendum abſolutè judicat. Vellet quidem illum

ſervare, ſi eſſet innocens; ſed cùm illa hypotheſis ſit evidenter falſa, movere non poteſt ejus voluntatem, ac proinde actu & de facto non vult. Voluntas ergo antecedens, quâ vult Deus ſalutem omnium & ſingulorum hominum, non eſt decretum conditionatum, niſi noſtro modo loquendi, ſed revera eſt in Deo voluntas abſoluta, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; quatenus ſcilicet, præciſis peculiaribus circunſtantiis vult illorum ſalutem, & ex illa voluntate media ad ejuſmodi finem ſufficientia tribuit aut præparat.

Ad ea autem, quæ illis Theologis objiciuntur ex Scripturis, ubi Deus ſub conditione quædam decreviſſe dicitur, reſpondent illa fuiſſe dicta & ſcripta more humano. Sic 1. Reg. cap. 13. Deus per Samuelem Saüli prævaricatori hac abſolutè prædicit, *nequaquam regnum tuum ultra conſurget*, ſcilicet in pœnam inobedientiæ; ſed placuit Prophetæ ex verbo Dei concludere juxta communem hominum loquendi morem, *quod ſi non feciſſes*, inquit, *jam nunc præparaſſet regnum .... tuum ſuper Iſraël in ſempiternum.* Sic Eliſeus 4. Reg. cap. 13. Cùm Deus ſimpliciter ei revelaſſet Joam Regem Iſraël tot victorias ex Syris reportaturum, quot vicibus terram jaculo percuſſurus eſſet, regem increpat, quòd poſt tertium ictum ſubſtiterit, & ex revelatione divinâ hanc concluſionem conditionatam elicit, *ſi percuſſiſſes quinquies aut ſexies ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem.* Similiter Jeremias cap. 38. divino oraculo monitus urbem Jeruſalem à rege Babylonis expugnandam, igni ſuccendendam, & Sedeciam capiendum, auctor eſt eidem Sedeciæ ut arma deponat, & exemplo Jechoniæ ad clementiam potentiſſimi adverſarii confugiat, *ſi profectus exieris*, ait ille, non Dominus, *ad Prin-*

tipes Regis Babylonis, vivet anima tua, & civitas hæc non ſuccendetur igni.

Verùm durius videntur aſſerere laudata verba Samuelis; Eliſei, & Jeremiæ non eſſe verba Dei, ſed hominum. Si autem accipiantur ut verba Dei, profectò revelatione divina habemus Deum conditionatè decreviſſe & regnum Saülis fore ſempiternum, & Syriam à Rege Iſraël penitus devaſtandam, & urbem Jeruſalem à Rege Babylonis non ſuccenſum iri. Quare ad propoſitam quæſtionem cum ceteris Theologis communiter.

R. Rectè dividitur voluntas Dei in abſolutam & conditionatam, nec negari poteſt aliqua eſſe in Deo decreta objectivè conditionata. Ita ſanctus Thomas in 1. diſt. 46. art. 1. ad 2. *voluntas antecedens*, inquit, *poteſt dici conditionata, nec tamen imperfectio ex parte voluntatis divinæ.* Probatur tum allatis Scripturæ textibus: tum ratione, quia decet ſupremum moderatorem cauſis à ſe pendentibus imponere modum & conditiones.

Dixi, *objectivè conditionata:* Dupliciter enim conditionata ſpectari poſſunt; nimirum ſubjectivè & objectivè. Subjectivè quidem, ſi concipiatur in Deo voluntas ſuſpenſa & dependens ab eventu futuro, quemadmodum in contractibus humanis conditio appoſita dicitur ſuſpendere conſenſum. Objectivè verò, cùm intelligitur Deus actu ab æterno voluiſſe aliqua juxtà conditionem, quam ipſe poſuit. Decreta priori modo ſpectata prorſus exulant à Deo, & contra illa duntaxat militant momenta in confirmationem oppoſitæ ſententiæ allata. Poſteriori autem modo decreta conditionata nihil involvunt imperfectionis, imò indicant ſummum Dei in creaturas dominium, quibus imponit leges, quas niſi ſervaverint, finem ad quem

inſtitutæ ſunt, nunquam conſequuntur.

Quod afferunt patroni oppoſitæ ſententiæ de Judice reſpectu convicti civis peſtiferi, non eſt ad propoſitum, ubi enim agitur de puniendo reo, v. g. de Lucifero jam lapſo, aut de quovis peccatore finaliter impœnitente, locum non habet niſi voluntas conſequens. Sed ſicut judex, qui noverat pravam ejuſdem civis indolem, & prævidebat latrocinaturum, antecedenter voluit ſuis monitis & minis eum vivere; ita Deus peccatorem, quem præſcivit fore impœnitentem; quamvis enim non ſit ei conceſſurus ipſam perſeverantiam, non negabit tamen perſeverandi poteſtatem, verèque dicitur juſto cadenti, *ô homo, in eo quod acceperas & tenueras, perſeverares, ſi velles*, ut ait ſanctus Augnſtinus.

Et certè niſi antecedens Dei voluntas ſalvandi reprobos, qui à gratiâ lapſuri prævidentur, ſit objectivè conditionata, quæro quomodo abſoluta eſſe poſſit?

Abſoluta eſt, inquis, quatenus Deus abſolutè vult ipſis dare auxilia ſufficientia ad ſalutem conſequendam.

Contra. Voluntas ſalvandi ejuſmodi reprobos ſic ſpectata, reſpicit ſolum media, reſpectu verò finis eſt duntaxat voluntas ſigni & metaphorica, quatenus ſcilicet ex voluntate præbendi media ad ſalutem colligimus Deum velle ipſam ſalutem, quam tamen directè & ut in ſe eſt non vult; ſi enim illam vellet, cur illam non conſequitur reprobus cadens à ſtatu juſtitiæ, niſi quia deeſt conditioni neceſſariæ, nimirum quia gratiæ ſufficienti non cooperatur? Ergo voluntas antecedens ſalvandi reprobos, ut ſit vera, debet eſſe objectivè conditionata.

Nec dicas Deum velle duntaxat ſecundùm quid, & quantùm ex ſe, ſalutem reproborum præciſis

circunſtantiis & nullâ adjectâ conditione. Nam voluntas illa ſecundùm quid, vel eſt nuda & neceſſaria complacentia in bono, & ita Deus non magis vult ſalutem juſtorum, qui non ſunt prædeſtinati, quàm dœmonum, quorum beatitudinem in ſe præcisè ſpectatam approbat : vel eſt actus liber, quo ante prævisâ reproborum demerita decernit eos ſalvare, ſi in gratiâ perſeverent : decretum autem illud eſt objectivè conditionatum.

Dices : voluntas conditionata eſt voluntas à conditione dependens : atqui divina voluntas, utpote prima rerum omnium cauſa, nullatenus poteſt eſſe dependens : Ergo conditionata eſſe nequit.

Diſtinguo majorem, eſt voluntas à conditione dependens, ſi ab alterâ voluntate conditio ſit impoſita, Concedo : ſi ipſamet imponat conditiones & leges, quas ſervare debeant creaturæ, quemadmodum à Patrefamilias imponuntur conditiones domeſticis, Nego majorem; in hoc enim elucet ſumma Dei poteſtas & infinita ſapientia, creaturarumve omnimoda dependentia, ut quæ graviter peccent, & ſummam miſeriam incurrant, ſi quid contra ordinem à Deo inſtitutum præſumant. Abſit enim ut credamus Deum tot efformare decreta, quot conditiones imaginamur & ponimus, hypotheſes fingimus, & conſilia deliberando inimus; noſtrum eſt ſollicitè & ſuppliciter quærere, quæ ſit Dei voluntas; nihil erit aut fiet, niſi eo modo quo ab æterno ordinavit; David v. g. non effugiſſet manus Saülis, ſi in urbe Ceïlâ remanſiſſet; quia Deus per fugam illum ſalvare decreverat.

Paragraphus III.

De objecto voluntatis Dei.

CErtum eſt bonum eſſe objectum voluntatis, ſicut verum intellectûs.

Objectum autem duplex eſt, nempe materiale & formale ſeu motivum. Objectum materiale eſt, id circa quod verſatur potentia; formale verò eſt ratio, ſub quâ potentia verſatur circa objectum materiale. Unde res volita ſeu amata, v. g. pharmacum eſt objectum materiale voluntatis illius qui ægrotat. Sanitas verò propter quam pharmacum appetitur, eſt objectum formale. His præmiſſis,

Q. 1°. *Quodnam eſt objectum materiale voluntatis divinæ?*

R. Primarium eſt Deus ipſe: Secundarium verò omnes creaturæ exiſtentes in aliquâ temporis differentiâ.

Prima pars probatur, quia Deus eſt ſummum bonum, & ſua beatitudo, atqui voluntas omnis primariò fertur in ſuam beatitudinem, ut quæ ſit ratio amandi cetera: Ergo. Deinde ita ſe habet ad voluntatem divinam ſumma bonitas, quomodo ad intellectum ſumma veritas: atqui ex dictis primarium divini intellectûs objectum eſt ſumma veritas; Ergo.

Secunda pars probatur 1°. ex Scripturâ Sap. 11. *diligis .... omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* 2°. ratione duplici. 1â. Deus diligit omnia bona; imperfectæ enim & deficientis voluntatis eſt non amare quod eſt bonum & amabile: atqui ommes creaturæ ſunt bonæ, Gen. 1. *viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Ergo. 2â. amare eſt bene velle & benefacere:

atqui Deus omnibus exiſtentibus bene vult & bene facit; cùm illis tribuat eſſe: Ergo.

Q. 2°. *Deus amat-ne res merè poſſibiles & nunquam exituras?*

R. Non amat, quia illis nec bene vult, nec benefacit. Nonnulli tamen Theologi illis concedunt quendam complacentiæ amorem neceſſarium; quia poſſibilitas illarum eſt objectivè bona..

Q. 3°. *Quodnam eſt formale objectum divinæ voluntatis?*

R. Eſt ſola bonitas divina. Probatur 1°. ex Scripturâ, Prov. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* 2°. ex Patribus, præſertim ſancto Bernardo, qui cap. 4. lib. de Amore divino Deum ſic alloquitur, *non afficeris à nobis, vel ad nos, cùm nos amas: nos à te, & in te, & ad te afficimur, cùm amamus te.* 3°. ratione, quia voluntas ſpecificatur à ſuo objecto formali & motivo, v. g. voluntas dandi eleemoſynam, ſpeciem ſumit ex motivo ſublevandæ miſeriæ pauperis, eſſentialiterque differt à voluntate reſtituendæ pecuniæ, quæ ex juſtitiâ eidem pauperi deberetur; atqui implicat voluntatem increatam ſpeciem ſumere à bonitate creatâ. Hinc ſanctus Thomas qu. 19. art. 2. ad 2. *in his*, inquit, *quæ volumus propter finem, tota ratio movendi eſt finis, & hoc eſt quod movet voluntatem: qui enim vult ſumere potionem amaram, nihil in eâ vult niſi ſanitatem. Unde cùm Deus alia à ſe non velit niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas, non ſequitur quòd aliquid aliud moveat voluntatem ejus; niſi bonitas ſua. Et ſic ſicut alia à ſe intelligit intelligendo eſſentiam ſuam; ita alia à ſe vult volendo bonitatem ſuam.*

Confirmatur ex lato diſcrimine, quod intercedit inter amorem divinum, & noſtrum; namque, ut obſervat ſanctus Thomas qu. 20. art. 2.

amor noſter, quo alicui bonum volumus, non eſt cauſa bonitatis ipſius, ſed illam ſupponit: *amor verò Dei eſt infundens, & creans bonitatem in rebus.* Ergo Deus nihil videt extra ſe, quod illum moveat ad amandum; ſed ſuâ bonitate ſolâ ad id inclinatur: *res enim naturalis*, inquit ſanctus Doctor qu. 19. art. 2. *non ſolùm habet naturalem inclinationem reſpectu proprii boni, ut acquirat ipſum, cùm non habet; vel ut acquieſcat in illo, cùm habet; ſed etiam ut proprium bonum in alia diffundat, ſecundùm quod poſſibile eſt. Unde videmus quòd omne agens in quantum eſt actu & perfectum, facit ſibi ſimile,* ignis v. g. facit ignitum. *Unde ſi res naturales in quantum perfectæ ſunt, ſuum bonum aliis communicant; multò magis pertinet ad voluntatem divinam, ut bonum ſuum aliis per ſimilitudinem* (id eſt ea ſibi aſſimilando) *communicet ſecundùm quod poſſibile eſt. Sic igitur vult ſe & alia: ſed ſe ut finem: alia verò ut ad finem, in quantum condecet divinam bonitatem alia ipſam participare.*

Dices; ſi Deus omnia propter ſeipſum diligit, non eſt in eo niſi amor concupiſcentiæ, qualis poteſt eſſe in hero, qui famulum diligit in proprium ſuum commodum: atqui falſum conſequens; de Sapientiâ enim legitur, *amicos Dei & Prophetas conſtituit.* Sap. 7. v. 37. Chriſtus etiam ad Apoſtolos ait, Joan. 15. *Jam non dicam vos ſervos... vos autem dixi amicos.* Denique conſtans eſt Theologorum doctrina ex charitate naſci veram amicitiam inter Deum & hominem juſtum: Ergo Deus non omnia propter ſeipſum diligit.

Nego ſequelam majoris; quia Deus non in utilitatem ſuam, ſed in noſtram omnia ad ſe dirigit: *Deus*, inquit ſanctus Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 18. *qui eſt primum omnium rerum agens, non agit, quaſi actione ſuâ aliquid acquirat,*

ſed quaſi actione ſuâ aliquid largiatur: quia non eſt in potentiâ, ut aliquid acquirere poſſit, ſed ſolùm in actu perfecto, ex quo poteſt largiri. Largitur autem creaturis ratione deſtitutis, neque in ſuum, neque in earum proprium commodum, ſed in noſtrum duntaxat: & ita neque amore concupiſcentiæ, neque amore amicitiæ illas diligit: nobis contra bene vult & facit in bonum noſtrum. Quodnam verò eſt bonum noſtrum, niſi ipſe? Ergo eo ipſo ſuam benevolentiam demonſtrat, quo nos propter ſeipſum diligit.

Confirmatur. Qui proximum ex charitate diligit, veram ad illum habet amicitiam, quamvis nonniſi propter Deum diligat, imò non ſincerè illum aliter diligeret, quia non ei bonum vellet, cùm Deus ſit totum illius bonum. *Nemo diligit proximum*, inquit ſanctus Auguſtinus epiſt. 167. aliàs 29. *niſi diligens Deum, & in hoc quantum poteſt, proximo impendat, quem diligit tanquam ſeipſum, ut ille diligat Deum, quem ſi ipſe non diligit, nec ſe, nec proximum diligit.*

Ergo bonitas increata eſt rerum omnium fons & origo. *Quia Deus bonus eſt, ſumus, & in quantum ſumus, boni ſumus*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 1. de doctrinâ Chriſt. cap. 32. Et ſanctus Gregorius Nyſſenus expendens illud Pſal. *alienati ſunt peccatores à vulva*, ſcribit: *hæc intellexeris, ſi inquiras quænam prima humanæ compoſitionis quaſi matrix fuerit, & quis venter, qui humanum genus tulerit; neque enim alium eſſe arbitror, præter benignitatem & bonitatem Dei, à quâ facti & prognati ſumus.* Concinit Tertullianus lib. 2. contrà Marcion. cap. 12. *omnia*, inquit, *bonitate concepit.*

Obſervandum tamen cum ſancto Thoma, qu. 19. art. 4. bonitatem increatam, quæ eſt ipſamet eſſentia divina, non agere ad extra ſecundum neceſſitatem naturæ, ſicut Sol emittit ra-

dros, ſed juxta voluntatis arbitrium & determinationem, alioquin infinitum in eſſendo produceret, quod eſt impoſſibile.

Ergo voluntas divina eſt prima rerum omnium cauſa; *ſi enim habet cauſam voluntas Dei*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 1. *eſt aliquid, quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas eſt credere. Qui ergo dicit, quare fecit Deus cœlum & terram, reſpondendum eſt ei, quia voluit; voluntas enim Dei eſt cauſa cœli & terræ, & ideo major eſt voluntas quàm cœlum & terra. Qui autem dicit, quare voluit facere cœlum & terram, majus aliquid quærit, quàm ſit voluntas Dei: nihil autem majus inveniri poteſt.* Addere liceat, *nec melius*; quia ex ſancto Thoma qu. 19. art. 2. ſicut Deus omnia cognoſcit in ſuâ eſſentiâ, ita omnia vult in ſuâ bonitate infinitâ.

Dices: ſcientia Dei ex dictis eſt cauſa rerum: Ergo voluntas divina non eſt aſſignanda pro earum causâ.

Nego conſequent. Nam ex ſancto Thomâ citato art. 4. ad 4. voluntas eſt cauſa ut imperans & determinans opera, ſcientia ut dirigens, omnipotentia ut exequens; & horum omnium origo & finis bonitas divina.

Ergo voluntas divina non eſt cauſa mali culpæ; magis quippe repugnat ipſam bonitatem influere malitiam, quàm calorem producere frigus.

Confirmatur 1°. ex Scripturâ, Pſal. 5. *non Deus volens iniquitatem tu es.* Jac. 1. *Deus .... intentator malorum eſt.* 2°. ratione, quam urget ſanctus Anſelmus lib. de lib. arb. cap. 8. quia juſta voluntas hominis eſt ea, quâ vult id, quod Deus vult eam velle: injuſta verò, quâ vult id quod non vult Deus. Unde ſequitur, quòd ſi vellet Deus hominem peccare; homo peccando non peccaret, ſimulque voluntas juſta & injuſta fo-

ret: juſta, in quantum conformis voluntati divinæ: injuſta, quatenus repugnaret eidem voluntati, quæ peccare prohibet.

Voluntas tamen Dei eſt cauſa mali pœnæ; quia pœna bona eſt, quatenus delinquentes corrigit: obſtinatos punit, & infirmos à malo coërcet, *hanc bonam negabis, quæ bono proſpicit; quis boni auctor, niſi qui & exactor? Proinde quis mali extraneus, niſi qui & inimicus? quis inimicus, niſi qui & expugnator? quis expugnator, niſi qui & punitor? ſic totus Deus bonus eſt, dum pro bono omnia eſt*, inquit Tertullianus lib. 2. contra Marc. c. 13. Sanctus quoque Baſilius homil. quòd Deus non ſit auctor malorum, ait: *aliud eſt malum ſecundùm ſenſum: aliud ſecundùm naturam. Uſtio & inciſio Medici mala ſunt ſenſui, ſed propter ea Medicum laudamus.*

De malo pœnæ intelligendi ſunt ſequentes Scripturæ textus, Iſ. 45. *Ego Dominus ... faciens pacem, & creans malum.* Jer. 36. *Adducam ſuper eos, omne malum, quod locutus ſum.* Amos cap. 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.*

Paragraphus IV.

De proprietatibus voluntatis divinæ.

Q. 1°. *Voluntas Dei eſt-ne libera?*

R. Libera eſt, non quidem libertate contrarietatis, quâ feratur in bonum & malum, ſed libertate contradictionis, quâ poſſit hoc vel illud bonum facere, aut etiam non facere.

Probatur 1o. Ex Scripturâ Epheſ. 1. Deus *operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*: porrò qui operatur ex conſilio voluntatis ſuæ, non vult ex neceſſitate, 1. Cor. 12. v. 11. Spiritus ſanctus dividit ſingulis prout vult, *id eſt*, inquit

ſanctus Ambroſius lib. de fide cap. 3. *libero voluntatis arbitrio; non neceſſitatis obſequio.*

Probatur 1°. ratione; quia liberum eſſe, & de iis quæ ad ſe pertinent, poſſe diſponere, eſt inſignis perfectio. Ergo Deo denegari nequit abſque blaſphemiâ.

Dices: omnis libertas dicit indifferentiam: atqui in Deo nulla eſt indifferentia, cùm ſit ens maximè neceſſarium: ergo in Deo nulla libertas.

Diſtinguo maj. dicit indifferentiam activam, Concedo: paſſivam, quâ poſſit novum actum immanentem recipere vel non recipere, ſubdiſtinguo; omnis libertas creata, Concedo: Angelus quippe ſive homo in exercitio ſuæ libertatis producit novum volitionis actum, qui cùm ſit immanens, in ipſo recipitur: libertas increata, Nego majorem. Namque ex dictis Deus eſt ſuus actus, ſua volitio, nec ullum novum actum producit aut recipit, cùm aliquid liberè decernit, ac proinde nulla in eo fit mutatio; ſed in creaturis duntaxat, quas de novo producit vel ſanctificat.

Inſtabis 1°. velle in Deo & eſſe, ſunt unum & idem: atqui eſſe Dei eſt maximè neceſſarium: ergo & velle.

Diſtinguo maj. eſſe & velle in Deo ſunt unum & idem entitativè; hoc eſt, ſunt una & eadem entitas, Concedo: ſunt unum & idem connotativè, Nego majorem; nam velle ut ſic, connotat aliquid extrinſecùs volitum & productum aut producendum, quod Deus potuiſſet non velle producere.

Ergo, inquies, liberum arbitrium non eſt in Deo, niſi in ordine ad creaturas.

R. Veriſſimum eſt; quia ex ſancto Thomâ liberum arbitrium dicitur tantùm reſpectu eo-

rum, quæ ſunt ad finem; ſicut enim mens neceſſariò adhæret primis principiis, ita voluntas ultimo fini, in quo conſiſtit noſtra beatitudo. Quòd autem in ſtatu viæ voluntas noſtra non neceſſariò, ſed liberè tendat in Deum, eſt imperfectio, quæ tolletur per viſionem beatificam. Deus ergo ſeipſum neceſſariò amat, cetera verò liberè, & quidem per unum & eundem actum.

Inſtabis 2°. atqui unus & idem actus non poteſt eſſe ſimul neceſſarius & liber. Ergo nulla ſolutio.

Nego ſubſumptum; namque in nobis ipſis idem actus: quo neceſſariò volumus eſſe beati, liber eſt reſpectu mediorum, quæ eligimus ad beatitudinem conſequendam. Actus avaritiæ, v. g. duplicem habet reſpectum, nempe ad beatitudinem in genere, & ad divitias, in quibus avarus determinatè ſuam beatitudinem reponit: primo reſpectu actus ille eſt neceſſarius; neque enim avarus, aut quivis alius, poteſt velle non eſſe beatus; ſed ſecundo reſpectu eſt liberrimus; avarus quippe beatitudinem ſuam in alio collocare poterat, quàm in divitiis. Similiter unicus Dei amor, quatenus terminatur ad ſeipſum, eſt ſummè neceſſarius, & quatenus terminatus ad creaturas, eſt omnino liber.

Ergo Dei libertas eſt divini amoris modus tendendi in terminum extrinſecùs connotatum, qui poſſet non poni. Modus autem ille eſt quid Deo intrinſecum, connotatio verò ipſa prorſus extrinſeca.

Q. 2°. *Voluntas Dei impletur-ne ſemper?*

R. Abſoluta & conſequens ſemper impletur. Probatur ex Scripturâ, Pſal. 113. *omnia quæcunque voluit fecit.* Iſa. 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Eſther. 13. *Non eſt, qui poſſit*

tuæ reſiſtere voluntati. Voluntas verò antecedens non ſemper impletur; de eâ enim intelligendum eſt illud Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos... & noluiſti?* Et 1. Tim. 2. Deus *omnes homines vult ſalvos fieri*, & tamen non ſalvantur omnes, nec ad agnitionem veritatis veniunt: *quod cùm fit*, inquit S. Auguſtinus lib. de ſpiritu & lit. cap. 33. *infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verum ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſupliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt: vinceretur autem, ſi non inveniret quid de contemptoribus faceret.* Eadem Apoſtoli verba S. Thomas qu. 19. art. 6. ad 1. interpretatur de voluntate Dei antecedente.

Q. 3°. *Deus diligit-ne omnia æqualiter?*

R. Ex parte actûs ſeu ratione volitionis entitativè ſpectatæ, æqualiter diligit; quia unicus eſt in Deo amor & unum velle. Ex parte verò termini inæqualiter diligit; quia diligere eſt bonum velle alicui; atqui Deus quibuſdam vult majora bona: ergo majori illos amore proſequitur. Ergo quæ meliora ſunt, magis diliguntur à Deo; ideo quippe ſunt meliora quia ampliùs à Deo acceperunt: majora autem à Deo accipere eſt magis diligi.

Dices: Angelus eſt melior homine: atqui Deus minùs Angelos dilexit, quàm homines; *nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, Heb. 2. Ergo.

Diſtinguo minorem, minùs Angelos dilexit in ordine gratiæ, in quo inferiores ſunt, ſaltem qui per peccatum ceciderunt, Concedo: in ordine naturæ, in quo præcellunt, Nego minorem. Itaque iidem poſſunt magis & minùs di-

ligi ſub diverſo reſpectu; Angelus ſecundùm naturalia plus à Deo diligitùr quàm homo, minùs verò ſecundùm dona ſupernaturalia. Similiter juſtus, qui perſeveraturus non eſt, ratione juſtitiæ, quia ornatur, plus à Deo diligitur, quia ut ſic melior eſt prædeſtinato, qui nundum à peccato eſt eductus; ſimpliciter tamen, & abſolutè plus diligitur prædeſtinatus; quia Deus vult illi concedere majora bona, ſcilicet perſeverantiam & gloriam.

Inſtabis: majus eſt gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, Luc. 15. Ergo minus boni aliquando magis diliguntur.

Nego conſequentiam 1°. quia peccator in ſuâ juſtificatione excellentiorem gratiæ gradum poteſt accipere, quemadmodum contigit ſancto Paulo. 2°. quia Scriptura loquitur figuratè & humano more, quatenus inſolita nos magis afficiunt, quàm conſueta, reditus filii prodigi, quem Chriſtus affert in exemplum, plus delectavit pium Patrem, quàm perſeverans fratris majoris obſequium.

Q. 4°. *Affectiones triſtitiæ, odii, iræ, & deſiderii, quas Scriptura interdum tribuit divinæ voluntati, dicuntur-ne propriè de Deo, an metaphoricè?*

R. 1°. Quoad triſtitiam, conſtat apud omnes ejuſmodi affectum non eſſe propriè in Deo; quia triſtitia eſt animi affectus ob bonum amiſſum, vel ob malum præſens ac conjunctum: atqui in Deo nulla eſt boni amiſſio, nec mali inſtantis conjunctio: Ergo metaphoricè dicitur Gen. 6. verſ. 6. *pœnituit eum* (Deum) *quod hominem feciſſet ... & tactus dolore cordis intrinſecùs*, &c. Et Eph. 4. verſ. 30. *noliti contriſtare Spiritum ſanctum*, id eſt, offendere.

Dices: miſereri eſt maximè Dei proprium:

atqui miſereri eſt compati: nam ex ſancto Thoma qu. 21. art. 3. miſericors dicitur, *quaſi habens miſerum cor; quia ſcilicet afficitur ex miſeriâ alterius per triſtitiam, ac ſi eſſet propria ejus miſeria*; Ergo.

Diſtinguo minorem, miſereri eſt compati, ſi ſermo ſit de hominibus, Concedo: ſi de Deo, Nego minorem. Itaque miſereri propriè eſt velle expellere miſeriam alterius; & hoc maximè competit infinitæ Dei voluntati; ſicut enim convenit igni expellere frigus, ita & bonitati tollere miſeriam. Sed quia non incitamur ad expellendam proximi miſeriam, niſi nos priùs affecerit ac ſi eſſet noſtra, hinc miſericordia in nobis duo dicit, nimirum dolorem ex malo proximi conceptum & voluntatem illius expellendi.

R. 2°. Quoad alias affectiones diſſentiunt Theologi.

Alii affirmant nihil imperfectionis illas habere, ac proinde in proprio ſenſu eſſe accipienda quæ de iis in Scripturâ ſacrâ leguntur, Sap. 14. v. 9. *odioſunt Deo impius & impietas ejus*. Num. 11. v. 1. *Quod cùm audiſſet Dominus, iratus eſt*. Oſee 10. v. 10. *Juxta deſiderium meum corripiam eos*.

Alii ac imprimis Thomiſtæ, contra negant hæc propriè Deo convenire.

Ac primò quidem deſiderium non eſt in Deo, cùm deſiderium ſit boni abſentis, Deo autem nullum deſit bonum. Nec refert quòd Deus alia à ſe velit, vel ſibi, ut exteriorem gloriam, vel aliis, ut hominibus ſalutem: tum quia Deus exteriora illa bona in ſe continet perfectiori modo, quàm ſint in ſeipſis: tum quia coëxiſtent ubi & quando Deus efficaciter voluerit: atqui non dicimur deſiderare, ſed ad ſummum amare quod abſolutè in noſtra poteſtate eſt: Ergo propriè non eſt in Deo deſiderium ullius boni creati, ſed ſolummodo amor, qui ſimpliciter fertur in

bonum, abſtrahitque an ſit præſens vel abſens.

Secundò odium ſaltem inimicitiæ propriè non competit Deo; quia odio habere aliquem, eſt illi malum velle: atqui Deus nemini vult malum, cùm unicum voluntatis ejus motivum ſit ſua infinita bonitas, quæ eſt propenſio non ad malè, ſed ab bene faciendum. Punit quidem peccatores nonnunquam etiam pœnâ æternâ, ſed motivo juſtitiæ, quæ, ut loquitur Tertullianus, eſt plenitudo ejus divinitatis ſeu bonitatis; neque enim juſtus judex creditur odiſſe reum, quem morte plectit. *Ex hoc apparet*, inquit ſanctus Thomas lib. 1. contra Gentes c. 96. *quòd odium alicujus rei Deo convenire non poſſit.*

Quòd ſi objicias, illud eſt malum alteri, quod eſt ipſi diſconveniens, & contra ejus inclinationem: atqui pœna, quam Deus vult, eſt diſconveniens peccatori, & contra ejus inclinationem: ergo Deus peccati vult malum, ac proinde illum odio proſequitur.

Reſpondent illi Theologi duplicem eſſe in creaturâ naturalem inclinationem; alia eſt peculiaris & privata, alia generalis & præcipua, quâ præfert bonum commune privato ſuo commodo; ſic pars v. g. manus, quæ naturaliter tendit ad ſui conſervationem, ubi agitur de ſalute totius corporis, periculo ſeſe exponit. Atqui pœna, etiam æterna, quam patitur reprobus, quamvis non ſit illi bona ſecundùm privatam inclinationem, eſt tamen illi bona ſecundùm univerſalem & præcipuam inclinationem, quia eſt in bonum creatoris, nempe ad manifeſtationem illius juſtitiæ, & ad pulchritudinem univerſi.

Porro ejuſmodi rectitudinem voluntatis creatæ efficit charitas, per quam juſti (ſive hîc, ſive in Purgatorio patiantur) ea quæ Dei ſunt, præferunt ſuo privato commodo.

Tertiò, multò minùs ira convenit Deo. *Ira*, inquit ſanctus Thomas, lib. 1. contra Gentes, cap. 89. *à Deo longè & ſecundùm rationem ſuæ ſpeciei, non ſolùm quia effectus triſtitiæ eſt, ſed etiam quia eſt appetitus vindictæ propter triſtitiam ex injuriâ illatâ conceptam.* Sicut ergo Judex, qui agit ex zelo juſtitiæ, in reum propriè non iraſcitur, cùm in eum judicium mortis pronuntiat; ita nec Deus cùm in peccatores animadvertit.

Ergo cùm in Scripturis legimus Deum triſtari, pœnitere, odio habere, & iraſci, hæc metaphoricè dicuntur, tribuunturque Deo, quia ea exteriùs facit, quæ homines facere ſolent, cùm dolent, pœnitentiâ ducuntur, inimicitias gerunt, & vindictam proſequuntur. Ita ſanctus Auguſtinus lib. 1. Conf. cap. 4. ubi ſic Deum alloquitur, *quid ergo Deus meus immutabilis, mutans omnia: & nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia; & ad vetuſtatem perducens ſuperbos, & neſciunt: ſemper agens, ſemper quietus: colligens, & non egens: quærens, cùm nihil deſit tibi: pœnitet te, & non doles: iraſceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas conſilium: recipis quod invenis, & nunquam amittis: ſupererogatur, ut debeas, & quis habet quidquam non tuum? reddis debita, nulli debens: donas debita, nihil perdens.*

Utrùm autem juſtitia ſit propriè in Deo fusè expendimus Tract. de Juſtitiâ & Jure, cap. 15. pag. 91. & cap. 3. pag. 17. ubi probamus acceptionem perſonarum, quæ eſt vitium juſtitiæ diſtributivæ oppoſitum, in Deum non cadere.

CAPUT XVII.

De omnipotentiâ Dei.

Q. 1°. D*Eus eſt ne omnipotens?*
R. Affirmativè, probaturque tum ex Scripturâ Eccli cap. 1. *Unus eſt altiſſimus creator omnipotens;* tum ratione, quia Deus eſt ens à ſe, ac proinde illimitatum, & continens omnes perfectiones: atqui omnia poſſe eſt excellens perfectio: Ergo.

Q. 2°. *Quid eſt omnipotentia?*
R. Eſt virtus productiva omnium poſſibilium: Ergo impoſſibile non continetur ſub objecto omnipotentiæ divinæ, ſicut nec ſapor nec odor eſt viſibilis.

Q. 3°. *Quid eſt impoſſibile?*
R. Eſt id quod repugnat, includitque contradictoria; nempe eſſe & non eſſe, ſic mons ſine valle eſt quid impoſſibile & contradictorium; ſi enim negetur vallis, affirmatur planum & negatur mons. Talis foret contradictio, ſi Deus poſſet mentiri aut peccare; eſſet enim Deus & non eſſet: eſſet ex ſuppoſitione: revera autem non eſſet, quia mentiri aut peccare, eſt defectus & imperfectio: atqui quod deficit, Deus non eſt.

Cetera quæ ad omnipotentiam pertinent, tradimus cap. de Immenſitate Dei, ubi oſtendimus Deum eſſe ubique præſentem, non ſolùm per ſubſtantiam, ſed etiam per omnipotentiam & operationem.

CAPUT XVIII.

De Providentiâ Dei.

Q. 1°. QUid eſt providentia? R. Eſt ratio ordinis rerum in finem per media congrua.

Q. 2°. *Quotuplici modo ſpectari poteſt providentia?* R. Duplici. 1°. in arte ſeu mente divinâ, quo ſenſu definitur à Boëtio lib. 4. de Conſolat. divina ratio in Summo Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit. 2°. in executione, & eſt ipſummet Dei regimen, ſeu actualis rerum creatarum directio in finem. Ipſâ rerum ordinandarum ratio eſt ab æterno, actualis verò gubernatio in tempore.

Q. 3°. *Datur ne providentia?*

R. Datur. Probatur 1°. ex Scripturâ Sap. 14. v. 3. *Tua... Pater, providentia ab initio cuncta gubernat;* & cap. 8. verſ. 1. *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* 2°. Ex Patribus, ac præſertim ſancto Ambroſio lib.... de Offic. cap. 12. ubi ſic habet, *quis operator negligat operis ſui curam? quis deſerat & deſtituat, quod ipſe condendum putavit? ſi injuria non eſt regere, nonne eſt major injuria feciſſe, & non curare cùm aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit non curare quod feceris ſumma inclementia?* 3°. ratione; quia agens intellectuale primò intendit finem, ad quem omnia opera ſua dirigit: atqui Deus eſt agens intellectuale: ergo omnia opera ſua dirigit ad finem. Porro illa creaturarum ordinatio eſt providentia, ut patet ex allata definitione.

Q. 4°. *Providentia extenditur ne ad ſingula?*

R. Extenditur, ſequiturque ex ratione præcedenti; cùm enim Deus cunctis rebus etiam vi-

ſiſſimis eſſe tribuat, illas continuo influxu conſervet, & ad earum motus immediatè concurrat, & quidem propter præconceptum finem, utpote agens intellectuale; perſpicuum eſt ejus providentiam ad ſingula ſeſe extendere. Sed quia veteres Philoſophi in re naturaliter notâ cæcutierunt; eorum enim vox eſt Jobi cap. 22. *nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat*; quem errorem, quamvis longè abſurdiſſimum amplexi ſunt Platonici Philoſophorum præcipui ac nobiliſſimi, definientes, ex S. Auguſtino lib. 9. de Civitate Dei cap. 1, nullum Deum hominibus miſceri.

Probatur noſtra reſponſio auctoritate Scripturæ tum veteris, tum novi Teſtamenti, Sap. 6. v. 8. *Puſillum & magnum ipſe, & æqualiter cura eſt illi de omnibus*, Luc. 12. v. 6. *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio, & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo? Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*. Et cap. 21. verſ. 18. *& capillus de capite veſtro non peribit*. Quæ verba S. Auguſtinus expendens Serm. 333. alias homil. 14. lib. 50. hom. ſic loquitur: *Non perit capillus, quem, cùm tondetur, non ſentis, & peribit anima, per quam ſentis? Si ſic tua cuſtodiuntur ſuperflua, in quantâ ſecuritate eſt anima tua? Jacta te in Deum, optimè te habebis in optimo*.

Ergo in periculis & rebus adverſis ſolus Deus eſt timendus; *ne terreamini*, inquit Luc. c. 12. *ab his, qui occidunt corpus*. Et 1. Petri 3. verſ. 13. *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Unde S. Auguſtinus in Pſ. 32. Enar. 3. *Non timeant*, inquit *alterum pro illo... Fera ſævit? Deum time: ſerpens inſidiatur? Deum time: homo te odit? Deum time: diabolus te impugnat? Deum time, tota enim creatura ſub illo eſt, quem juberis timere. Quid formidaturus es? aliquid de cœlo, aliquid de terrâ,*

aliquid de mari? Ipſe dixit; & facta ſunt, mandavit, & creata ſunt. Cùm jubet, moventur; cùm jubet, quieſcunt. Et malitia hominum cupiditatem nocendi poteſt habere propriam; poteſtatem autem ſi ille non dat, non habet. Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo. Definitiva ſententia Apoſtoli eſt: non dixit, non eſt cupiditas niſi à Deo; eſt enim mala cupiditas, quæ non eſt à Deo; ſed quia ipſa mala cupiditas nulli nocet, ſi ille non permittat, non eſt, inquit, poteſtas niſi à Deo... Videte ergo, fratres, ne quemquam timeatis niſi Dominum.

Ergo quæcunque de victoriis, & aliis principum geſtis narrantur, veriùs ſunt hiſtoria Dei, quàm hominum, cùm ipſe attingat à fine uſque ad finem fortiter, abſolutèque diſponat de omnibus prout vult, & per quos vult, quamvis ipſi nonnunquam præ ſuperbiâ non advertant.

Dices 1°. communis eſt ſanctorum Patrum doctrina Deum regere media per ſuperiora, & infirma per media: Ergo non omnibus immediatè providet.

Diſtinguo anteced. regere phyſicè & immediate concurrendo cum ſuperioribus & mediis, Concedo: moraliter tantùm concurrendo, quemadmodum Rex remotiores provincias regit per præpoſitos in eis à ſe conſtitutos: Nego anteced. Sicut igitur anima ita dicitur agere per corporis ſui organa, ut eis ſit ſubſtantialiter præſens, illa continens, vegetans, & movens: Sic Deus per ſubſtantiam ſuam ubique diffuſus cunctis rebus eſſe & efficaciam tribuit, *in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus*, Act. 17. *Inferiora ergo gubernat per ſuperiora*, inquit S. Thomas, qu. 22. art. 3. *non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis, ut dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicet.* Et ſanctus Bernardus ſerm. 5. in Cant. *Per ſubjectam creaturam*

creaturam innumera operatur, ſed quaſi imperans, non quaſi mendicans, non efficaciam quærit, ſed congruentiam: indulgentia eſt, non indigentia.

Dices 2°. Sub ſapientiſſimâ Dei providentiâ nihil poteſt ſuperfluum eſſe noxium, & inordinatum: atqui in hacce rerum univerſitate multa ſunt ſuperflua, noxia, & inordinata; pleraque enim inter ſe non cohærent, ſed pugnant, & ſe invicem deſtruunt: ergo providentia non ſe extendit ad omnia.

Nego minorem. Ita quidem videtur imperitis & carnalibus; namque, ut advertit S. Auguſtinus in Pſal. 32. nemo tam habet, quæ infidelibus diſplicent, quàm ipſemet Deus. *Sed*, inquit ſanctus Doctor lib. 1. de Geneſi contra Manichæos, cap. 16. *cùm iſta dicunt, nec intelligunt, quemadmodum omnia pulchra ſunt conditori & artifici ſuo, qui omnibus utitur ad gubernationem univerſitatis, cui ſummâ lege dominatur Si enim in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa inſtrumenta, quorum cauſas ignorat; & ſi multùm eſt inſipiens, ſuperflua putat. Jam verò ſi in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cùm id malè tractat, ſe ipſum vulneraverit, etiam perniciοſa & noxia exiſtimat ibi eſſe multa, quorum tamen uſum, quoniam novit artifex, inſipientiam ejus irridet, & verba inepta non curans, officinam ſuam conſtanter exercet. Et tamen tam ſtulti ſunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant; ſed cùm viderint, credant eſſe neceſſaria... In hoc autem mundo, cujus conditor & adminiſtrator prædicator Deus, audent multa reprehendere, quorum cauſas non vident... quæ omnia unde veniant, non intelligo, niſi à ſummâ menſurâ, & numero, & ordine, quæ in ipsa Dei ſublimitate incommutabili atque æternâ conſiſtunt .... De ſuperfluis verò quid nobis eſt quærere? Si tibi diſplicet, quòd non proſunt, placeat quòd non obſunt: quia etſi do-*

mui noſtræ non ſunt neceſſaria, eis tamen completur hujus Univerſitatis integritas, quæ multò major eſt, quàm domus noſtra, & multò melior: hanc enim multò meliùs adminiſtrat Deus, quàm unuſquiſque noſtrum domum ſuam. Et certè ſi Philoſophi ex inſpectione vel unius folii arboris, aut corporis animalis etiam vilioris uno ore pronuntiant Deum & naturam nihil facere ſuperfluum, quantò magis de univerſo orbe, cujus folium aut corpus animalis eſt minima pars, idipſum affirmatur, ſi illum æquè mente caperent, cùm cujuſque opificis attentio ſit potiùs ad totum, quàm ad ejus partes?

Quod ſpectat ea quæ in hoc mundi opificio videntur noxia, in pœnam vel remedium peccati juſtiſſimè & providentiſſimè ordinata ſunt. Inde enim vel corripimur, ne cum hoc mundo damnemur, vel probamur; *quia plerumque*, ait S. Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 47. *cùm adſint nobis* (temporalia) *putamus quòd ea non diligamus, ſed cùm abeſſe cœperint, invenimus quid ſimus; hoc enim ſine amore noſtro aderat, quod ſine dolore diſcedit:* vel denique admonemur, ne vitam iſtam multis periculis & laboribus obnoxiam, ſed aliam meliorem, ubi ſecuritas ſumma eſt, diligamus, deſideremus, & pietatis meritis comparemus. Et ita rectis corde & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Rom. 8. nec eſt dicere de operibus Creatoris, *hoc illo nequius eſt: omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur*, Eccli. 39.

Dices 3º. Indecens eſt Deum rebus minimis ſe immiſcere. Ergo.

Nego anteced. nam ex S. Ambroſio citato c. 15. de Offic. ſi non eſt injuria & probrum minutiſſimas quaſque res feciſſe & conſervare; multò minùs opprobrium putari debet, quòd Deus jam

factas ad propoſitum finem dirigat. Imò peritiſſimi opificis eſt ne vel minimum quid in opere ſuo inordinatum relinquere.

Inſtabis 1°. ex Apoſtolo 1. Cor. 9. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?*

Reſpondet S. Bernardus Serm. 68. in Cant. num. 2. *Providentiam ceteris creaturis non negamus, curam ſponſa vindicat ſibi.* Deus ergo providet bobus, & aliis aimantibus, ſed in commodum hominis, quem idcirco Tertullianus vocat *curam divini ingenii.* Hinc S. Hieronymus in 1. c. Habacuc eos ſtultitiæ damnat, qui ſingulis rebus proprios Angelos aſſignant; *non ſimus*, inquit, *tam fatui adulatores Dei, ut in noſipſos injurioſi ſimus, eandem rationabilium & irrationabilium providentiam eſſe, dicentes.*

Inſtabis 2°. ex ſancto Auguſtino enchir. c. 17. *melius eſt quædam neſcire, quàm ſcire.* Et ex communi hominum judicio defectus eſt in iis: qui in ſublimioribus dignitatibus ſunt conſtituti, ſi ſe levioribus immiſceant, & ad minima quæque deſcendant. Ergo.

Diſtinguo anteced. cum S. Thomâ qu. 22. a. 3. ad 3. melius eſt, ſi de proviſore creato agatur, Concedo: ſi de increato, Nego anteced. Equidem cùm homo non poſſit omnibus intendere, neceſſe eſt ut graviora prætermittat, ſi vilioribus mentem implicet. Contra verò Deus, cui immenſa mundi univerſitas eſt velut momentum ſtateræ, *ſic intendit ſingulis, ac ſi vacet à cunctis, & ſic ſimul intendit omnibus, ac ſi vacet à ſingulis. Qui enim omnia adminiſtrando implet, regit implendo, nec univerſis deeſt cùm diſponit unum, nec uni deeſt, dum diſponit univerſos*, inquit ſanctus Gregorius lib. 25. Moral. c. 13. in fine; Et ſanctus Bernardus Ser. 35. in Cant. *ſic ſanè uni intentus, ut non detentus: ſic pluribus, ut non diſtentus.*

Inſtabis 3°. Si provi lentia miſerias hujus vitæ in pœnam peccati ordinaret, proculdubio impii & magis flagitioſi majoribus miſeriis ſubjacerent: atqui nulla eſt hominum ætas, quæ contrarium non ſit experta: David miratus eſt pacem peccatorum, & ideo penè moti ſunt pedes ejus, Pſal. 72. Jeremias cap. 12. apud Deum conqueritur, *quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui prævaricantur . . . prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* Habacuc quoque cap. 1. *quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces, devorante impio juſtiorem ſe?* Ergo Deus non curat res humanas.

Diſtinguo maj. ſi temporales miſeriæ eſſent unica pœna peccati, Concedo: ſecùs, Nego maj. porrò ſicut terrena felicitas non eſt juſtum & debitum virtutis præmium; ita nec tranſitoria adverſitas deſtinatum peccati ſupplicium. Quinimò vitæ præſentis adverſa ſunt electis peccati præteriti remedium, futuri antidotum, rebellis concupiſcentiæ frenum validiſſimum, & paternæ Dei diſciplinæ flagellum, quo filios erudit, & ad æternam hæreditatem diſponit, ſic enim Apoſtolus illos conſolatur, Heb. 12. verſ. 7. *Tanquam filiis vobis offert ſe Deus, quis enim filius, quem non corripit pater?*

Contrà vero ſeculi proſperitas in peccatoribus eſt vitiorum incentivum, eſca Diaboli, quâ reprobos in æternam damnationem infallibiliter allicit. Et ratio eſt: quia rerum terrenarum copia concupiſcentiam provocat ac inflammat, non ſecùs ac ingens ſtrues lignorum in ignem conjecta magnum excitat incendium, adeo ut Deus nunquam ita iraſcatur, quàm cùm carnalibus ea abundanter tribuit, quæ malè concupiſcunt, *requieſcet*, inquit Ezech. 16. *indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar am-*

ſiùs, tanquam ſi medicus deſperans de ſalute ægroti, jam permittat ea omnia, quæ hactenus prohibuerat: *Vides*, inquit ſanctus Bernardns in hunc locum Serm. 42. in Cant. *quia tunc magis iraſcitur Deus, cùm non iraſcitur.* Miſereamur, *inquit*, impio & non diſcet facere juſtitiam. *Miſericordiam hanc ego nolo; ſuper omnem iram miſeratio iſta; ſapiens mihi vias juſtitiæ. Satius profectò mihi juxta Prophetæ conſilium apprehendere diſciplinam nequando iraſcatur Dominus, & peream de vitâ juſtâ. Volo iraſcaris mihi, Pater miſericordiarum, ſed illâ irâ quâ corrigis devium, non quâ extrudis de viâ. Illud ita nobis benigna animadverſio parit, hoc formidoloſa nutrit diſſimulatio. Non enim cùm neſcio, ſed cùm ſentio te iratum, tum maximè confido propitium.* Eadem fuit præcedentium Patrum, ac præſertim ſancti Auguſtini doctrina: *nemo*, inquit in Pſ. 9. *gratuletur homini, qui proſperatur in viâ ſuâ cujus peccati deeſt ultor & adeſt laudator, major hæc ira Domini eſt. Irritavit enim Dominum peccator, ut iſta patiatur, id eſt, ut correctionis flagella non patiatur.* Quòd autem illa pœna ſit omnium maxima, aperit ad illa verba Pſalmi 72. *Ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate eorum*, docetque reprobos terrenis bonis ſaginari quaſi victimas iræ immolandas, juxta illud Oſee 4 *Vacca laſciviens declinavit Iſraël: nunc paſcet eos Dominus quaſi agnum latitudine*, hoc eſt, ſicut agnus devotus ad carnificinam liberè paſcitur & impinguatur in latis paſcuis; ita reprobi ſub Dei providentiâ ſinuntur bonis terrenis affluere & laſcivire, ut ſint pinguis victima ignis æterni. *Attende*, inquit, *illos ſuperbos indiſciplinatos, attende taurum devotum victimæ, permiſſum errare liberè, vaſtare quæ poteſt uſque ad diem occiſionis.*

Tum conferens pauperem, qui neceſſitate compulſus furtum facit, cum divite, qui fretus ſuâ

potentiâ violenter rapit, ſic pergit, *cùm dicis* (pauperi) *quare hoc feciſti? Humiliter afflictus & abjectus reſpondet, neceſſitas coegit me*, & ita correptionem admittens, ſpem emendationis injicit. *Dic diviti, quare hoc facis, & non times Deum?* (*ſi tamen tantus es, qui poſſis dicere*) *vide ſi vel dignatur audire. Quid reſpondet? totum in contemptum Dei loquitur. Quare? quia ſuperbus eſt. Quare? quia pinguis eſt. Quare? quia devotus ad victimam eſt.* Ergo providentia tum maximè vigilat, ubi dormire videtur, ut unicuique pro meritis rependat.

Nec movere debet, quòd impii juſtiores ſe conculcent: nonne enim pater piè ſæviens in filium delinquentem, aliquando illum flagellat per vile mancipium? Quis verò in juſtos deſæviret, niſi impius? quomodo autem illud auderet, niſi eſſet potentior? In eo itaque mali & eorum proſperitas ſerviunt divinæ providentiæ, quòd per illos boni exerceantur. Unde in Scripturis vocantur flagellum Dei, virga in manu ejus, ſed ſuo tempore in ignem æternum projicienda.

In ordine ergo divinæ providentiæ, quamvis nonnulla occurrant, unde ſenſus carnalis offendatur, nihil tamen eſt quòd ratio non miretur, amet, & ſummis laudibus extollat. Quæ autem adversùs illas Prophetarum expoſtulationes quandoque leguntur, eas non in propriâ, ſed in infirmorum perſonâ figuratè proferri, patet ex ipsâ lectione.

Dices 4°. multa caſu contingunt: atqui nihil eſſet caſuale, ſi providentia ad ſingula ſe extenderet. Ergo.

Diſtinguo majorem, multa caſu contingunt reſpectu noſtri & cauſarum ſecundarum, Concedo: reſpectu Dei, Nego majorem, nam caſuale dicitur, quod eſt imprævisum & præter

intentionem agentis : atqui nihil accidere poteſt, quod Deus non præviderit, quod ab æterno non decreverit, & ad quod in tempore pro ſapientiâ ſuâ non concurrat; ſed ſi illud præter intentionem noſtram contingat, caſuale eſt reſpectu noſtri. Solutionem elucidat ſanctus Thoma exemplo duorum famulorum, quibus diverſam perigrinationem Dominus ſeparatim demandat, & ita uniuſcujuſque viam dirigit, ut ambo neſcientes ſibi occurrant : occurſus ille eſt caſualis reſpectu famulorum, non reſpectu Domini, qui illum intendit & prævidit. Similiter regula è recto cadens confregit cervices tranſeuntis; lapſus ille utpote nec prævisus nec intentus à tranſeunte, eſt ipſi caſualis, non autem Deo, qui illum ordinavit & prævidit.

Q. 50. *Providentia eſt-ne idem quod fatum ?*

Nota fatum tripliciter ſumi poſſe; 1°. pro diſpoſitione ſiderum, ſub quâ quiſque conceptus vel natus eſt; 2°. pro primo principio ſingula ad ſuos fines ordinante. 3°. & magis propriè, pro ipſa ordinatione & diſpoſitione creaturarum, definiturque ordinatio cauſarum ſecundarum ad affectus divinitus prædefinitos, vel ſaltem prævisos. His prænotatis:

R. 1°. Fatum primo modo ſumptum nihil eſſe; quia ſidera nullam imponunt neceſſitatem voluntatibus humanis, nec directè agunt niſi in corpora, quorum paſſionibus voluntas reſiſtere poteſt, & nonnunquam de facto reſiſtit. De fato ſic ſumpto intelligendus eſt ſanctus Gregorius Hom. 10. in Evangelia, in quâ ſic habet, *abſit à fidelium cordibus, ut fatum eſſe aliquid dicant.*

R. 2°. Fatum ſecundo modo acceptum eſt ipſamet divina providentia. Ita S. Auguſtinus lib 5. de Civ. Dei cap. 10. *Si propterea*, inquit, *quiſquam* (res humanas) *fato tribuit, quia ipſam Dei vo-*

luntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat. Ideo autem S. Doctor vult Chriſtianum ab hoc nomine abſtinere; quia veteres fatum primo modo uſurpabant: *id homines,* inquit S. Doctor, *quando audiunt, uſitatâ loquendi conſuetudine, non intelligunt niſi vim poſitionis ſiderum, qualis eſt quando quis naſcitur, ſive concipitur; quod aliqui alienant à Dei voluntate, aliqui ex illâ etiam hoc pendere confirmant. Sed illi qui ſine Dei voluntate decernere opinantur ſidera quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorumve patiamur, ab auribus omnium repellendi ſunt... hæc enim opinio quid agit aliud, niſi ut nullus omnino colatur, aut rogetur Deus:.. illi vero, qui poſitionem ſtellarum, quodammodo decernentium qualis quiſque ſit...: ex Dei voluntate ſuſpendunt... magnam cœlo faciunt injuriam, in cujus velut clariſſimo ſenatu, ac ſplendidiſſimâ curiâ opinantur ſcelera facienda decerni, qualia ſi aliqua terrena civitas decreviſſet, genere humano decernente, fuerat evertenda.*

R. 3o. Fatum tertio modo eſt effectus divinæ providentiæ, quia ordinatio cauſarum ſecundarum eſt à Deo omnia gubernante.

Q. 60. *Cuncta ſubduntur-ne fato?*

R. Si fatum 1o. modo accipiatur, nihil ei ſubditur, cùm ipſum nihil ſit. Si 2°. omnia ei ſubduntur; quia omnia ſubſunt divinæ providentiæ. Si 3°. non omnia ei ſubjacent: multa enim fiunt, & diriguntur immediatè à Deo, & independenter à cauſis ſecundis. Ea, inquit Boëtius lib. 4. de Conſolatione, *quæ ſunt divinitati propinqua, fatalis ordinem mobilitatis excedunt.* Unde ſanctus Thomas 1. p. qu. 116 art. 4. concludit in hæc verba, *quando aliquid longiùs à primâ mente diſcedit, nexibus fati majoribus implicatur, quia magis ſubjicitur neceſſitati ſecundarum cauſarum.* Hujuſce rei exemplum habes in avaro, qui recedens à Deo adhæret rebus infimis, puta pecu-

niæ; pecunia enim, quam proſequitur, pendet ab amplâ meſſe: meſſis verò à temperie aëris: temperies autem aëris ab influxu ſiderum. Sed hanc cauſarum ſecundarum ſeriem ſuperat juſtus, quatenus firmiter adhæret Deo, nec aliud intendit, quàm ejus voluntatem adimplere.

Q. 7°. *Quotuplex eſt Providentia?*

R. Duplex, naturalis, & ſupernaturalis. Naturalis, eſt ordinatio cauſarum ſecundarum ad finem naturalem per media naturalia. Supernaturalis, eſt ordinatio creaturæ ſpiritalis, ſive rationalis ad finem ſupernaturalem per gratiæ auxilia.

Q. 8°. *Providentia ſupernaturalis, & prædeſtinatio ſunt-ne unum & idem?*

R. Minimè; nam providentia ſe habet ut genus: prædeſtinatio autem & reprobatio ut quædam ejus ſpecies.

Q. 9°. *In quo differt Prædeſtinatio à Providentiâ ſupernaturali?*

R In eo, quòd prædeſtinatio reſpiciat ſolos electos; ſitque efficax Dei decretum illos perducendi ab beatitudinem ſupernaturalem: providentia verò ſupernaturalis ſe extendat etiam ad reprobos, ſitque reſpectu illorum voluntas duntaxat antecedens illos ſalvandi per media, quæ licèt ſint ſufficientia, tamen effectu carent ob cordis eorum duritiem.

Ergo, inquies, providentia ſupernaturalis in ſui diſpoſitione fallitur.

Nego conſequentiam; quamvis enim finem particularem cujuſlibet rei non ſemper aſſequatur, nunquam tamen fruſtratur fine ſuo generali, qui eſt gloria Dei, ad quam omnia dirigit. Sic in ordine naturali flores arboris v. g. non ſemper producunt fructus, ad quos tanquam ad finem particularem, qui etiam dici poteſt finis,

Q. x.

rei per providentiam proximè ordinantur, ſed ſemper ſubſerviunt fini univerſali, qui & finis Dei dicendus eſt.

CAPUT XIX.

De Prædeſtinatione.

Viam ingredimur admodum lubricam, & tenebris obſitam, nec in eâ deeſt Angelus Satanæ, qui contrariis tentationum procellis incautos hinc perſuaſione, quòd ſint à Deo reprobati, in deſperationem agit: illinc falsâ credulitate, quòd abſolutum Dei decretum, & præſcientia omnem ſalutis ſollicitudinem excludant, in vanam præſumptionem & ſecuritatem extollit. Quapropter cautè hîc gradiendum inter ſpem & timorem, maximèque attendendum fidei tanquam lucernæ lucenti, in hoc caliginoſo loco, & docenti neminem niſi ſuâ culpâ perire, Deum velle omnes ſalvos fieri, & ad pœnitentiam reverti, ac cuilibet ſatagendum, ut per bona opera certam faciat ſuam vocationem & electionem.

Hæc autem erit hujus Capitis diſtributio, 1o. dicemus de nomine prædeſtinationis. 2°. de ejus definitione & exiſtentiâ. 3°. de variis modis, quibus prædeſtinatio ſpectari poteſt. 4o. expendemus quænam poſſint eſſe prædeſtinationis cauſæ. 5°. denique agemus de ejus effectibus, inter quos elucet perſeverantiæ donum.

Sed priuſquam rem aggrediamur, moneamus neceſſe eſt, hîc præ manibus habendum Tractatum noſtrum de Gratiâ, cùm gratia efficax ſit neceſſarium prædeſtinationis conſectarium, nec unum ſine altero plenè exponi poſſit. Prædeſti-

natio quippe, in mente S. Auguſtini, eſt beneficiorum Dei præparatio; & gratia, ipſa beneficiorum donatio. Hinc eſt quòd in hâc diſſertatione multa ad Tractatum de Gratiâ remittere cogamur.

PARAGRAPHUS I.

De nomine Prædeſtinationis.

Q. 1°. QUid *obſervandum circa Prædeſtinationis nomen?*

R. Duo, ſcilicet præpoſitio *præ*, & nomen *deſtinatio*, ex quibus coaleſcit nomen prædeſtinationis.

Q. 2°. *Quid hîc ſignificat particula* præ?

R. Poteſt duo ſignificare, nempè anteceſſionem dignitatis & excellentiæ, ita ut prædeſtinati dicantur præ aliis deſtinati; & temporis, quaſi prædeſtinati ita vocentur, quia ante omnia tempora ſunt deſtinati.

Q. 3°. *Quid ſignificat* deſtinatio?

R. Tria ſignificare poteſt. 1°. Juxta ſanctum Thomam, deſtinatio idem eſt ac tranſmiſſio; quia, inquit, Deus Angelos & homines tranſmittit ad beatitudinem, ad quam naturalibus viribus moveri non poſſunt, quemadmodum Sagittarius emittit ſagittam in ſcopum, quem vi ſuâ non attingeret. 2°. Deſtinatio idipſum ſonat, ac deputatio ſeu deſignatio ad aliquid. Civis v. g. deſignatus ad capeſcendum Magiſtratum, dicitur deſtinatus ad illud munus. 3°. deſtinare uſurpatur pro ſtatuere, proponere, & in animo decernere, ut 2. Cor. 9. verſ. 7. *unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo*, id eſt, prout propoſuit & decrevit.

Hoc tertio ſenſu Theologi communiter no-

men deſtinationis hîc accipiunt, & quidem ad mentem Apoſtoli; qui ſæpiùs prædeſtinationem vocat propoſitum, electionem, Rom. 8. verſ. 28. Rom. 9. verſ. 11. *ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret.* Eph. 1. verſ. 5. *qui prædeſtinavit nos .... ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Eodem quoque ſenſu ſanctus Auguſtinus paſſim accipit illud nomen: *elegit ergo*, inquit lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 18: *prædeſtinans nos, fecit autem hoc ſecundùm placitum voluntatis ſuæ. .. prædeſtinati ſecundùm propoſitum non noſtrum, ſed ejus qui univerſa operatur.*

Ergo prædeſtinatio eſt actûs voluntatis; propoſitum enim, decretum, electio pertinent ad voluntatem. Habet tamen adjunctum actum intellectûs, ſcilicet præſcientiam, ſecundùm quam Deus, utpote agens intellectuale, dirigit ſua decreta, & init conſilia voluntatis ſuæ: *Quoniam*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 12. de Civit. cap. 20. *Deus non aliquid neſciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici poteſt: Porro ſi ſciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat.*

Ergo præſcientia, quæ in prædeſtinatione concipitur, eſt ſcientia viſionis, non verò ſimplicis intelligentiæ; quia ſcientia viſionis eſt rerum in aliquâ temporis differentiâ exiſtentium: atqui præſcientia, ſine quâ prædeſtinatio eſſe non poteſt; ex S. Auguſtino lib. de prædeſt. Sanctorum c. 10. eſt rerum futurarum: *prædeſtinatione quippe*, ait ſanctus Doctor ibid. *Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.* Ergo.

Q. 4°. *Prædeſtinatio eſt ne de malo æquè ac de bono?*

R. 1°. Non eſt de malo culpæ; cùm Deus non ſit illius auctor. 2°. eſt de malo pœnæ; quia Deus ab æterno illam decrevit, & in tempore eſt illius cauſa efficiens: *Fidenter fatemur*, inquit

Concilium Valentinum can. 3. *prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.* Et ſanctus Fulgentius lib. ad Monimum, ait: *non ergo prædeſtinati ſunt mali, ad hoc quòd malè operantur à concupiſcentiâ ſuâ abſtracti & illecti; ſed ad hoc quòd juſtè patiuntur inviti.* Uſus tamen obtinuit ut prædeſtinationis nomen ſemper in bonam partem uſurparetur.

PARAGRAPHUS II.

Q. 1°. *Quomodo definitur prædeſtinatio?*
R. Tripliciter definiri poteſt, juxta triplicem interpretationem ſupra allatam nominis, *deſtinatio*. Unde à S. Thomâ, qui primam amplexus eſt, definitur qu. 23. art. 1. ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.

Definitur verò à ſancto Auguſtino, qui tertiæ interpretationi adhæſit, utpote magis conformi textibus ſacræ Scripturæ, lib de Dono perſev. cap. 14. præſcientia & præparatio beneficiorum quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur. Hæc definitio reipsâ eſt planè eadem cum præcedenti, nec ab eâ differt, niſi in modo loquendi.

Dicitur 1o. *præſcientia*, non quidem ſpeculativa, ut nonnulli contendunt, quâ Deus præſcit, quæ facturus non eſt, ut peccatum; ſed practica, id eſt, conjuncta cum voluntate aliquos perducendi ad gloriam, à quâ prædeſtinati in Scripturis dicuntur à Deo cogniti, & præcogniti, ſcilicet amoris cognitione, ut Joan. 10. verſ. 14. *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Rom. 8. verſ. 29. *quos præſcivit & prædeſtinavit.* Rom. 11. verſ. 2. *non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit.* 2. Tim. c. 2. verſ. 19. *cognovit Dominus qui ſunt ejus.* 1. Petr. c. 1. verſ.

19. *præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem.* Secundùm hanc notitiam Chriſtus, Matth. 7. verſ. 22. dicit ſe non noſſe reprobos; *nunquam novi vos: diſcedite à me.*

Dicitur 2°. *præparatio*, quâ voce ſignificatur firmum dandi propoſitum; ſolemus enim habere apud nos parata & ſepoſita, quæ dilecto dare efficaciter decrevimus. *Inter gratiam porrò*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 10. *& prædeſtinationem hoc tantùm intereſt, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; gratia verò jam ipſa donatio.*

Dicitur 3°. *beneficiorum.* Quid autem illâ voce intelligi debeat, diſſentiunt Theologi. Alii illam reſtringunt ad efficacia gratiæ auxilia; alii, & quidem meliùs ad mentem S. Auguſtini; extendunt ad gratiam ſimul & gloriam; namque ſanctus Doctor vult per hujuſmodi beneficia prædeſtinationis certiſſimè liberari: atqui ſine gloriâ non liberantur à ſervitute corruptionis: Ergo. Deinde lib. de cor. & gr. c. 9. glorificationem ex Apoſtolo Rom. c. 8. recenſet inter effectus prædeſtinationis: *quicunque*, inquit, *in Dei providentiſſimâ diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, juſtificati, glorificati ſunt . . . jam filii Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt:* Ergo in præparatione beneficiorum includitur gloria.

Dicitur 4°. *quibus certiſſimè*, quæ denotant auxilia efficacia; namque omnibus Angelis adhuc viatoribus præparati ſunt auxilia ſufficientia, quibus certiſſimè non ſunt ſalvati; complures enim ex iis perierunt: cum beneficiis vero, de quibus hîc agitur, nullus ex iis, quibus præparantur, perire poteſt: Ergo.

Dicitur 5°. *liberantur*, quo vocabulo patet hîc non definiri prædeſtinationem Angelorum, ſed hominum duntaxat; quia Angeli nulli fuerunt

miſeriæ obnoxii, à quâ opus eſſet ut liberarentur.

Dicitur 6°. *quicunque liberantur* : ut oſtendatur neminem actu & de facto ſalvari, niſi certiſſimè, id eſt, niſi adjutum auxilio efficaci; quamvis enim poſſit quis cum gratia ſufficienti ſaluti ſuæ conſulere, nunquam tamen actu conſulet; quia gratia ſufficiens in hoc ſtatu ſemper caret effectu, ut multis probavimus tractatu de Gratiâ toto cap. VII. quod eſt de gratiâ ſufficienti.

Atque vel ex hâc definitione refellitur Ambroſius Catharinus qui ex illo Matth. textu cap. 20. *erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi*, diſtinguit duplicem ſalvandorum claſſem; alii, inquit, ſunt eximiè ſancti, ut Virgo Deipara, Apoſtoli, & hi electi & prædeſtinati per efficacia gratiæ auxilia : alii ſunt minoris perfectionis, qui ſine prædeſtinatione, ſed per providentiam ſupernaturalem omnibus media ad ſalutem ſufficientia ſuppeditantem, erunt in regno cœlorum minimi. Sed perabſurdum eſt ex verbis figuratis & parabolicis, quæ in varios ſenſus trahi poſſunt, quidquam concludere adverſùs aperta & ſine ænigmate prolata Scripturæ verba. Quid enim intelligendum per regnum cœlorum in illâ parabolâ Matth. 20? an Eccleſia triumphans, an militans? ſi triumphans, quomodo in eâ locum habent invidi & murmuratores? Si pares cum aliis in mercede, quomodo noviſſimi? Noviſſimi ergo hîc vel intelliguntur reprobi, qui quidem vocati ſunt, ſed minimè electi : vel ſi juxta interpretationem quorundam Patrum, noviſſimi hîc debeant collocari in patria cœleſti poſt peractam pœnitentiam, & ipſi ſunt electi & prædeſtinati : nam Matth. 4. v. 31. quotquot ad Chriſtum congregantur, electi dicuntur. Et Matth. 22. v. 13. & 14. qui non ſunt electi, mit-

tuntur in tenebras exteriores, nec uſquam Scriptura meminit quorundam qui ſint medii inter electos & reprobos. *Firmiſſimè ergo tene*, inquit ſanctus Fulgentius lib. de fide cap. 35. *nec quenquam eorum, quos non prædeſtinavit ad vitam, ullâ poſſe ratione ſalvari.*

Confirmatur. Nullus ſalvabitur ſine perſeverantiæ dono: atqui perſeverantiæ donum ſolis electis & prædeſtinatis conceditur: ergo ſoli electi & prædeſtinati ſalvabuntur. Major eſt de fide, ut infra probatur. Minor per ſe conſtat; qui enim donum perſeverantiæ accepit, is certiſſimè liberatur; cùm illud donum tale ſit, ut cùm fuerit acceptum, contumaciter amitti non poſſit, ex ſancto Auguſtino lib. de dono perſever. cap. 6.

Q. 2°. *Datur-ne prædeſtinatio?*

R. In confeſſo eſt apud omnes Catholicos dari prædeſtinationem. Et verò illam tam diſertè aſſerunt Scriptura & Traditio, ut nullum dubitandi locum relinquant. *Quos præſcivit & prædeſtinavit*, inquit Apoſtolus Rom. 8. *hos & vocavit: & quos vocavit; hos & juſtificavit. quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Et Chriſtus Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi:* Atqui prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum: Ergo.

PARAGRAPHUS III.

De variis modis quibus prædeſtinatio ſpectari poteſt.

Q. 1°. *Quomodo prædeſtinatio ſpectari debet?*

R. Imprimis ſpectanda eſt ratione diverſi ejus ſubjecti; quia aliter ſentiendum de prædeſtinatione Anglelorum, aliter de prædeſtinatione hominum in ſtatu naturæ lapſæ. De-

poſteriore agimus in hoc capite, non de priore.

Dixi, *hominum in ſtatu naturæ lapſæ;* quia nulla fuit prædeſtinatio reſpectu ſtatûs innocentiæ, cùm primi parentes ab eo ceciderint, nec liberati fuerint niſi prædeſtinatione, quæ eſt propria ſtatûs naturæ lapſæ.

Q. 2°. *Quid ſentiendum de prædeſtinatione Angelorum?*

R. Theologi communiter docent poſt ſanctum Auguſtinum lib. de Cor. & Gr. c. 10. Deum antecedenter non decreviſſe aliquos Angelos præ aliis eligere & ſalvare, ſed omnes æqualiter per gratiam verſatilem fuiſſe vocatos, in quâ alii per liberum arbitrium abſque ſpeciali perſeverantiæ dono ſteterunt; cæteris per idem liberum arbitrium cadentibus: ex quo ſequitur Angelos bonos non fuiſſe prædeſtinatos niſi ex prævifis meritis. At gravis eſt controverſia, an homines poſt lapſum primi parentis aliter ſint electi & prædeſtinati.

Dices: media neceſſariò præſupponunt intentionem finis: atqui auxilia Angelis conceſſa ſunt media ad beatitudinem: ergo Deus antecedenter voluit eorum beatitudinem, ac proinde Angeli prædeſtinati ſunt ante præviſa merita.

Diſtinguo majorem, media neceſſariò præſupponunt intentionem finis, vel abſolutam vel conditionatam, Concedo: abſolutam, Nego majorem. Deus itaque antecedenter voluit omnes Angelos ſalvari, modò rectè uterentur auxiliis conceſſis: cùm autem per liberum arbitrium alii gratiæ aſſenſerint, alii diſſenſerint, Deus ex præſcientiâ ejuſmodi concensûs & diſſensûs alios prædeſtinavit, alios reprobavit.

Q. 3°. *Quotuplici modo ſpectari poteſt prædeſtinatio hominis lapſi?*

R. Duplici, ſcilicet in intentione, & in executione.

Prædeſtinatio in intentione, eſt abſoluta Dei voluntas ſalvandi quoſdam præ aliis per auxilia efficacia: Prædeſtinatio verò in executione, eſt ipſa gloriæ retributio ob præcedentia merita.

De prædeſtinatione in executione intelligendi ſunt illi Scripturæ textus, Matth. 25. v. 34. *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi; eſurivi enim & dediſtis mihi manducare*, &c. 1. Cor. 3. verſ. 14. *Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet*: 2. Tim. 4. verſ. 8. *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus Judex.*

Q. 4°. *Quot modis ſpectari poteſt prædeſtinatio in intentione?*

R. Duobus, nimirum adæquatè, & inadæquatè.

Prædeſtinatio adæquatè ſumpta, eſt præparatio gloriæ & gratiæ ſimul: inadæquatè ſumpta, eſt præparatio vel gloriæ, vel gratiæ.

Cùm autem plura ſint gratiarum dona, nempe vocationis, juſtificationis & perſeverantiæ uſque in finem, & ita inter ſe ordinata, ut prima gratia, v. g. vocationis, ſit diſpoſitio ad ſecundam, neceſſe eſt iterum diſtinguere inter prædeſtinationem ad primam gratiam, & prædeſtinationem ad poſteriores.

Q. 5°. *Eſt-ne agnoſcendum in Deo multiplex decretum pro multiplici prædeſtinationis conſideratione, adeo ut unum ſtatuatur pro prædeſtinatione ad gloriam, alterum pro prædeſtinatione ad primam gratiam, tertium pro prædeſtinatione ad gratiam ſecundam, & quartum pro retribuendâ mercede præcedentibus meritis?*

Certum & unicum realiter eſſe in Deo decretum; cùm in illo nulla ſit realis compoſitio; ſed eſſe, intelligere, & velle ſint unus ſimpliciſſimus actus. Quæſtio eſt duntaxat, an ſit in Deo fundamentum diſtinguendi per mentem ejuſmodi decreta.

Alii negant eſſe diſtinguenda, contenduntque concipi non poſſe Deum efficaciter voluiſſe finem, v. g. gloriam ſine mediis, & vice versâ decreviſſe media efficacia & infallibiliter cum fine conjuncta ſine intentione finis; hæc enim ſunt correlata, quæ ſine ſe invicem nec concipi nec decerni queunt. *Deus*, inquit ſanctus Thomas qu. 19. art. 5. *ſicut uno actu omnia in eſſentiâ ſuâ intelligit, ita uno actu vult omnia in ſuâ bonitate. Unde ſicut in Deo intelligere cauſam, non eſt cauſa intelligendi effectus, ſed ipſe intelligit effectus in causâ: ita velle finem, non eſt ei cauſa volendi ea quæ ſunt ad finem ... Vult ergo hoc eſſe propter hoc; ſed non propter hoc vult hoc.* Sic artifex v. g. qui ſcalam conficiendam ſibi proponit, facit quidem primum gradum propter ſecundum, & ſecundum propter tertium, & ita inter eos ordinem ponit; ſed non vult unum propter alium: quia unico voluntatis actu ſcalam fabricare decrevit. Sicut autem in illo actu ſimpliciſſimo fingi non poteſt ordo prioris & poſterioris; ita nec in decreto Dei efficaci ſalvandi quoſdam præ aliis; quamvis ille ordo agnoſcendus ſit in ejus effectibus; nam vocatio præcedit juſtificationem, & ad eam ordinatur, & juſtificatio eſt propter ſecuturam glorificationem. Porrò ex hâc ſententiâ, quæ prædeſtinationem nonniſi adæquatè menti objicit, neceſſariò ſequitur prædeſtinationem non eſſe ex præviſis meritis, ſed planè gratuitam. nullus enim ex Catholicis dixerit prædeſtinationem adæquatè ſumptam eſſe ex præviſis meritis, ut paragrapho ſequenti demonſtrabitur.

Alii Theologi, non ſolùm qui jurant in verba Molinæ, ſed etiam plures ex iis, qui propugnant prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita, diſtinguunt inter decretum conferendæ gloriæ, & conferendæ gratiæ, ac retri-

buendæ mercedis pro meritis. 1°. quia finis intelligitur priùs intendi, quàm media eligi, ut qui ſit cauſa electionis mediorum: atqui decretum conferendæ gloriæ eſt finis intentio, & cauſa cur decernantur gratiarum dona tanquam media ad gloriam conſequendam. Item voluntas retribuendi mercedem ſupponit opera & merita: Ergo inter illa decreta eſt diſtinguendum. 2° quia actus miſericordiæ & juſtitiæ in Deo virtualiter diſtinguuntur: atqui decretum efficaciter vocandi & juſtificandi peccatorem, eſt actus miſericordiæ: decretum verò coronandi legitimè decertantem, eſt actus juſtitiæ: Ergo.

Reſpondent Patroni primæ ſententiæ.

Ad primum, diſtinguunt majorem, finis priùs intenditur, quàm media eligantur, ſi voluntas diverſis actibus feratur in finem & media, Concedunt: ſi eodem actu feratur, Negant majorem. Ita S. Thomas cit. qu. 19 art. 5. *Si intellectus ſeorſim intelligat principium, & ſeorſim concluſionem, intelligentia principii eſt cauſa ſcientiæ concluſionis: ſed ſi intellectus in ipſo principio inſpiceret concluſionem.... in eo ſcientia concluſionis non cauſaretur ab intellectu principiorum; quia idem non eſt cauſa ſui ipſius: ſed tamen intelligeret principia eſſe cauſas concluſionis. Similiter.... ſi aliquis uno actu velit finem, & alio actu alia quæ ſunt ad finem, velle finem erit ei cauſa volendi ea quæ ſunt ad finem: ſed ſi uno actu velit finem, & ea quæ ſunt ad finem, hoc eſſe non poterit; quia idem non eſt cauſa ſui ipſius.*

Ne dicas rectè in Deo diſtingui duo decreta reſpectu Angelorum qui ſteterunt, alterum conferendæ gratiæ, alterum retribuendæ gloriæ; id enim verum eſt, quia gratia verſatilis in Angelis non erat infallibiliter connexa cum gloriâ, ut patet ex illis qui cum ſimili gratiâ ceciderunt. Cùm ergo in decreto conferendæ ejuſmodi gra-

tiæ non intelligatur decretum efficax retribuendæ quibuſdam gloriæ, neceſſe eſt agnoſcere aliud conſequens decretum, quo ex prævisâ quorundam perſeverantiâ eiſdem decernatur gloria in mercedem. At in hocce ſtatu perſeverantiæ donum ita connexum eſt cum gloriâ, ut nonniſi unum utriuſque concipiatur decretum.

Ad ſecundum, diſtinguunt minorem: decretum coronandi ſtrenuè decertantem, eſt actus juſtitiæ, ſi ſpectetur in executione, Concedunt: ſi ſpectetur in intentione, negant minorem. Reſponſionis veritas patet in exemplo divitis, qui ita vult ſublevare pauperum inopiam, ut nolit fovere inertiam; ideoque frumenta ſingulis diſtribuenda offert eâ conditione quod vacabunt quibuſdam operibus ſibi prorſus inutilibus. Intentio illa divitis eſt ex omni parte actus miſericordiæ: ſed actualis frumenti diſtributio iis qui laborarunt, eſt actus juſtitiæ.

Quamvis prior ſententia videatur magis ad mentem ſancti Auguſtini, qui, ubi de prædeſtinatione agitur, nuſquam meminit duplicis hujuſce decreti; ſed ſemper ſpectat vocationem ad finem & donum perſeverantiæ tanquam effectus prædeſtinationis ad gloriam, ut videre eſt præſertim in libris de corrept. & grat. de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ: cuilibet tamen liberum erit amplecti quam maluerit opinionem, cùm nec prima ſit neceſſaria ad aſtruendam prædeſtinationem, nec ſecunda ullatenus ipſi adverſetur, modò rectus ſervetur decretorum ordo.

Q. 60. *Quis itaque ſervandus eſt ordo decretorum quæ diſtinguit ſecunda ſententia?*

R. Duæ ſunt oppoſitæ ſententiæ, ex quarum conflictu magnus poſteriore ſeculo diſcordiarum exarſit ignis.

Prima eſt Sectatorum Molinæ, qui volunt prædeſtinationem ad gratiam, ordine priorem eſſe prædeſtinatione ad gloriam, ſicque novum ſuum ſyſtema conſtituunt. 1°. Deus vult voluntate antecedente & conditionatâ omnes homines ſalvos fieri. 2°. ex hâc voluntate decernit omnibus gratias, quarum effectus pendet à libero voluntatis arbitrio, ex quo fit, ut in aliquibus habeant effectum, in aliis verò effectu careant, propterea que vocari ſolent verſatiles. Vide paragr. 2. cap 6. Tractatus de Gratiâ. 3°. Deus per ſcientiam mediam præſciens qui gratiæ conſenſuri ſint, & in eâ uſque ad mortem perſeveraturi, illos tandem ad gloriam æternam prædeſtinat.

Verùm, in iſto ſyſtemate nulla eſt prædeſtinatio ad gratiam; prædeſtinatio enim eſt decretum Dei efficax, & ex dictis in eo differt à providentia ſupernaturali, quâ Deus præparat vel providet etiam reprobis media, quibus finem ſupernaturalem conſequi poſſint. Hinc diximus in ſtatu innocentiæ nullam fuiſſe prædeſtinationem, quamvis Deus voluerit primos parentes ſalvos fieri, eiſque contulerit media ſufficientia; quia reſpectu illorum nullum fuit in Deo decretum efficax, quo infallibiliter in gratiâ perſeverarent, & ad æternam felicitatem pervenirent. Unde hæc ſententia non tam ordinem ponit in Dei decretis erga prædeſtinatos, quam deſtruit, ut unicum aſtruat, quod ſit ad gloriam ex prævıſis meritis per gratiam verſatilem comparatis; & ita homines in ſtatu naturæ lapſæ eo modo, quo Angeli, prædeſtinantur.

Quare plures è Moliniſtis, quos Congruiſtas vocant, hanc ſententiam temperandam cenſuerunt, agnoſcuntque Deum aliquos præ aliis velle efficaciter vocare, & in gratia acceptâ perſeve-

rare; ſed ne bona illa Dei voluntas libertati noceat, definiunt Deum per ſcientiam mediam explorare circunſtantias congruas, ut quibus prævidet voluntatem humanam infallibiliter conſenſuram, ſi in illis gratia offeratur; quod latiùs expoſuimus Tractatu de Gratiâ, parag. ſuperiùs laudato. Hoc autem efficax decretum volunt eorum quidam eſſe ordine prius decreto conferendæ gloriæ.

Secunda ſententia, quæ eſt ſancti Auguſtini & S Thomæ, ac omnium antiquorum Theologorum, prædeſtinationem ad gloriam ponit ordine primam, quia intentio finis ordine ſaltem naturæ præcedit electionem mediorum, cùm ſit illius cauſa; ac proinde in illâ ſententiâ prædeſtinatio ad gloriam eſt prorſus gratuita, & ante prævifionem meritorum, quæ ſunt illius effectus.

Hæc ſummatim exponenda duximus, ut ſint veluti manuductio ad ſequentem diſſertationem de cauſis prædeſtinationis, quæ tot ferè aſſignari ſolent, quot modis prædeſtinatio ſpectari poteſt.

Paragraphus IV.

Referuntur errores circa cauſam prædeſtinationis.

Primus eſt Manichæorum & Priſcillianiſtarum, qui aſſeruerunt cauſam prædeſtinationis & reprobationis eſſe diſpoſitionem ſiderum, ſub quâ quiſque vel concipitur, vel naſcitur.

Refelluntur 1°. ex Scripturâ, Rom. 9. Apoſtolus confodit hunc abſurdiſſimum errorem exemplo Jacob & Eſaü, quorum ſors fuit planè diverſa, licèt ſub eadem conſtellatione fuerint concepti & nati: *Rebecca*, inquit, *ex uno concubitu habens patris noſtri Iſaac, cùm nondum nati fuiſſent*,

qui aliquid boni egiſſent aut mali, aut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt (ſcilicet Malach. 1.) *Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* Hæc quidem dicta ſunt à Prophetâ de beneficiis temporalibus & terrenis, in quibus Jacob prælatus eſt fratri ſuo majori. Sed Apoſtolus verba Prophetæ transfert ad ſenſum myſticum, à Spiritu Sancto intentum; explicatque de ſpiritualibus gratiæ donis, quorum cauſam vult eſſe gratuitam Dei electionem ſecundùm propoſitum, non verò influxum ſiderum, quem probat fuiſſe unum in illos gemellos, cùm fuerint ſimul concepti & nati; Rebecca quippe concepit ex uno concubitu, & Jacob egreſſus eſt ex utero materno, plantam fratris manu tenens, Gen. 15. v. 25. ut nullum eſſet ſpatium temporis inter utriuſque nativitatem. Jerem. 10. v. 2. *Hæc dicit Dominus, juxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.*

Refelluntur 2o. ex Traditione. Sanctus Ambroſius lib. 4. Hexam. cap. 4. multis inſectatur vanitatem artis judiciariæ ex inſpectione ſiderum; probatque aſtra data eſſe inſigna, non futurorum liberorum, ſed temporum, & eventuum naturalium, v. g. pluviæ, ſerenitatis, eclipſeos, &c. Sanctus quoque Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. expendens laudatum Apoſtoli textum Rom. 9. ait: *ex uno concubitu, ut nec Aſtrologis daret locum, vel eis potiùs, quos Genethliacos appellaverunt qui de naturalibus naſcentium mores & eventa conjectant... facilè animadvertunt ſi volunt: reſponſa illa, quæ miſeris venditant, nullius artis expoſitione, ſed fortuitâ ſuſpicione proferri.* Et lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ c. 21. referturque causâ 26. q. 2. c. *illud*, numerat hanc artem inter ſuper-

ſtitioſas

ſtitioſas à moribus Chriſtianorum ablegandas. *Neque illi*, inquit, *ab hoc genere pernicioſæ ſuperſtitionis ſegregandi ſunt qui Genethliaci propter natalium aliorum conſiderationes, nunc autem vulgò Mathematici vocantur. Nam & ipſi, quamvis veram ſtellarum poſitionem, cùm quiſque naſcitur, conſectentur* (quod tamen difficillimum eſt) *& aliquando etiam perveſtigent: tamen quando inde conantur vel actiones noſtras, vel actionum eventa prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miſerabilem ſervitutem.* Et c. 23. docet occulto Dei judicio aliquando evenire, quæ ſic prædicuntur, idque in pœnam conſulentium, *ut iſtis ſuperſtitioſis, & pernicioſis divinationum generibus ... ſeſe magis magiſque inſerant multiplicibus laqueis pernicioſſimi erroris ... omnes igitur artes hujuſmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis ex quâdam peſtiferâ ſocietate hominum, & dæmonum conſtituta, penitus ſunt repudiandæ & fugiendæ Chriſtiano.*

Sanctus Epiphanius lib. de ponderibus, refert Aquilam Ponticum, eruditione interpretandi celeberrimum ab Eccleſiâ fuiſſe ejectum, quòd nativitatum horoſcopis vacaret. Concilium Mediolanenſe primum, 1. part. art. 10. de Aſtrologis ſic ſtatuit: *Aſtrologi, qui ex Solis, Lunæ, & aliorum Aſtrorum motu, figura & aſpectu, de hominum actionibus, quæ à libero voluntatis arbitrio proficiſcuntur, certò aliquid eventuram affirmant, gravibus pœnis plectantur.* Eadem ſanxit Concilium Toloſanum 4. p. cap. 12. ann. 1590. *Qui rerum futurarum, à Deo, liberaque hominis voluntate magnâ ex parte pendentium, prædictiones libri continent, iique, quos Almanachos Arabico vocabulo vocant, omninò prohibeantur ... Quodque conſtitutione ſanctæ memoriæ Sixti quinti eâ de re promulgatâ cavetur, id adamuſſim obſervetur.*

Nec mirum quòd Chriſtianis tam execranda viſa ſit ars illa judiciaria, cùm exoſa etiam fuerit ipſis Paganis; namque ex Dione lib. 49. &

Tacito lib. 17. Aſtrologi ſicut & Præſtigiatores ſunt Româ expulſi. *Genus hominum*, inquit Tacitus, *potentioribus infidum*, *ſperantibus fallax*, *quod in civitate noſtrâ vetabitur ſemper*, *& retinebitur.*

Secundus error eſt Origenis; qui lib. 1. Periat. cap. 7. Platonis Philoſophiam ſecutus, animas noſtras ante mundum corporeum creatas eſſe voluit, atque in illo ſtatu alias bene, alias male egiſſe: & illas ex bonis meritis prædeſtinatas, has contra ex malis reprobatas. Hunc errorem paulò aliter refert S. Auguſtinus lib. de Civ. Dei cap. 23. his verbis: *Animas dicunt factas à Deo, peccaſſe à conditore recedendo, & diverſis progreſſibus pro diverſitate peccatorum à cœlis uſque ad terras diverſa corpora quaſi vincula meruiſſe. Et hunc eſſe mundum, eamque cauſam fuiſſe mundi faciendi, non ut conderentur bona, ſed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur; in libris enim, quos appellat Periarchon, id eſt, de principiis, hoc ſenſit, hoc ſcripſit, ubi pluſquam dici poteſt, miror hominem in Eccleſiaſticis litteris tam doctum & exercitatum non attendiſſe*, &c.

Refellitur 1°. ex Scripturâ Rom. 9. Apoſtolus negat ulla merita aut demerita præceſſiſſe hanc vitam; ſic enim docet de Jacob & Eſaü. *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui*, 2. Cor. 5. v. 10. *Nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis ſui prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* 2°. Ex ſanctis Patribus, Hieronymo epiſt. ad Pammachium, Leone epiſt. 93. Cyrillo Alexandrino lib. in 1. Joan. 3°. Ex definitione Eccleſiæ in Concilio Lateranenſi quarto, ubi ſtatuitur Deum ſimul condidiſſe creaturam corpoream & ſpiritalem.

Tertius error eſt Pelagianorum, qui prædeſtinationis cauſam repetebant ex bonis operibus, viribus naturæ elicitis, cùmque negarent gratiam eſſe neceſſariam ad bene operandum, conſequenter docebant ſolam hominis voluntatem eſſe cauſam, cur prædeſtinarentur alii ad vitam, alii ad mortem, adeo ut ſicut homo per ſolum liberum arbitrium perire poteſt, ita & ſalvari poſſit.

Refelluntur ex Scripturâ Joan. 15. v. 2. *omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Ubi omne opus, quantumcunque bonum videatur, rejicitur tamen, niſi ex Spiritu Chriſti procedat; & v. 4. *Manete in me, & ego in vobis, ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Denique v. 5. *ſine me nihil poteſtis facere.* Vide quæ in hanc rem tradidimus Tractatu de Gratiâ, ubi agimus de Pelagianis & Semipelagianis. Conſule etiam quæ de Gratiâ actuali ibidem dicimus.

Quartus error eſt Semipelagianorum, qui ita appellati ſunt, quòd non in omnibus, ſed in quibuſdam duntaxat Pelagianis conſentirent, nempe confitebantur neceſſitatem gratiæ ad bene operandum; ſed ne videretur Deus injuſtus perſonarum acceptor, requirebant in hominibus cauſam cur alios prædeſtinaret ſive ad gratiam, ſive ad gloriam; alios vero reprobaret. Prædeſtinationis autem cauſas ſtatuebant, orationes, vel ſaltem pium credulitatis affectum, ut Deus ſic conantes ſuâ gratiâ adjuvaret, & ad gloriam perduceret: contrà verò deſereret, qui propoſitam omnibus ſalutem negligerent. Sed cùm urgerentur exemplo parvulorum, qui licèt voluntatem ſuam ſive in bonum, ſive in malum flectere nequeant, alii tamen cum baptiſ-

mo, alii ſine baptiſmo decedunt; recurrebant ad bona opera conditionatè futura, reſpondebantque ideo quoſdam baptiſmi gratiam percipere, alios verò non percipere; quia Deus illos prævidebat eâ bene uſuros, ſi vixiſſent, hos autem minimè.

Refelluntur omnibus momentis quæ proſecuti ſumus Tractatu de Incarnatione, pag. 205. ad pag. 211. ſufficit impræſentiarum tam pernicioſo errori opponere nonnullos Scripturæ textus, qui manifeſtè excludunt præeuntem gratiæ voluntatem, & merita conditionata nunquam futura, Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* 1. Cor. 4. *quis ... te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti?* Ac ne dicat ſe habere bonam voluntatem, quâ ab alio ſe diſcernat, obſtat Apoſtolus tum Phil. 2. *Deus eſt ... qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bonâ voluntate*, nempe ſuâ, non veſtrâ: tum 2. Cor. 3. ubi ait: *non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis*, quæ verba ſanctus Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. ſic adversùs Semipelagianos contorquet; *attendant hîc, & verba iſta perpendant, qui putant ex nobis eſſe fide cœptum, & ex Deo fidei ſupplementum. Quis enim non videat priùs eſſe cogitare quàm credere?*

Extinctum jam pridem Semipelagianorum errorem ſuſcitarunt, mutatis duntaxat vocibus, nonnulli recentiores aſſerentes facienti viribus naturalibus quod in ſe eſt, Deum non denegare gratiam, non quidem ex merito operum naturalium, ſed ex pacto quod Deus pater iniit cum filio; quam novitatem confixit Clerus Gallicanus anno 1700. & nos confutavimus Tractatu de Gratiâ pag. 366.

Exploſis erroribus circa prædeſtinationis cau-

ſas, ſupereſt ut inveſtigemus, quæ tandem ſint veræ illius cauſæ.

Paragraphus V.

De cauſis prædeſtinationis.

Certum eſt 1° cauſam finalem prædeſtinationis eſſe gloriam Dei, *qui prædeſtinavit nos*, inquit Apoſtolus Epheſ. 1. v. 5. & 6. *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*. Et v. 14. *in laudem gloriæ ipſius.*

Certum eſt 2°. nullam eſſe cauſam prædeſtinationis, quatenus eſt actus in Deo entitativè ſpectatus, cùm ſit Deus ipſe, in quo eſſe & velle ſunt quid realiter unum. Unde ſanctus Thomas qu. 23. art. 5. ait neminem fuiſſe ita inſanæ mentis, ut diceret merita eſſe cauſam prædeſtinationis ex parte actûs prædeſtinantis.

Difficultas itaque ſolùm eſt de Prædeſtinationis actu connotativè ſpectato, hoc eſt prout connotat prædeſtinationis effectus, ad quos producendos Deus liberè ab æterno ſe determinavit, an ſcilicet illius detur aliqua cauſa moralis, quæ Deum moverit, ut hos præ aliis prædeſtinaret.

Cùm autem duplex cauſa moralis eſſe poſſit, altera prædeſtinatio externa, altera interna, puta merita, de utrâque hîc inquirendum. Itaque.

Q. 1°. *Eſt ne aliqua cauſa exterior prædeſtinationis?*

R. Conſtat apud omnes Catholicos Chriſtum Dominum eſſe cauſam moralem & meritoriam prædeſtinationis hominum adæquatè ſumptæ & quoad omnes & ſingulos ejus effectus.

Probatur ex Scripturâ, Act. 4. v. 12. *Non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus in quo nos oporteat ſalvos fieri.* Epheſ. 1. v. 3. 4. & 5. *Benedixit nos in omni benedictione ſpi-*

rituali in cæleſtibus in Chriſto. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ. Vide plura de merito Chriſti Tractatu de Incarnatione pag. 168. & de Gratiâ.

Dices: Incarnatio eſt ſingularis effectus prædeſtinationis: atqui Chriſtus ex dictis Tractatu de Incarnatione, non meruit Incarnationem. Ergo.

Nego majorem, quia æternum decretum Verbi incarnandi eſt in gratiam omnium hominum, tam reproborum, quàm prædeſtinatorum; proceditque ex illâ generali voluntate ſalvandi omnes homines, quam diximus pertinere ad providentiam ſupernaturalem, non verò ad prædeſtinationem, quæ eſt decretum efficax eligendi unum præ alio tum ad gloriam, tum ad gratiam, idque per merita Chriſti.

Q. 2°. *Purus homo ornatus gratiâ poteſt ne alteri eſſe cauſa meritoria prædeſtinationis?*

R. Poteſt aliquos effectus prædeſtinationis alteri mereri de congruo, nullos de condigno.

Prima pars probatur 1°. ex Scripturâ, in quâ jubemur orare pro aliis etiam inimicis: *orate pro perſequentibus & calumniantibus vos,* Matth. 5. Quòd autem ejuſmodi orationes aliis proſint ad ſalutem, affirmant duo Apoſtoli, Jac. 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini; multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Et Joan. epiſt. 1. c. 5. *qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* 2°. ex ſancto Auguſtino. lib. de dono perſeverantiæ cap. 12. *Si qui nondum ſunt vocati, inquit, pro iis oremus, ut vocentur; fortaſſis ita prædeſtinati ſunt ut noſtris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, quâ velint.*

eſſe & efficiantur. electi. Ipſemet precibus & lacrymis piiſſimæ matris donatus eſt, & de oratione ſancti Stephani ſic pronuntiat ſer. 381. *Si Martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet.*

Dixi 1°. *effectus*, non ipſam prædeſtinationem, quia Sanctorum preces, correctiones, & alia charitatis officia erga proximum, non illi proſunt, niſi ſit è numero eorum, quos Deus ab æterno efficaciter decrevit vel vocare vel ſalvare, ut docet ſanctus Auguſtinus paſſim in lib. de corrept. & grat. Hinc ſanctus Stephanus non eſt exauditus pro omnibus lapidantibus ſe; quia non omnes erant prædeſtinati. Ergo interceſſio Sanctorum non eſt cauſa meritoria prædeſtinationis aliorum, ſed medium duntaxat, quo Deus in tempore exequitur, quod ab æterno prædefinit.

Dixi 2°. *aliquos effectus*, non omnes; quia nimis abſurdum foret alteri quàm Chriſto tribuere omnes & ſingulas pias cogitationes & motiones, quibus Deus pædeſtinator perducit ad gloriam.

Secunda pars, nempe juſtum aliis non poſſe mereri de condigno, probatur; quia meritum de condigno debet habere ordinem cum præmio, ſive ex naturâ ſuâ, ſive ex Dei inſtituto. Hinc Theologi docent, ubi de merito, juſtum poſſe mereri vitam æternam de condigno; bona verò temporalia, licèt longè inferiora, nonniſi de congruo; quia gratia, per quam meretur, ex naturâ ſuâ tendit ad vitam æternam, nullatenus ad temporalia; atqui gratia in juſtis, ſive ex naturâ ſuâ, ſive ex Dei inſtituto, non habet ordinem ad aliorum ſanctificationem, quemadmodum habet in Chriſto, utpote omnium hominum capite, ex dictis Tractatu de

Incarnatione pag. 151. Unde ſanctus Hieronymus in caput 25. Matth. *Neque*, inquit, *aliorum virtutes poſſunt aliorum vitia ſublevare.* Et S. Auguſtinus Tract. 202. in Joan. *Exaudiuntur omnes Sancti pro ſe ipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur*

Dices contra primam partem reſponſionis: Si Sancti pro aliis mererentur quoſdam effectus prædeſtinationis, ſequeretur aliquos ſalvari partim per merita Chriſti, partim per Sanctorum merita: falſum conſequens, ergo & antecedens.

Nego ſequelam maj. quia Juſti neque orant neque exaudiuntur; niſi per merita Chriſti, quæ in ipſis & per ipſos tanquam per inſtrumenta & organa operantur.

Q. 3°. *Eſt-ne in hominibus aliqua prædeſtinationis cauſa moralis & meritoria?*

R. 1°. Si quæſtio eſt de prædeſtinatione in executione, fide conſtat eſſe in prædeſtinatis cauſam meritoriam ſecundæ gratiæ, ſeu augmenti gratiæ & vitæ æternæ. Ita enim definit Concilium Tridentiuum ſeſſ. 6. can. 24. *Si quis dixerit juſtitiam acceptam non conſervari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolummodo & ſigna eſſe juſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam; anathema ſit.* Et can. 32. de argumento gratiæ ſimul & de vitâ æternâ. *Si quis dixerit .... ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verò mereri augmentum gratiæ, vitam æternam ... anathema ſit.*

Probatur reſponſio ſimul & Eccleſiæ definitio, 1°. ex Scripturâ. De operibus quidem in gratiâ factis habetur Prov. 4. *Juſtorum ... ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem.* 2. Cor. 9. *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* Apoc. ultimo, *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* De vitâ verò æternâ Matth. 5. *merces veſtra copioſa*

eſt in cælis. Matth. 25. *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* 2. Tim. 4. *Reposita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus Judex, non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.*

Probatur 2°. ex Traditione. Sanctus Auguſtinus in Pſal. 7. ſcribit, *juſtum auxilium eſt, quod juſto tribuitur.* Lib. de dono perſeverantiæ cap. 6. *Hoc ergo donum* (perſeverantiæ) *ſuppliciter emereri poteſt, id eſt, ſupplicando impetrare.* Et cap. 16. *Conſtat Deum, alia dediſſe etiam non orantibus, ut initium fidei, alia nonniſi orantibus præparaſſe.* Alii Patres tam frequenter ſunt in illo argumento, ut videatur ſuperfluum verba illorum referre.

R. 2°. De fide quoque eſt prædeſtinationem ad primam gratiam, eſſe prorſus gratuitam, nullamque eſſe ejus cauſam in prædeſtinato; probaturque efficaciter iis omnibus momentis, quibus paragrapho quarto confutavimus oppoſitos errores Pelagianorum & Semipelagianorum.

R. 3°. Eâdem fide divinâ conſtat, prædeſtinationis totalis & adæquatè ſumptæ nullam aliam eſſe cauſam præter Dei miſericordiam; prædeſtinatio enim ſic ſpectata includit decretum efficax dandæ primæ gratiæ quæ in prædeſtinato nullum præſupponit meritum, nullamve diſpoſitionem. Unde hæc reſponſio probatur iiſdem momentis, quibus præcedens.

Controvertitur itaque ſolùm in Scholis de prædeſtinatione in intentione ſpectatâ, tum ad gloriam, tum ad gratiam ſecundam, quam diximus in tempore concedi ob præcedentia merita.

Moliniſtæ juxta ſuum ſyſtema, & ordinem decretorum à ſe conſtitutum, de quibus paragrapho tertio, contendunt prædeſtinationem

meritis, ſed contra eſt meritorum & perſeverantiæ cauſa.

Reſpondent Adverſarii, in ejuſmodi textibus ſermonem eſſe de prædeſtinatione completâ & adæquatè ſumptâ, quæ eſt ante prævila merita; agitur enim de iis qui credunt, qui vocem Paſtoris audiunt, quique in eo quod acceperunt, perſeverant, quæ omnia pertinent ad gratiam: ii autem, qui prævidentur gratiæ conſenſuri, & in eâ uſque in finem permanſuri, conſequenter eliguntur ad gloriam, *vitam æternam do eis*, inquit Chriſtus. Eis, inquam, jam credentibus, jam ovibus factis, & ſuppliciter promerentibus perſeverantiæ donum; nam ex ſancto Auguſtino ſupra laudato, illud donum ſupplicando impetrari poteſt: Ergo, inquiunt, in laudatis textibus is facilè deprehenditur decretorum ordo, nempe ſecundùm noſtrum concipiendi modum, priùs gratuito decernitur prima gratia, quæ eſt radix totius meriti, deinde donum perſeverantiæ ex recto gratiæ uſu præviſo, ac tandem vita æterna.

Contra agitur in laudatis textibus de iis, qui vel tentationibus eripiuntur, vel qui in tentationibus poſiti non pereunt, nec perire poſſunt. Quinam autem ſunt illi? An omnes ad primam gratiam efficaciter vocati & juſtificati? Minimè; certum quippe eſt quòd multi ex iis pereant. Sed illud eſt electorum privilegium, quòd perire non poſſint. Unde autem electi? ex invictâ animi fortitudine contra tentationes, & perſeverantiâ in bonis operibus. Imò Chriſtus illam conſtantem & invictam fortitudinem manifeſté repetit ex antecedente illorum electione.

Confirmatur expoſitio ex ſancto Auguſtino, lib. de cor. & gr. cap. 9. *Nec nos moveat*, inquit,

quòd filiis ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam perſeverantiam; abſit enim ut ita eſſet, ſi de illis pr. deſtinatis eſſent, & ſecundùm propoſitum vocatis, qui verè ſunt filii promiſſionis. Nam iſti cùm piè vivunt, dicuntur filii Dei; ſed quoniam victuri ſunt impiè, & in eâdem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præſcientia Dei, de quibus ait... Joannes: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Quòd ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum... *Erant itaque in bono; ſed quia in eo non permanſerunt... non erant, inquit, ex nobis... quoniam qui verè filii ſunt, præſciti & prædeſtinati ſunt conformes imagines filii ejus, & ſecundùm propoſitum vocati ſunt, ut electi eſſent... Hi ergo Chriſto intelliguntur dari, qui ordinati ſunt in vitam æternàm. Ipſi ſunt illi prædeſtinati, & ſecundùm propoſitum vocati; quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finis hunc vitam, quoniam ſic eſt ordinatus, & ideo Chriſto datus, ut non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et infrà: *propter hoc Apoſtolus, cùm dixiſſet:* ſcimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, *ſciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono uſque in finem non permanere, mox addidit;* his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt.. *Oſtendens autem quid ſit ſecundùm propoſitum vocari, mox addidit ea, quæ jam ſuprà poſui;* quoniam quos ante præſcivit & prædeſtinavit... illos & vocavit, *ſcilicet ſecundùm propoſitum. Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperantur in bonum, uſque adeo prorſus omnia, ut etiamſi qui eorum deviant & exorbitant, hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt & doctiores.*

Diceres ſanctum Doctorem his verbis ex profeſſo refellere Moliniſtas: quid ita? Quia textus à nobis laudati, quos hîc manibus verſat, eorum ſyſtema funditus ſubvertunt. Nunquid enim Juſtus, qui à juſtitia ſua per peccatum cecidit,

meretur perſeverantiæ donum, cùm peccato ejus debeatur pœna æterna? Accipiet tamen illud donum, ſi prædeſtinatus ſit, imò illud ipſum peccatum, quod in altero eſt cauſa damnationis, ipſi cooperatur in bonum: Ergo prædeſtinatio in intentione, ſive ad gloriam, ſive ad perſeverantiam, non eſt ex prævifis meritis; ſed potiùs illa efficit; licèt in tempore Deus efficacia ſua decreta exequatur per merita.

Apoſtolus eandem doctrinam, quam à Chriſto, non per hominem, ſed per revelationem acceperat, in gentibus diſſeminavit, maximè in epiſtolâ ad Romanos, in quâ totam prædeſtinationis œconomiam ad gratuitam Dei voluntatem refert tanquam ad unicam ejus cauſam, cujus effectus ſunt vocatio, juſtificatio, & glorificatio; *Nam*, inquit cap. 8. *quos præſcivit: & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus; quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Hæc ſcribit Apoſtolus, ut probet quæ præmiſerat, nimirum omnia cooperari in bonum diligentibus Deum, non quidem omnibus; ſed iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti; quia, quos ita præſcivit, id eſt, prædilexit, ſeu præſciendo prædeſtinavit, hos primùm efficaciter vocavit, & jam juſtificatos invictiſſimè ad gloriam perduxit. Unde concludit in hæc verba, *quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ... ſed in his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos*; ſcilicet ſpeciali & efficaci illo modo.

Sed cùm iſta non omnes ſpectent, ſed ſolos filios promiſſionis, meritòque quæri poſſit, quæ ſit hujuſce diſcretionis cauſa, Apoſtolus capite

ſequenti, nempe nono, multis probat non eſſe volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei, qui, ſicut figulus ex eodem luto facit vaſa alia quidem in honorem; alia verò in contumeliam; ita ex eadem maſsâ generis humani per peccatum infectâ, & ideo reprobatione dignâ, quos voluit ſecundùm divitias bonitatis ſuæ, præparavit in gloriam, quos & vocavit non ſolùm ex gentibus, ſed etiam ex Judæis, quia, ut loquitur cap. 11. *Non repulit plebem ſuam, quam præſcivit*, ſeu prædilexit. Cur autem non omnes, cùm in omnem terram exierit ſonus Evangelii, nec alii aliis ſint digniores, permiſeritque Deus omnes concludi ſub peccato & ſub incredulitate, ut omnium miſereretur? capitibus 10. & 11. Reſpondet Apoſtolus exclamando rem eſſe inſcrutabilem, ſatiſque nobis eſſe, quòd noverimus Deum nemini quidquam debere: *O altitudo*, inquit, *divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus? .. quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* At non ſolùm juxta Pelagianos & Semipelagianos, ſed etiam juxta Moliniſtas, cuilibet etiam idiotæ in promptu erat reſponſio, nempe ſalutem noſtram in manu liberi noſtri arbitrii, Deum voluntate antecedente & conditionata velle omnes homines ſalvos fieri, ipſorum eſſe efficacem reddere gratiam quæ comitatur prædicationem Evangelii, ac proinde cùr alii ſalventur, alii reprobentur, aliam cauſam, præter liberum hominis arbitrium, non eſſe aſſignandam. Sed Apoſtolus non ſecùs ac Auguſtinus neſcivit ejuſmodi ſyſtema, ideoque recurrit ad inſcrutabilia Dei judicia, qui non ſimiliter omnes vocat ſibi, quoſdam quidem ſecundùm propoſitum, hoc eſt efficaciter, alios non ita;

quia cujus vult miſeretur, & quem vult indurat, non inſpirando malitiam, ut blaſphemat Calvinus, ſed non impertiendo gratiam efficacem. Ergo in mente Apoſtoli tota œconomia ſalutis humanæ pendet ex prædeſtinatione antecedente.

Duo reſpondent oppoſitæ ſententiæ Patroni. 1o. Apoſtolum loqui de vocatione ad fidem Evangelii, vel ad ſummum de prædeſtinatione adæquatè ſumptâ, non verò de prædeſtinatione ad gloriam præcisè. 2o. laudatos textus oſtendere duntaxat ſpecialem Dei amorem reſpectu mediorum, qualem cernere eſt in principe qui iter aggreſſurus æqualiter vult omnes domeſticos ſubſequi; ſed quoſdam pedeſtres relinquit, aliis verò equos ſuppeditat, ut commodiùs viam conficiant. Similiter Deus quibuſdam ſingulari benevolentiâ tribuit auxilia commodiora & magis congrua, quæ aliis denegat: quærentem verò, quæ ſit hujuſmodi diſcretionis cauſa, revocat Apoſtolus ad inſcrutabilia Dei judicia, interprete ſancto Auguſtino, lib. de Spiritu, & lit. c. 34. *Si illam*, inquit, *profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut illi perſuadeatur, illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat, ô altitudo divitiarum, & nunquid iniquitas apud Deum. Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptiores.* At de ultimo fine non ita eſt; cùm enim omnibus proponatur ut merces, non poteſt antecedenter intendi niſi conditionatè, nec proinde abſolutè decerni niſi præviſis meritis.

Contra 1o. Apoſtolus loquitur etiam de iis qui jam credunt & Deum diligunt, quorum alii in tribulationibus deficiunt, alii virtutis & meriti augmentum accipiunt ex eo quòd

hi, non illi, ad juſtitiam vocati ſint ſecundùm propoſitum ſeu antecedens decretum efficax; nam quos ſic præſcivit ſeu prædilexit & prædeſtinavit, hos vocavit, juſtificavit, & glorificavit, adeo ut in electis omnis gratiarum ordo & connexio, in mente Apoſtoli, pendeat ex antecedente Dei propoſito & prædeſtinatione ad gloriam.

Contrà 2°. longè diſpar eſt ratio principis in allato exemplo & Dei antecedenter volentis hominum ſalutem. Princeps quippe certus eſt omnes domeſticos ſecuturos, ſive habeant vehicula, ſive non habeant. Unde benevolentia ejus erga aliquos ſpectat ſolùm media. At de fide eſt, ut infrà dicitur, neminem ſine ſpeciali dono perſeverantiæ ſalutem eſſe conſecuturum, & cum illo infallibiliter perſeveraturum. Ut ergo ſit omnimoda paritas, ſupponatur neceſſe eſt nullum è domeſticis principem ſecuturum ſine vehiculo: in illâ autem hypotheſi concipi non poteſt principem velle æqualiter omnes domeſticos ſequi, ſi aliquibus duntaxat equos præbeat, ceteris neglectis. Atqui in præſenti controverſiâ hæc duo certa ſunt, 1°. donum perſeverantiæ non omnibus eſſe conceſſum. 2°. neminem cum ejuſmodi dono poſſe perire, ſed omnia in ejus bonum cooperari, etiam peccata, ut ſuprà docebat ſanctus Auguſtinus: Ergo Deus antecedenter vult ſpeciali modo gloriam concedere iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti, & quos perſeverantes facit.

Nec dicas donum perſeverantiæ decerni ex prævifis meritis, cùm illud, juxta S. Auguſtinum, ſuppliciter emereri poſſimus: namque 1°. parvuli ſtatim poſt ſuſceptum baptiſma decedentes, ſine ullis meritis perſeverantiæ donum accipiunt: ſi quis autem contendat Deum eo

ipſo non velle efficaciter parvulo jamjam morituro dare perſeverantiam & gloriam, quo vult gratiam baptiſmi conferri, is quoque afferat eum, qui faciem ardentem admovet paleæ, non velle efficaciter paleam comburi, & riſum audientibus movebit; in illis quippe parvulorum circumſtantiis, in quibus ſuperna Dei judicia agnoſcenda, non caſus fortuitus, quemadmodum docet S. Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 12. donum perſeverantiæ & gloria non minùs neceſſariò connexa ſunt cum gratiâ baptiſmi, quàm inflammatio paleæ cum facis ardentis admotione. 2°. quòd ex adultis diligentibus Deum alii actu & de facto orent quantùm neceſſe eſt, ut eis perſeverantiæ donum in tempore concedatur, tribuendum non eſt libero arbitrio in omnibus juſtis gratiâ ſufficienti adjuto, ſed efficaci auxilio, quo fit ut electi indeclinabiliter & inſuperabiliter uſque in finem perſeverent. *Unde ſatis dilucidè attenditur*, inquit S. Auguſtinus lib. de Dono perſeverantiæ cap. 13. *& inchoandi & uſque in finem perſeverandi gratiam non ſecundùm merita noſtra dari: ſed dari ſecundùm ipſius ſecretiſſimam, eandemque juſtiſſimam, ſapientiſſimam, beneficentiſſimam voluntatem; quoniam quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit, vocatione illâ, de quâ dictum eſt*, ſine pœnitentiâ ſunt dona & vocatio Dei.

Conſtat igitur ex Scripturis prædeſtinationem ad gloriam eſſe gratuitam & ante præviſa merita, nec obſtat quòd ex eiſdem Scripturis gloria retribuatur titulo mercedis, quæ ſupponit bona opera & merita; quia, ut obſervavimus Parag. 3. prædeſtinatio duobus modis ſpectari debet, nimirum in executione & in intentione. In executione quidem verè eſt renumeratoria: in intentione verò eſt prorſus gratuita, & cauſa

efficax bonorum operum & meriti, adeo ut juxtà S. Auguſtinum Epiſt. 194. aliàs 105. cap. 5. *cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat quàm munera ſua . . . unde & ipſa vita, æterna etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud, niſi quia gratis datur, nec ideo quia non meritis detur, ſed quia data ſunt & ipſa merita quibus datur.*

Probatur 2°. ex Sanctis Patribus.

De ſancto Auguſtino nullum poteſt eſſe dubium, ut qui ex profeſſo ſcripſerit libros de cor. & grat. de prædeſt. Sanctorum, & de dono perſeverantiæ ad ſtabiliendam prædeſtinationem gratuitam & ante præviſa merita. Præter textus ex iis libris jam exceptos ad vindicandam Scripturam pro ſententiâ, quam propugnamus, duos ex benemultis inſignes proferimus, quia adverſariis occludunt conſuetum effugium, quo ſcilicet Scripturæ, & SS. Patrum verba de prædeſtinatione ad gratiam interpretari conantur.

Primus locus legitur cap. 17. lib. de prædeſtinatione Sanctorum, ubi ſic ſcribit ſanctus Doctor, *electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem, ea prædeſtinatione, quâ Deus ſua facta præſcivit: electi ſunt è mundo eâ vocatione, quâ Deus, id quod prædeſtinavit implevit; quos enim prædeſtinavit, ipſos & vocavit, illâ ſcilicet prædeſtinatione ſecundùm propoſitum, non alios: ſed quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit, non alios: ſed quos ita vocavit, ipſos & juſtificavit, nec alios: ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, ipſos & glorificavit.* Hîc perſpicuè ſanctus Doctor diſtinguit inter prædeſtinatos ad gratiam, & prædeſtinatos ad gloriam.

Illi quippe, quamvis efficaciter vocati & juſtificati, non perſeverant nec coronantur, quia nec vocati nec juſtificati ſunt ſecundùm propoſitum: hi verò ſecundùm propoſitum vocati & juſtificati certiſſimè gloriam conſequuntur, *quos*

ita vocavit, ipſos & juſtificavit, nec alios; ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, ipſos & glorificavit.

Secundus locus habetur lib. de Cor. & Gr. cap. 14. ubi ſanctus Auguſtinus comparans prædeſtinationem hominum ad gloriam cum electione Saülis & Davidis ad regnum, ſic concludit, *ſi ergo cùm voluerit reges in terrâ conſtituere, magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas, quis alius facit, ut ſalubris ſit correptio, & fiat in corde correpti correctio, ut cœleſti conſtituatur in regno.* Ergo prædeſtinatio ad regnum eſt cauſa cur correptio proſit electis.

Si Sectatores Molinæ in verba Magiſtri jurarent; eam fuiſſe ſancti Auguſtini, quam exponimus mentem, non irent inficias; cùm ipſe Molina in ſuo libro de Concordia non ſemel agnoſcat ſe in hâc parte à S. Auguſtino diſſentire, ut qui non attenderit *prædeſtinationem & reprobationem non eſſe ſine præſcientia qualitatis uſûs liberi arbitrii*, ut loquitur qu. 23. pag. 332. & pag. 491. *Neque vero*, inquit, *dubito quin ab Auguſtino & ceteris Patribus unanimi conſenſu comprobata fuiſſet hæc noſtra de prædeſtinatione ſententia.*

Longiùs progreſſus eſt Anonymus, qui hiſce diebus (cùm ſcilicet hoc opus in lucem primùm edebatur). inſolentiſſimâ temeritate fœtidum evulgavit libellum cenſurâ Illuſtriſſimis Remenſis Archipræſulis, Sorbonæ noſtræ Proviſoris meritiſſimi, ſtatim pretritum, in quo ſanctum Auguſtinum, præclariſſimum Eccleſiæ lumen*, tanquam Novatorem proſcindit; aſſeritque ejus opinionem, tandem ab inſigni ejus diſcipulo Proſpero fuiſſe rejectam uti pernicioſam, ac deinceps ab egregiis antiquæ doctrinæ Defenſoribus impugnatam.

Quamobrem (licèt Eccleſia hactenus non de-

finierit prædeſtinationem ad gloriam præcisè, eſſe ante prævifa merita, modò admittatur ſpeciale donum perſeverantiæ, & prima gratia ita ex parte Dei gratuita, ut naturales liberi arbitrii conatus aut diſpoſitiones non ſint ratio, cur uni potiùs, quàm alteri præparata ſit, ut Schola Molinæ cum omnibus Catholicis profitetur) nobis jam probandum incumbit S. Auguſtinum nihil innovaſſe, doctrinamque ejus, quam ex Scripturis invincibiliter erui oſtendimus, eſſe traditam à Patribus qui illum præceſsêre, & religiosè retentam ab iis qui ſubſecuti ſunt.

Ac primò quidem ille non innovavit circa myſterium gratiæ, qui contra Pelagianos ac Semipelagianos traditam à Patribus doctrinam invictiſſimè propugnavit : atqui talis eſt ſanctus Auguſtinus : Ergo.

Minor probatur, 1°. ex teſtimonio S. Hieronymi in epiſtolâ, quam jam ſenior ſcripſit ad ſanctum Auguſtinum juniorem ; *macte virtute*, inquit, *in orbe celebraris : Catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur atque ſuſpiciunt.* 2°. Si ſanctus Doctor defeciſſet ab antiquâ Eccleſiæ doctrinâ, defeciſſent & Summi Pontifices Innocentius I. Zozimus, Bonifacius I. Celeſtinus I. & Sixtus III. quorum conſilio & auxilio, litteris datis & acceptis, Pelagianos profligavit, quin & Celeſtinus illi ſuperſtes ejus doctrinam laudavit & commendavit in epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ : *Auguſtinum*, inquit, *ſanctæ recordationis virum, pro vitâ ſuâ atque meritis in noſtrâ communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam ante à meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt : utpote qui utique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde reſiſtatur*

talibus, quos malè creſcere videmus. Semipelagianos notat, quos impudentiſſimus Anonymus non veretur laudare tanquam egregios antiquæ fidei Defenſores; in ſuo quippe libello appellat Fauſtum Regienſem, cujus ſcripta damnavit Gelaſius Summus Pontifex, Gennadium, Arnobium juniorem, & quos faviſſe Semipelagianis nemo neſcit. 3°. Quia ſanctus Doctor doctrinam ſuam confirmat auctoritate præcedentium Patrum, v. g. Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Ambroſii, & ex precibus univerſalis Eccleſiæ. Ait quippe ſanctus Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 4. *in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.* Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 44. teſtatur corde credere, & ore confiteri domum Dei eſſe. *Dabit*, inquit, *certus ſum, qui dedit quod primum eſt, dabit & quod ſecundum eſt.* Et S. Ambroſius lib. de fugâ ſeculi cap. 1. *Non eſt in poteſtate noſtrâ cor noſtrum & noſtræ cogitationes;* lib. 1. in primum caput Lucæ, *ut Deus honorificetur à ſancto, Dei gratia eſt;* & lib. 7. *Si voluiſſet, ex indevotis devotos feciſſet.* Sanctus etiam Baſilius in oratione ſacri Altaris (quam penè univerſus frequentat Oriens, ex Petro Diacono ob queſtiones fidei cum aliis Romam miſſo circa annum 520. in epiſtolâ ad Epiſcopos in Sardiniâ exules) ſic precatur: *malos quæſumus bonos facito, bonos in bonitate conſerva; omnia enim potes & non eſt qui contradicat tibi: cùm enim volueris, ſalvas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ.*

At, inquiebant Semipelagiani lib. de dono perſever. apud Veteres ne verbum quidem de prædeſtinatione, nec minùs utiliter ſine ejus definitione (quâ fidelium corda turbantur,) fides Catholica defenſa eſt.

Reſpondet ſanctus Auguſtinus cap. 19. Veteres eo ipſo cenſentur agnoviſſe & prædicaſſe prædo-

ſtinationem, quo confeſſi ſunt omnipotentiſſimam Dei gratiam; *numquid enim quiſquam eos dicturus eſt ita confeſſos iſtam Dei gratiam, ut auderent negare ejus præſcientiam, quam non ſolùm docti, ſed indocti etiam confitentur? Porrò ſi hæc ita noverant Deum dare ut non ignorarent eum daturum ſe eſſe præſciſſe.. proculdubio noverant prædeſtinationem.* Addit cap. 20. ſe de prædeſtinatione in prioribus libris ita ſenſiſſe, ac impræſentiarum, quamvis tam disertè ejus definitionem non expreſſerit; *quam*, inquit, *poſtea diligentiùs & operoſiùs, cùm jam contra Pelagianos diſputaremus, defendere neceſſitas compulit. Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret.*

Quòd ſpectat eos, qui poſt S. Auguſtinum in Eccleſia claruerunt, doctrinam de prædeſtinatione à Veteribus traditam, & ſcriptis ſancti Doctoris luculenter elucidatam vigilantiſſimè cuſtodierunt.

Sanctus Proſper totus fuit in illâ vindicandâ contra Semipelagianos, præſertim in opere contra Collatorem, & in reſponſis ad Capita Gallorum; unde Anonymus aperti mendacii convincitur.

Sanctus Hormiſdas, qui ſexto ſeculo regebat Eccleſiam, magnificè de doctrinâ ſancti Auguſtini ſcripſit ad Poſſeſſorem: *de arbitrio tamen libero*, inquit, *& gratiâ Dei quid Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia, licèt in variis libris beati Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum poſſit cognoſci*, &c.

Sanctus Gregorius Magnus de prædeſtinatione eodem planè modo, quo ſanctus Auguſtinus loquitur lib. 1. Dial. cap. 8. *Ipſa quoque*, inquit, *perennis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotente Deo*

diſpoſita, ut ab hoc electi pro labore perveniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſæcula diſpoſuit dare.

Sanctus Bernardus Serm. 23. in Cant. num. 17. expendens verba 1. Joan c 5. *Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed generatio Dei conſervat eum,* ſic habet: *generatio cœleſtis æterna prædeſtinatio eſt, quâ electos ſuos Deus dilexit . . . hos ergo advertit quaſi nunquam peccaſſe: quoniam etſi quâ deliquiſſe videntur in tempore, non apparent in æternitate, quia charitas Patris ipſorum cooperit multitudinem peccatorum.* Quid magis gratuitum concipi poteſt? Et Serm. 78. num. 3. *Intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere noſtræ ſalutis tria eſſe quædam, quæ ſibi vindicat auctor Deus, prævenitque in illis auxiliatores & cooperatores ſuos prædeſtinationem, creationem, inſpirationem.* Ergo in mente S. Bernardi, ſicut creatio & inſpiratio non ſunt ex prævisis meritis; *inſpiratio quippe,* ait, *fit ubi & quando vult Deus,* ita nec prædeſtinatio.

Sanctus Thomas 1. part. qu. 23. art. 5. ad 3. *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habeo rationem, niſi divinam voluntatem. Unde Auguſtinus dicit ſuper Joannem; quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle dijudicare, ſi non vis errare, ſicut ex ſimplici voluntate artificis dependet quòd ille lapis eſt in iſtâ parte parietis, & ille in aliâ, quamvis ratio artis habeat quod aliqui ſint in hac, & aliqui in illâ. Neque propter hoc eſt iniquitas apud Deum, ſi inæqualia non inæqualibus præparet: in his enim quæ ex gratiâ dantur, poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult plus vel minùs abſque præjudicio juſtitiæ.*

Denique Petavius inter Theologos Societatis doctiſſimus Theolog. dogmatum lib. 9. c. 6. de doctrinâ ſancti Auguſtini ſic habet: *cujus de gratiâ ſententiam quotquot deinceps conſecuti ſunt Patres & Doctores, tum verò Eccleſiæ Romanæ Præſules; Præſu-*

lumque conventus aliorum ratam & Catholicam eſſe judicarunt, ut hoc ſatis magnum putarent veritatis argumentum, quòd ab Auguſtino poſitum ac decretum eſſe conſtaret. Similia habet Cardinalis Bellarminus ejuſdem Societatis, lib. 2. de gratiâ & libero arbitrio cap. 11.

Hinc eſt quòd Clerus Gallicanus, ubi agebatur de proſcribendo Janſenii libro, cui titulus eſt, *Auguſtinus*, quaſi in eo exponatur genuina ſancti Auguſtini ſententia, ne videretur tanti Doctoris doctrinam de Gratiâ in dubium revocare & novo examini ſubjicere, ſolemniter declaraverit ſe eam velle ſartam tectamque ſervari. Eâdem mente Eminentiſſimus Cardinalis *de Noailles* Pariſienſis Archiepiſcopus anno 1696. in cenſurâ, die 20. Auguſti, quâ notavit quemdam libellum, in quo quinque famoſæ propoſitiones ſæpius damnatæ reſtituebantur, cautè iſta ſubjunxit: *Qu'on ſe garde bien de penſer que les Saints Peres, qui nous ont donné ces veritez ſaintes, & en particulier S. Auguſtin, ayent excedé .... & bien loin qu'il y ait rien d'exceſſif dans les derniers livres, dont les ennemis de la Grace ont paru plus émûs, ce ſont ceux où un ſçavant Pape a voulu principalement que l'on apprit ſur la Grace & ſur le libre arbitre, les ſentimens de l'Egliſe Romaine... Nous exhortons les Prédicateurs & les Confeſſeurs, & leur enjoignons par l'autorité du S. Eſprit, qui nous a établi Paſteur pour gouverner l'Egliſe de Dieu, de s'attacher fidellement à la ſainte doctrine que nous propoſons.* Denique Illuſtriſſimus Remenſis Archiepiſcopus, de quo jam ſuprà, anno 1697. die 15. Julii Mandatum ad Academiam Remenſem direxit, in quo graviſſimis momentis eam monet, ne recedat à majorum ſuorum doctrinâ & hactenus ſervatâ, circa prædeſtinationem gratuitam; atque ne unquam hujuſce Mandati memoria deleatur, illud in commentariis ejuſdem Academiæ inſeri præcepit.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, ex perpetuâ Eccleſiæ Traditione probata manet prædeſtinatio ad gloriam ante præviſa merita.

Probatur 3°. ratione, quam urget S. Thomas; quia agens ordinatè, priùs intendit finem quàm media; intentio quippe finis eſt cauſa electionis mediorum: quis v. g. domum ædificat, vel remedia adhibet, niſi commodam habitationem aut ſanitatem intendat? atqui gloria eſt finis, merita verò ſunt media: Ergo priùs intenditur gloria quàm merita.

Reſpondent oppoſitæ ſententiæ patroni, finem dupliciter poſſe intendi, ſcilicet conditionatè & abſolutè, tum verò neceſſe eſt conditionatè intendatur, cùm obtinendus non eſt niſi ut merces, & dependenter ab alterius voluntate & meritis: porrò intentio illa conditionata, quæ ſanè præcedit, non eſt prædeſtinatio, ut ſuprà obſervatum eſt.

Contra. Hæc quidem vera ſunt, ubi agens aſſumit media probabilia, quorum uſus & effectus pendet à determinatione voluntatis alienæ; unde ſuprà diximus prædeſtinationem Angelorum, qui perſeveraverunt, fuiſſe ex præviſis meritis; quia gratia verſatilis non erat in eis medium per ſe efficax infallibile: ſed falſum & longè abſurdiſſimum, eum finem non velle abſolutè, ſed tantùm conditionatè, qui aſſumit media per ſe efficacia infallibiliter & inſuperabiliter cum fine connexa, quippe cùm in ſuâ poteſtate habeat voluntatem alterius, dat illi velle, operari, & perſeverare, ac proinde ipſa merita. Quis enim crederet Judicem ſeriò reſpondere matri pro vitâ filii homicidæ ſupplicanti, conditionatè volo ipſi ſervare vitam, ſed abſolutè decrevi illum capite damnare? Porrò donum perſeverantiæ, ſine quo nullus in hoc

ſtatu gloriam conſequitur, non minùs eſt connexum cum vitâ æternâ, quàm capitis damnatio cum morte.

Quomodo autem cum decreto antecedenter abſoluto & efficaci concilienter libertas & ratio meriti ac mercedis, oſtendimus ſupra ad calcem parag. 2. cap 15. ſed alia ſuperſunt momenta ſequenti paragrapho ſolvenda.

Paragraphus VII.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1°. Matth. 25. Regnum cœlorum dicitur paratum electis, ſicut ignis æternus diabolo: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi; eſurivi enim.* &c. infra. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus; eſurivi enim*, &c. Atqui ignis æternus paratus eſt diabolo propter demerita: ergo & regnum cœlorum electis propter eorum merita.

Nego majorem; quia verba illa, *eſurivi enim & dediſtis, & non dediſtis*, referuntur ad præcedentia, *venite, poſſidete, diſcedite*, ſolumque denotant regnum cœlorum, vel ignem æternum retribui pro meritis aut demeritis, coguntque ad hanc interpretationem textus ſuprà allati, ex quibus evidenter collegimus prædeſtinationem & antecedens Dei propoſitum eſſe cauſam perſeverantiæ & meritorum.

Objicies 2°. Sanctus Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. num. 4. multis probat electionem præſupponere juſtificationem, & bona opera: *quomodo eſt enim*, inquit, *juſta aut qualiſcunque omnino electio, ubi nulla diſtantia eſt? ſi enim nullo merito electus eſt Jacob, . . . nec omnino eligi potuit, nulla*

exiſtente differentiâ.... Non itaque electus eſt ut fieret bonus, ſed bonus factus eligi potuit. Et num. 6. *non ergo ſecundùm electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio, id eſt, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideò manet propoſitum juſtificationis ipſius; ſed quia illud manet ut juſtificet credentes, ideò invenit opera quæ jam eligat ad regnum cœlorum... non electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio; nemo enim eligitur, niſi jam diſtans ab illo qui rejicitur.* Ergo in mente ſancti Auguſtini electio ad gloriam eſt ex prævisis meritis. Hic eſt aries adverſariorum.

Diſtinguo conſeq. electio in executione, Concedo: in intentione, Nego conſeq. alioquin ſanctus Auguſtinus manifeſtè ſibi contradiceret, ut qui tam conſtanter aſſerat Deum eligendo bonos facere, & merita miſericorditer tribuere, non præſupponere, *electi ſunt*, inquit citato cap. 17. de prædeſtinatione Sanctorum, *eâ prædeſtinatione, in quâ Deus ſua futura facta præſcivit: electi ſunt de mundo eâ vocatione, quâ Deus id quod prædeſtinavit, implevit.* Et infrà: *Elegit ergo Deus fideles, ſed ut ſint, non quia jam erant... Eligendo ergo facit divites in fide, ſicut heredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur: quod ut in eis faciat, eos elegit.* Quibus verbis ſanctus Doctor luculenter probat electionem nulla præſupponere merita, ſed ea facere.

Reſpondent alii ſanctum Auguſtinum in poſterioribus libris non mutaſſe quidem ſententiam; cùm in libro primo Retractationum non retractet, imò probet quæ ſcripſerat ad Simplicianum; ſed mutaſſe modum loquendi; nam in primo libro ad Simplicianum diſtinguit inter electionem & propoſitum ſeu prædeſtinationem: adeò ut velit propoſitum eſſe cauſam electionis: *non ergo*, inquit, *ſecundùm electionem propoſitum*

Dei manet, ſed ex propoſito electio. In poſterioribus vero libris electio, propoſitum & prædeſtinatio ſunt apud ipſum termini ſynonymi, & idem prorſus ſignificant, *elegit ergo Deus fideles, ſed ut ſint, non quia jam erant:* ubi electio ſicut & prædeſtinatio non ſupponit meritum, ſed facit. Unde juxta hanc reſponſionem, in formâ diſtingui debet conſequens; in mente ſancti Auguſtini electio ad gloriam eſt ex prævisis meritis: electio, inquam, ut diſtincta à prædeſtinatione & propoſito; Concedo: electio ſumpta pro ipsâ prædeſtinatione & propoſito. Nego conſeq. hæc ſolutio quoad ſenſum eadem plane eſt cum præcedente, ſed ampliùs ſatisfacit, quia mentem ſancti Doctoris meliùs explicare videtur.

Inſtabis: Ex dictis de fide non eſt prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante præviſa merita; atqui ſanctus Auguſtinus libro de prædeſtinatione Sanctorum c. 19. aſſerit prædeſtinationem, de quâ tractat, pertinere ad fidem: *Hoc ſcio*, inquit, *neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſacras defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.* Ergo ſanctus Auguſtinus non agit de prædeſtinatione ad gloriam; ſed vel ad gratiam duntaxat, vel ad ſummum de prædeſtinatione adæquatè ſpectatâ.

Diſtinguo minorem. Sanctus Auguſtinus aſſerit ad fidem pertinere prædeſtinationem, de quâ tractat, ita ut eam gratuitam probet ex antecedente Dei propoſito & efficaci decreto dandi gloriam: ut jam oſtendimus, Concedo: ita ut eam probet duntaxat ex decreto conferendi gratiam in tempore, ſuſpenſo decreto dandi gloriam, Nego minorem & conſeq. Equidem ſcopus ſancti Auguſtini in his poſterioribus libris eſt, ut evincat contra Semipelagianos initium fidei & perſeverantiam in bo-

rio eſſe ſpecialia Dei dona non omnibus conceſſa, ſed iis duntaxat, qui ſunt prædeſtinati & ſecundùm propoſitum vocati; & ita exponit fidem Catholicam (ſcilicet initium fidei & perſeverantiam eſſe dona Dei) non juxta ordinem decretorum quem ſtatuunt Moliniſtæ, definientes Deum priùs decreviſſe dare gratiam, quàm gloriam; ſed contrà ex decreto ſeu propoſito dandi electis gratiam, colligit Deum conſequenter dare illis & credere & perſeverare. Unde veritas, quam probandam ſuſcipit, eſt de fide, quia definita eſt ab Eccleſiâ: medium autem quo illam probat, non eſt de fide; quia nondum Eccleſia quidquam circa illud ſanxit.

Objicies 3°. plures è ſanctis Patribus Auguſtino tum antiquioribus, tum junioribus docent præſcientiam bonorum operum eſſe cauſam electionis Jacobi præ Eſaü; ita ſanctus Irenæus lib. 4. cap. 38. ſanctus Hieronymus in 1. caput Malachiæ & in 1. ac 5. capur ad Gal. ſanctus Chryſoſtomus hom. 16. in caput 9. ad Rom. Hom. 1. in epiſtolam ad Eph. *quòd ſi homines*, inquit, *quando eligunt, optima ſibi deligunt, multò magis Deus.* Et Hom. 12. in epiſt. ad Heb. *Oportet nos eligere primùm quæ bona ſunt, & tunc ipſe quæ ſua ſunt, introducit: non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur arbitrium; cùm autem nos elegerimus, tunc multam nobis affert auxiliationem.* Sanctus Ambroſius lib. 5. de Fide, *quorum merita præſcivit, horum præmia prædeſtinavit.* Sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 24 *prædeſtinavit ad regnum quos ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio redituros.* Sanctus Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 20. *omnia quidem præcognoſcit Deus, non autem omnia prædeterminat.* Ergo.

Reſpondeo 1°. ſi oppoſiti textus, prout ſo-

nant, crudè accipiantur, vicerunt, Pelagiani, verumque erit hominem juſtificari & ſalvari ex operibus ſine gratiâ eliciris, quod non dixerint, qui auctoritatem laudatorum Patrum nobis objiciunt. Quare

Reſpondeo 2°. cum ſancto Auguſtino (cui Pelagiani & Semipelagiani multa opponebant non ſolùm ex antiquis Patribus, ſed etiam ex iis quæ ipſe ſcripſerat, priuſquam eorum hæreſis nata fuiſſet) veteres in tractandis rebus Eccleſiaſticis, de quibus in Eccleſiâ necdum erat ulla controverſia, liberiori & minùs accurato uſos fuiſſe ſtylo, quàm qui ortas jam hæreſes impugnare coacti ſunt. *Quid igitur opus eſt*, inquit, lib de Prædeſtinâtione Sanctorum, cap. 14. *ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hâc difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur.* Nonne duriora quædam, animo tamen catholico ſcripſêre Patres, qui Arium præceſſerunt? an non ipſe Cyrillus acerrimus antiquæ fidei propugnator, compulſus eſt explicare nonnulla operum ſuorum loca, quibus Eutychiani, poſtmodum exorti, ſuum errorem ſtabilire conabantur? Quin & Pelagiani in argumentum contra ſanctum Auguſtinum contorquebant, quæ nondum natâ eorum hæreſi, contra Manichæos ſcripſerat. Plura autem exigunt ut benignè & catholicè interpretemur, quæ in veterum ſcriptis primo aſpectu prædeſtinationi gratuitæ repugnare videntur.

Primo, ex ſancto Proſpero in epiſtolâ ad ſanctum Auguſtinum, præfixâ libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ, Semipelagiani coacti ſunt fateri ſe nihil in Antiquis reperiſſe, quod ſuæ opinioni faveret.

Secundò, ſi Scriptores, qui nobis opponuntur

receſſiſſent à communi Catholicorum ſententia, quam luculenter demonſtrant ſanctus Cyprianus in Africâ, ſanctus Gregorius Nazianzenus in Oriente, & ſanctus Ambroſius in Occidente, quorum teſtimoniis, à nobis ſupra laudatis, ſanctus Auguſtinus fulcit ſuam doctrinam lib de dono perſev. cap. 19. ſiluiſſent-ne Catholici, qui tam vehementer ubique commoti ſunt, ſtatim atque Pelagius impia ſua dogmata evulgavit? Quis é Veteribus adversùs S. Chriſoſtomum & alios, tanquam gratiæ Dei hoſtes, calamum acuit? Cùm ergo illi omnes apud ſuos coætaneos fuerint in pretio, tanquam eximii antiquæ fidei præcones & defenſores; dubium eſſe non poteſt, quin rectè de gratiâ Chriſti ſenſerint & docuerint.

Tertiò, mens & intentio ſcriptoris colligi debent ex ejus ſcopo & circunſtantiis, in quibus ſcripſit, attendendumque quos habuerit hæreticos, vel cavendos, vel impugnandos.

Sanctus Irenæus pugnavit adversùs Marcionem, qui duo rerum ſtatuebat principia, quorum unum eſſet cauſa bonorum, alterum cauſa malorum; cùmque videretur iniquum quod legitur Malac. 1. *dilexi Jacob, Eſaü autem odio habui*, quia duo illi gemelli erant meritis aut demeritis pares; opportunior non erat reſponſio ad occludendum os hæretici, quàm iſta, Deum ſcilicet præſciviſſe futura bona opera Jacob: præſcivit autem, quia ea facturus erat, interprete S. Auguſtino lib. de dono perſev. cap. 18. *Aliquando*, inquit, *eadem prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſtolus*, non repulit plebem ſuam, quam præſcivit. *Hic quod ait*, præſcivit, *non rectè intelligitur, niſi prædeſtinavit.*

Sanctus Hieronymus, qui ex profeſſo inſectatus eſt Pelagianos, neceſſariò debet exponi ſicut

ſanctus Irenæus, dum ait Deum peccatores diligere ex præſcientiâ futurorum.

Sanctus Chryſoſtomus ſermonem habebat ad populum, quem hortabatur ad virtutes, ut obſervat ſanctus Auguſtinus citato cap. 14. de Præd. Sanctorum. Quis autem neſciat concionatores etiamnunc catholicè movere peccatores ad præſtandum quod in ſe eſt, ut conſequantur peccatorum remiſſionem? Nunquid Propheta negavit gratiam prævenientem, cùm diceret, *expectat Deus, ut miſereatur veſtri?* Et iterum, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos?* Præterea tunc temporis vindicandum erat liberum arbitrium contra graſſantem Manichæorum errorem, quo fatum & neceſſitatem fatalem inducebant: atqui ex ſancto Auguſtino lib. de gratiâ Chriſti cap. 47. *illa quæſtio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratiâ diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur.* Hinc eſt, quòd Semipelagiani, ut jam obſervavimus, ex libris, quos ſanctus Doctor contra Manichæos ſcripſerat, argumenta peterent adversùs prævenientem gratiam.

Deus itaque, juxta ſanctum Chryſoſtomum, præveniendo non neceſſitat, ne lædatur liberum arbitrium, ſed adjuvat, quemadmodum ipſemet ſanctus Doctor mentem ſuam aperit hom. 12. in 1. ad Cor. verba illa expendens, *quid habes, quod non accepiſti?* Et hom. de Adam & Eva tom. 1. ubi ſic loquitur: *omnium bonorum affectuum atque operum... quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipſius gratiâ omnia hominis merita provenire, per quam etiam fit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere.* Quæ cùm clara ſint & perſpicua, mirum quòd Vaſqueſius, qui alios Patres à Semipelagianiſmo vindicat, Chryſoſtomum deſerat.

Sanctus Damaſcenus eodem ſenſu, quo ſanctus Chryſoſtomus, eſt accipiendus, ſubdit enim, *non vult malitiam, nec compellit virtutem.*

Sanctus Ambroſius, ſanctus Fulgentius, & alii, quos nobis opponunt Adverſarii, loquuntur de Prædeſtinatione in executione, ut legenti patebit.

Opponitur etiam Origenes, qui in caput octavum epiſt. ad Rom. propoſitum ſecundùm quod aliqui vocati dicuntur v. 28. explicat de propoſito, non Dei, ſed hominis ad Deum per amorem tendentis. Sed auctoritas Origenis in hâc parte non eſt magni facienda, cùm juxta ſanctum Hieronymum epiſtolâ ad Cteſiphontem, doctrina Pelagii ſit Origenis ramuſculus. Nec major ratio habenda eſt commentariorum Theodoreti, Theophilacti, & Oecumenii in eundem locum, ut qui Origenis interpretationem ibidem inſeruerint: ab eâ quidem non recedit ſanctus Chriſoſtomus hom. in cap. 8. ad Rom. ſed non dicit hominis propoſitum ſeu voluntatem præcedere vocationem: illud unum affirmat, nempe vocationem, & hominis propoſitam ſalutem efficere; *quia*, inquit, *vocatio non eſt coacta, nec violenter facta.* Homiliâ autem 12. in illa verba 1. Cor. cap. 4. *quid habes, quod non accepiſti?* disertè docet non ſolùm bona opera eſſe Dei dona, ſed fidem ipſam pendere à Dei vocatione.

Objicies 3°. hæc doctrina de Prædeſtinatione negligentiam fovet, ſollicitudinem boni operis adimit, ſpem minuit, vel etiam tollit. Ergo eſt pernicioſa & rejicienda, cavendumque ne concionatores eam populos doceant.

Nego anteced. quod jampridem à ſancto Auguſtino confutatum eſt quoad ſingulas ſuas partes in Semipelagianis, qui iiſdem armis impetebant, quam prædicat doctrinam. Unde mira-

ri ſubit quòd Catholicos non pudeat uti hæreticorum armis, nec advertant ſe adversûs Auguſtinum pugnare, cùm contra nos iſta contorquent.

Primò igitur ſanctus Auguſtinus lib. de dono perſev. capite 15. probat prædeſtinationem non magis fovere inertiam, quàm præſcientiam futurorum, quam nullus hæreticus negaverit, nedum Catholicus. *Nonne*, inquit, *ſi Deus illos bonos futuros eſſe præſcivit, boni erunt in quantâlibet nunc malignitate verſentur: ſi autem malos, mali erunt, in quantâlibet nunc bonitate cernantur? & paulò ante: Nunquid ſi hoc audito, nonnulli in torporem ſegnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem poſt concupiſcentias ſuas eant... quæ de præſcientiâ Dei vera dicuntur, vel neganda ſunt, vel tacenda; tunc ſcilicet, quando ſi non dicantur, in alios itur errores?* Et capite 17. oſtendens quis fructus ex hâc prædicatione percipi poſſit, ſic pergit: *ſicut ille, quem caſtum futurum eſſe præſcivit, quamvis id incertum habeat, agit ut caſtus ſit: ita ille quem caſtum futurum prædeſtinavit, quamvis id incertum habeat: non ideo non agit ut caſtus ſit, quoniam Dei dono ſe audit futurum eſſe quod erit? imo etiam gaudet ejus charitas... Non ſolùm ergo prædicatione prædeſtinationis ab hoc opere non impeditur, verùm, & ad hoc adjuvatur, ut cùm gloriatur, in Domino glorietur.*

Secundò, docet ſanctus Doctor, capite 22. ejuſdem lib. de dono perſev. num. 63. doctrinam de prædeſtinatione gratuita ſpem ſalutis augere, nedum minuat: *an verò*, inquit, *timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo: non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infeliciſſimus poneret?*

Nonne Angeli, qui facti ſunt dæmones, perdiderunt ſalutem, quam in manibus liberi arbi-

trii habebant repoſitam? Primi parentes, quamvis fortes, & nullis tentationibus obnoxii, exciderunt à gratiâ, quam Deus eorum diſpoſitioni reliquerat; nos verò infirmi, quorum vita tentatio eſt ſuper terram, ſervaremus Dei dona, ſi eorum uſus penderet à noſtro libero arbitrio? *Abſit à vobis*, pergit ſanctus Doctor, *ideo deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram in ipſo habere jubemini, non in vobis.* Maledictus enim omnis qui ſpem habet in homine: & bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine; quia beati omnes qui confidunt in eo. *Hanc ſpem tenentes*, ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: *quoniam de vita æternâ, quam filiis promiſſionis promiſit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi conſummata fuerit iſta vita.*

Tertiò, ſanctus Auguſtinus eodem capite 22. multis oſtendit quomodo conciones de prædeſtinatione ad populum prodeſſe vel obeſſe poſſunt: *doloſi enim*, inquit, *vel imperiti medici eſt, etiam utile medicamentum ſic alligere, ut autem non proſit, aut obſit.* Sicut autem de Dei præſcientiâ, quam nemo negat, quis duriſſimè quamvis verè diceret, ſive curatis, ſive dormiatis, eritis quod vos futuros præſcivit, quia falli non poteſt; ita ferendus non eſſet, qui prædeſtinationem ſic prædicaret, ſi qui jam obeditis, ſi prædeſtinati non eſtis, ſubtrahentur obediendi vires, ut obedire ceſſetis: *hoc enim dicere*, inquit, *quid aliud videtur eſſe, quàm maledicere, aut mala quodammodo prophetare?* Hunc loquendi modum, etſi veriſſimum, improbiſſimum tamen dicit: *non falſo eloquio, ſed non ſalubriter valetudini humanæ infirmatis appoſito.* Vult igitur ut iſta non proferantur in ſecundâ perſonâ, quaſi in audientium frontem compellantur; ſed in tertiâ tanquam ad abſentes.

dirigantur. *Si qui jam obediunt, ſed in regnum ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eâdem obedientiâ permanebunt... illum etiam modum... non exiſtimo ſufficere, niſi hoc vel hujuſmodi aliquid addat, ut dicat: vos itaque etiam ipſam obediendi perſeverantiam à Patre luminum... ſperare debetis & quotidianis orationibus poſcere, atque hoc faciendo confidere non vos eſſe prædeſtinatione populi ejus alienos; quia etiam hoc ut faciatis ipſe largitur.*

Inſtabis, hæc reſponſa, & temperamenta acutè quidem excogitata difficultatem non ſolvunt, ſed occultant, ac rudioribus fucum faciunt. Namque 1°. præſcientiæ exemplum non facit ad propoſitum; multa quippe non ideo futura ſunt, quia Deus ea præſcit, ſed contra ideo futura præſcit v. g. Petrum peccaturum, agrum hominis pigri fructus non producturum; quia revera Petrus peccaturus eſt, piger agricola agrum non culturus. At prædeſtinatio antecedenter abſoluta, ita eſt cauſa eorum, quæ prædeſtinata ſunt, ut ea non ſint futura, niſi quia ſunt prædeſtinata; unde naturaliter ſequitur, quòd in negotio ſalutis omnia ſine noſtrâ curâ & ſollicitudine ex Dei decreto ſint expectanda, vel timenda. 2°. Sortem noſtram tutiorem eſſe in manibus Dei, quam in noſtris quis neget, vel etiam dubitet? Sed cùm paucorum ſors ita in tuto collocetur, verumque ſit multos eſſe vocatos, paucos verò electos; quæ ſalutis ſpes poteſt eſſe innumeræ hominum multitudini? Atque ut illud incommodum prædeſtinationis antecedentis meliùs percipiatur, fingamus civem, qui præterquam quod ſit humilis fortunæ à naturâ minus eſt inſtitutus ad gerendum Magiſtratum, nec gratiâ pollet apud Principem, cujus eſt illam dignitatem conferre cui placuerit, civis ille in ejuſmo-

di circunſtantiis concipiet ne ſpem obtinendi Magiſtratum? Atqui ſimilis eſt conditio filiorum Adam reſpectu beatitudinis æternæ. Omnes naſcuntur filii iræ, infirmi & in malum proni propter concupiſcentiam, quæ in ſententiâ, de quâ agitur; infallibiliter, quamvis non neceſſariò cum auxilio duntaxat ſufficienti prævalebit, donum verò efficax perſeverantiæ paucorum eſt, eorum ſcilicet, quorum ſors & animæ in manu Dei in tuto ſunt collocatæ.

At in oppoſitâ ſententiâ, quæ prædeſtinationem ad gloriam definit ex prævifis meritis, ejuſmodi incommoda non occurrunt, Deus quippe antecedenter & conditionatè vult omnes & ſingulos ſalvos fieri per Chriſti merita, qui pro omnium ſalute ſanguinem fudit, omnibus ſuppeditat auxilia, quæ magna ſunt eis ſperandi & vires exerendi incentiva; cùm certi ſint gloriam fideliter operantibus reddendam uti mercedem, & neminem, niſi ſuâ culpâ; ab eâ excludendum.

Ergo cùm ex conceſſis hæc quæſtio, an prædeſtinatio ad gloriam ſit ante, vel poſt prævifa merita, non pertineat ad fidem, unicuique perſpicuum eſt ſententiam, quæ eam aſſerit ex prævifis meritis, eſſe alteri præferendam.

Atque hæc ſunt præcipua Adverſariorum momenta, propter quæ nonnulli ex iis, in nos minùs æqui, quàm nos in ipſos, cùm tantâ contentione propugnant prædeſtinationem ad gloriam ex prævifis meritis, ut ægrè audiant illam prædicari ante prævifa merita; ſed immeritò, ut patebit ex ſequentibus reſponſis.

Reſpondeo itaque. 1°. doctrina de gratiâ & prædeſtinatione non eo ipſo eſt verior, quo captui hominum accommodatior; quin potius magis à vero recedere cenſetur; cùm Apoſtolus

Rom. 9. & 10. apertè doceat altiſſimum illud myſterium eſſe humanis ſenſibus imperſcrutabile, ut obſervat S. Auguſtinus lib. de dono perſev. cap. 14 num. 37. *Nunquid ideo negandum eſt quod apertum eſt* (in Apoſtolo) *quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt? nunquid, inquam, propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe; quoniam cur ita ſit non poſſumus invenire?* Ergo vel ex hoc capite vera non eſt oppoſita ſententia, in quâ ejus Patroni putant ſe ſolvere omnem difficultatem. Dico; *putant;* nam revera non ſolvunt, niſi ab hoc ſtatu excludant ſpeciale donum perſeverantiæ, & omnem gratiam efficacem, in quâ hypotheſi falsâ, non erit revera major difficultas circa prædeſtinationem hominum, quàm Angelorum; cùm enim Angeli æqualiter fuerint adjuti, manifeſta eſt cauſa cur alii perierint, alii ſalvi facti ſint, nempe eorum liberum arbitrium. Sed abſit, ut ipſum dicamus aut ſentiamus de prædeſtinatione hominum in hoc ſtatu; cùm fides doceat neminem ſalvari ſine ſpeciali dono perſeverantiæ, quod ſolis prædeſtinatis conceditur; & ideo quæ hîc objiciuntur incommoda contra prædeſtinationem ante prævisa merita, ea retorqueri poſſunt contra donum perſeverantiæ, quod Adverſarii agnoſcunt omnibus non eſſe conceſſum. Quare,

Reſpondeo 2°. ſententia, quæ aſſerit prædeſtinationem ad gloriam in hoc ſtatu eſſe ex prævisis meritis, non majus affert ſolatium, quàm oppoſita; quia in adultis nulla ſunt opera meritoria, niſi gratiâ efficaci, nulliſque meritis confertur gloria, niſi ſint conjuncta cum dono perſeverantiæ: atqui gratia efficax non omnibus conceditur; donum verò perſeverantiæ ita eſt prædeſtinatorum proprium, ut nulli alteri tribuatur: Ergo in ſententiâ, quòd prædeſtinatio ad glo-

tiam ſit ex prævilis meritis dici poteſt non falſo eloquio, licèt improbiſſimo, ut ſuprà dicebat S. Auguſtinus, ſi Deus decrevit vobis dare gratiam efficacem & donum perſeverantiæ; quantumcunque obduretis corda veſtra, aliquando tamen obedietis, & morte Juſtorum hinc exibitis, vitâ beatâ donandi: contra verò ſi deſit vobis gratia efficax, aut perſeverantiæ donum, quod paucis conceditur, vel nullum bonum opus facietis, ſicut oportet, vel in bono opere non perſeverabitis: & in peccato veſtro infallibiliter moriemini. Porrò nemo non videt quòd ex ejuſmodi prædicatione vera, quamvis improbandâ, æquè liceat colligere incommoda & abſurda, quæ nobis objiciuntur.

Reſpondent Adverſarii donum perſeverantiæ decerni etiam ex prævifis meritis; nam ex ſancto Auguſtino lib. de dono perſeverantiæ, cap. 6. ſuppliciter illud emereri poſſumus.

Contra 1°. donum perſeverantiæ non poſſumus mereri de condigno, ſed de congruo duntaxat, ut ſuo loco dicetur. 2°. donum perſeverantiæ multis datur ſine ullis præcedentibus meritis, ut parvulis poſt baptiſmum decedentibus, & adultis qui poſt vitam malè actam in fine convertuntur. 3°. etiamſi perſeverantiam ſuppliciter emereri poſſimus, nemo tamen eam actu & de facto meretur, niſi ſit prædeſtinatus; *ſi qui jam obediunt*, aitbat ſuprà Auguſtinus, *ſed in regnum ejus & gloriam prædeſtinati non ſunt, temporales ſunt, nec uſque in finem in eâdem obedientia permanebunt.* Meritum illud, licèt poſſit acquiri per gratias ſufficientes, quæ non deſunt juſtis, non acquiritur tamen niſi per auxilium efficax infallibiliter connexum cum dono perſeverantiæ: atqui hujuſmodi auxilium non conceditur omnibus juſtis; plures enim, quamvis ſanctioris vitæ, à gratiâ

exciderunt, in quâ alii meritis inferiores uſque in finem permanſêre. Salomon, qui priùs fuit amabilis Domino, 2. Reg. 12. & Saül, qui ob vitæ innocentiam dicitur puer unius anni cùm regnare cœpiſſet, 1. Reg. 13. non perſeverarunt. David verò immemor beneficiorum, quibus à Deo cumulatus fuerat, polluit ſe adulterio & homicidio, quibus blaſphemare fecit nomen Domini, 2. Reg. cap. 12. verſ. 14. & nihilominus veniam & donum perſeverantiæ conſecutus eſt; quid ita? Exclamant hîc nobiſcum Adverſarii. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcienciæ Dei!* dicuntque, *ô homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? nonquid dicit ſigmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?*

Reſpondeo 3°. quæ ſolatia proferuntur ex oppoſitâ ſententiâ, eadem, vel etiam majora capiuntur ex noſtrâ. Ac primò quidem admittit noſtra; Deum velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, & ex ſincerâ illâ voluntate præparare, atque conferre auxilia ſufficientia, quibus ſalutem conſequi poſſint, & ita corruit allata comparatio principis, qui nec vult omnes & ſingulos cives ad magiſtratum evehere, nec dare poteſt ea, quibus inepti & indigni poſſint, ſi velint, evadere digni, quemadmodum Deus vult omnes & ſingulos ſalvare, eiſque dona præparat, & ſufficienter providet, quibus tantam gloriam promereri queant, ut latè probamus tract. de Gratiâ. Hinc alterum manifeſtè ſequitur, ſcilicet neminem perire niſi ſuâ culpâ, adeoque non reprobari niſi ex prævifis demeritis; Deus quidem immeritos ad gloriam prædeſtinare poteſt, quia bonus eſt; ſed nullum innocentem damnare poteſt, quia juſtus, eſt, *ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum æſtimas à tuâ virtute.* Sap. 12. Sperent itaque omnes vitam æternam, & ad eam totis viribus contendant, quia omni-

bus proponitur: nemo ob difficultates deſperet; quia Deus ignavis & deſperantibus gravia minatur, nec vult nos decipere, dum ſperare jubet, abſit, ſed eo ipſo nos monet & facere quod poſſumus. Quòd autem Deus non æqualiter omnibus velit gloriam, & electos ſpecialiter adjuvet, quis conqueri poteſt, cùm nemini faciat injuriam, & omnibus ſufficienter provideat? Quin eò magis nos in Domino gloriari oportet, quòd nos infirmos & immeritos potentiori auxilio, quàm Angelos in vitam æternam tranſmittere decreverit; longè enim abſurdiſſimum eſt, & nimis ingratum contriſtari nos, ubi commendatur gratia Dei, & divitiæ bonitatis ejus erga electos, maximè cùm unuſquiſque fidelis ſe ex eorum numero eſſe confidere debeat, non quidem eâ fiduciâ, quam in Novatoribus Concilium Tridentinum damnat, & nos confutamus Tract. de Grat. parag. 8. cap. 4. ſed quâ exultandum Domino cum tremore docet Catholica Eccleſia.

Reſpondeo 4°. Quamvis de fide non ſit prædeſtinationem ad gloriam eſſe ante prævisa merita, nec contra aliter ſentientes ſit hoſtiliter pugnandum, eruitur tamen ex principiis fidei, quibuſcum oppoſita ſententia non videtur poſſe conciliari, niſi detorquendo Scripturas contra ſenſum, quem tenuerunt ſancti Patres, ac præſertim ſanctus Auguſtinus.

Paragraphus VIII.

De effectibus Prædeſtinationis.

Q. 10. *Quid requiritur ut aliquid ſit, & dicatur effectus prædeſtinationis?*

R. Duo. 1°. Debet eſſe à Deo tanquam à cauſâ prædeſtinante; niſi enim oriatur à prædeſtinatione tanquam à cauſâ, non erit ejus effectus. 2°. Neceſſe eſt ut cum gloriâ cœleſti connexionem habeat, & ad eam actu & de facto perducat; quia prædeſtinatio ex dictis eſt præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.

Ergo vocatio & juſtificatio in iis, qui non perſeverant, non ſunt effectus prædeſtinationis, ſed providentiæ ſupernaturalis. Qui enim non perſeverant, ſunt reprobi, ac proinde prædeſtinatio in illis non operatur.

Ergo peccata non ſunt in prædeſtinatis effectus prædeſtinationis; quia nec ſunt à Deo, nec reputari poſſunt beneficia & gratiæ, ſed potiùs denegatio gratiæ efficacis, quam deprecamur, cùm dicimus in Oratione Dominicâ, *Et ne nos inducas in tentationem.*

Dices: ſanctus Auguſtinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 13. ſcribit: *Audeo dicere ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant: ſalubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit.* Et lib. de cor. & gr. cap. 9. ſuprà laudato, *talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, uſque adeo prorſus omnia, ut ſi qui eorum deviant & exorbitant, hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* Similia habet ſanctus Gregorius lib. 33.

Moral. cap. 11. *Ecce*, inquit, *qui de virtute ſe extollit, per vitium ad humilitatem redit: qui verò acceptis virtutibus extollitur, non gladio, ſed ut ita dixerim, medicamento vulneratur... Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur.* Ergo peccatum in prædeſtinatis eſt effectus prædeſtinationis.

Nego conſequens, textus enim allati probant duntaxat Deum, qui ex parte ad tempus prædeſtinatos deſerit, propter creſcentem in eis ſuperbiam & negligentiam, eos revocare ad pœnitentiam, mentes eorum interiori lumine illuſtrare, ut fœditatem & gravitatem præcedentis culpæ humiliter agnoſcant, corda eorum afficere intimo ſenſu doloris & diſplicentiæ ſui, quo veluti aculeo illos ad majores virtutis profectus inſtigat; eſt enim adeo bonus, ut non permitteret mala, niſi ſciret inde elicere majora bona. Porrò majora illa bona, quorum peccatum eſt occaſio, ſunt quidem effectus prædeſtinationis, non verò ipſum peccatum.

Inſtabis: ſaltem permiſſio peccati eſt effectus prædeſtinationis; namque illud eſt effectus prædeſtinationis, quod decernitur à Deo poſitivè in ſalutem prædeſtinatorum: atqui permiſſio, &c. Ergo.

Reſpondeo, plures quidem Theologi ita ſentiunt propter allatam rationem, quæ confirmari poteſt quibuſdam exemplis, 1°. ſapientis Medici, qui permittit leviorem morbum, cujus ope prævidet expellendum graviorem. 2°. Magiſtri qui cùm deterrere non poſſit diſcipulum à minutioribus culpis, non impedit quominus labatur in majorem, unde erubeſcat, experimentoque diſcat quo illum deducant priſtinæ levitates.

Verùm ſi permiſſio peccati eſt effectus præde-

ſtinationis, agnoſcenda eſt ut Dei beneficium & gratia per Jeſum Chriſtum conceſſa, ideoque expetenda, licebitque Juſto orare contra præſcriptam à Chriſto formulam, ut Deus eum inducat in tentationem; ut ſanetur à titillante ſuperbiâ. Quaſi verò ſicut Medico & Ludi Magiſtro non præſto ſunt alia remedia ad ſanandum ægrum & corrigendum diſcipulum, præter ea quæ in exemplum allata ſunt; ita Deo deſint gratiæ ſatis efficaces, ut Juſtus ſuperbiens aut obdormiſcens humilis fiat & vigilantior. Itaque permiſſio peccati, hoc eſt, ſubtractio auxilii efficacis intenditur à Deo ut pœna, quam ſummè exhorrent Juſti ut pote graviſſimam, & pro eâ avertendâ has & ſimiles preces ingeminant ad omnia alia flagella parati, *ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.* Pſalm. 6.

Q. 2°. *Bona temporalia, & mala tum naturæ, tum pœnæ, ſunt-ne prædeſtinationis effectus?*

R. 1°. Creatio non eſt effectus prædeſtinationis, tum quia ad eam præſupponitur, tum quia effectus prædeſtinationis ſunt beneficia per meritum Chriſti collata: atqui ex S. Auguſtino. epiſt. 194. aliàs 105. *Chriſtus non pro multis ut homines conderentur, ſed pro impiis mortuus eſt.* Ergo.

R. 2°. Alia bona naturalia, & mala tum naturæ, tum pœnæ per ſe & ſecundùm ſe ſpectata, non ſunt prædeſtinationis effectus; quia ut ſic non tendunt ad finem ſupernaturalem, ſeu vitam æternam, nec habent cum prædeſtinatione conconnexionem.

R. 3°. Eadem bona & mala per accidens, & quatenus ordinantur à Deo ad ſalutem electorum, ſunt prædeſtinationis effectus.

Probatur ex Scripturâ ſimul & Traditione.

Ac primò quidem generatim ait Apoſtolus Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-*

num, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti. In quem locum ſic ſcribit S. Bernardus ſerm. 1. de diverſis num. 6. *neque enim ad voluntatem ſerviunt, ſed ad utilitatem; non ad voluntatem, ſed ad ſalutem: non ad votum, ſed ad commodum noſtrum. Uſque adeo ſi quidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut inter hæc omnia, ea, etiam quæ nihil ſunt, numerentur, modeſtia, morbus & ipſa mors etiam, & peccatum; quæ quidem conſtat naturas non eſſe, ſed naturæ corruptiones. An verò peccata ipſa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, ſollicitior, timoratior, & cautior invenitur.*

Secundò ſpeciatim.

De præmaturâ morte, Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.*

De afflictionibus, Philip. 1. v. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* Et 2. Cor. 4. v. 17. *momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

De proſperis & lætioribus Matth. c. 24. *Propter electos breviabuntur dies illi,* ſcilicet tribulationis.

Denique, de circunſtantiis locorum, temporum, & perſonarum in ſalutem electorum ordinatis, ſic ſcribit S. Auguſtinus ſerm. 99. aliàs hom. 23. ex libri quinquag. homil. *Adulter non fuiſti in illâ tuâ vitâ præteritâ... hoc dicit tibi Deus tuus: regebam te mihi, ſervabam te mihi, ut aldulterium non committeres; ſuaſor defuit; & ut ſuaſor deeſſet, ego feci: locus & tempus defuit; & ut hæc deeſſent, ego feci: affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non conſentires, ego terrui, Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, quòd non admiſiſti.* Ad prædeſtinationem itaque referendum eſt quòd electus natus ſit ex piis parentibus, quos non potuit ſibi diligere, ut notat ſanctus Auguſtinus lib. de dono

perſeverantiæ cap. 12. quòd eo tempore in lucem prodierit, quo fervebat charitas & iis in locis, ubi aliorum exempla ad virtutem provocabant.

Q. 3°. *Quot numerantur prædeſtinationis effectus?*

R. Ex ſancto Thomâ hîc art. 3. ad 2. unus eſt totalis, ſcilicet gratia in præſenti, & gloria in futuro, juxta illud Pſal. 83. *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Sed Apoſtolo tres partiales numerantur, nempe vocatio, juſtificatio & glorificatio; *quos prædeſtinavit*, inquit, *hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

Ad vocationem referuntur omnes pii motus, qui eam antecedunt.

Ad juſtificationem, omnia quæ eam comitantur & ſequuntur.

Glorificationis nomine non tantùm animæ, ſed etiam corporis gloria intelligitur.

Vocatio autem, juſtificatio, & alia beneficia ad illas tendentia, eatenus tantùm ſunt effectus prædeſtinationis, quatenus ſunt ſecundùm Dei propoſitum, & cum dono perſeverantiæ conjuncta; quia ſine illo ad gloriam non producunt, & cum illo merita electi jam juſtificati, ſi quando per ſubſequens peccatum fuerint extincta, infallibiliter per pœnitentiam, priuſquam exeat, reviviſcunt. Quare cùm omnes prædeſtinationis effectus, qui ad præſentem vitam pertinent, ex dono perſeverantiæ pendeant, de illo potiſſimùm agere convenit.

PARAGRAPHUS IX.

De Dono perſeverantiæ.

Q. 1°. QUid eſt donum perſeverantiæ ?

R. Definitur à ſancto Auguſtino lib. de dono perſev. cap. 1. donum Dei, quo perſeveratur uſque in finem in Chriſto.

Dicitur 1°. *donum Dei;* qui gratuitò & ante prævisa merita, non ſecùs ac gloria, electis præparatum eſt, licèt illud in ordine executionis ſuppliciter emereri poſſimus, ex S. Auguſtino.

Dicitur 2°. *quo perſeveratur*, non verò, *quo perſeverari poteſt;* ut ſignificetur magnum illud donum eſſe efficaciſſimum, & à gloriâ inſeparabile. *Hoc Dei donum*, inquit ſanctus Auguſtinus c. 6. *cùm datum fuerit, contumaciter amitti non poteſt. Cùm enim perſeveraverit quiſque uſque in finem, neque hoc donum poteſt amittere, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodo igitur poteſt amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam quod poſſet amitti?* Itaque Juſtus ſine dono perſeverantiæ per gratiam ſanctificantem, & auxilia actualia, quæ ipſi non deſunt, perſeverare poteſt, ſed actu non perſeverabit uſque in finem: per donum autem perſeverantiæ, quod eſt proprium electorum, ſit ut inſuperabiliter perſeveret, & non amittat, quæ alioquin amiſſurus eſſet.

Dicitur 3°. *uſque in finem*, quo ſcilicet vita iſta finitur, *in quâ*, inquit ſanctus Auguſtinus cit. cap. 1. *tantummodo periculum eſt, ne cadatur. potiuſque hanc* (perſeverantiam) *habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari poteſt, ſi donec moreretur fideliter vixit, quàm multorum annorum, exiguum temporis ante mortem à fidei ſtabilitate defecit.*

Q. 1°. *Exiſtit-ne in hoc ſtatu ejuſmodi perſeverantiæ donum?*

Negarunt Semipelagiani, qui, ut refert ſanctus Auguſtinus cap. 17. contendebat à nobis eſſe initium fidei, & in eâ uſque in finem perſeverantiam. Contra poſteriorem eorum errorem.

R. De fide eſt perſeverantiam uſque in finem eſſe ſpeciale Dei donum, ſine quo nullus in hoc ſtatu gloriam æternam conſequitur. Ita enim definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 22. his verbis: *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in acceptâ juſtitiâ perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe; anathema ſit.*

Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ duplex perſeverantium genus exhibet, alterum eorum qui ſtatim poſt acceptam gratiam hinc abeunt, ut plures parvuli poſt acceptum baptiſmum; alterum eorum, qui diu contra tentationes dimicant: atqui nullum ex iis abſque ſpeciali dono perſeverare aſſerit: Ergo.

De prioribus ſic habetur, Sap. 4. v. 11. *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Et v. 14. *properavit educere illum de medio iniquitatum.*

De poſterioribus ſanctus Auguſtinus in Pſal. 126. intelligit hæc Pſalmi verba, *niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Phil. 1. v. 6. Apoſtolus ſicut initium fidei, ita perſeveratiam gratiæ Dei tribuit: *qui cœpit*, inquit, *in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Chriſtus Luc. 22. verſ 32. rogavit pro Petro, ut non deficeret fides ejus. Joan. 17. verſ. 11. Similem fudit orationem pro omnibus Apoſtolis jam juſtis, *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo.* Et Matth. 6. vult nos orare, ne inducamur in tentationem: unde ſanctus Auguſtinus cap. 3. & ſeq. cit. lib. invictè concludit perſeverantiam eſſe Dei donum, cùm à Deo petatur.

Probatur 2°. ex Traditione.

Concilium Carthaginenſe in epiſtolâ ad Innocentium

nocentium l. contrarium Pelagianorum errorem confutat his verbis, *ex iſtorum ſacrilegâ diſputatione neceſſariò ſequitur, ut nec orare debeamus ne deficiat fides noſtra, quod pro Apoſtolo Petro ſe rogaſſe ipſe Chriſtus teſtatus eſt.*

Concilium Arauſicanum II. can. 1. contra Semipelagianos ſic ſtatuit: *adjutorium Dei in renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.*

Sanctus Hieronymus epiſt. ad Cteſiphontem: *Non mihi ſufficit*, inquit, *quod gratiam ſemel donavit, niſi ſemper donaverit.*

Sanctus Auguſtinus in ſuis poſterioribus libris, ac præſertim in libro de dono perſeverantiæ, totus eſt in aſſerendo ſpeciali illo dono tum ex Scripturis, tum ex Traditione. *Poſt ea ſam hominis*, inquit, 1. *nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque niſi ad gratiam ſuam pertinere, ut homo non recedat ab eo... ac per hoc ſicut operatur ut accedamus, ſic operatur ne diſcedamus.* ait enim Jerem. 32. v. 40. *timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.* Et cap. 19. *hoc ſcio neminem contra illam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.*

Dices: Angeli boni non ſolùm permanere potuerunt, ſed de facto permanſerunt ſine ſpeciali dono: ergo & qui ſalvantur ex hominibus.

Nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt quòd infirmus & æger potentiori indigeat adjutorio, quàm plenè ſanus. Angelis & homini in ſtatu innocentiæ, ut erant integris viribus, nihilque eorum voluntati per gratiam in bonum propenſæ reſiſtebat, ſatis fuit habere à Deo poſſe velle, poſſe operari, & poſſe perſeverare, quemadmodum primis parentibus datum fuerat poſſe non mori, ita ut ipſimet actus, hoc eſt, velle, ope-

tari, & perſeverare eorum committerentur arbitrio, nullò tentationis impulſu agitato, nullâve difficultate præpedito. At naturâ humanâ jam per peccatum vitiatâ, ignorantiæ tenebris obcæcatâ, concupiſcentiæ motibus depreſsâ; & à ſeipsâ quodammodò divisâ, parum eſſet nunc homini tam infirmo, quòd poſſet velle, poſſet operari, poſſet & perſeverare; quia *inter tot & tantas tentationes*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. num. 38, *infirmitate ſuâ voluntas ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſet* (moraliter loquendo) *quia deficiens infirmitate nec vellet, aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut poſſet.* Vide quæ in hanc rem dicimus Tractatu de Gratiâ, cap. 7. parag. 2. ubi oſtendimus gratiam merè ſufficientem, quæ dat ſolum poſſe, in filiis Adam ſemper fruſtrari effectu ad quem datur; cùm illum per liberum arbitrium habuerit in Angelis, qui ſteterunt. *Proinde*, ait ſanctus Doctor cap. 11. *& ſi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratiâ indigent iſti*, quâ ſcilicet datur ipſemet actus, ſeu ipſum velle & operari ipſaque in bono perſeverantia; quod ſanctus Doctor fuſiùs exponit c. 12. his verbis: *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perſevaret per virtutem Dei: cùm voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, ſine quo poſſet perſeverare ſi vellet, non tamen tali quo in illa Deus operaretur ut vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet; infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.* Cùm au-

tem ex hâc S. Auguſtini doctrinâ non pauci etiam Presbyteri & Epiſcopi in Galliis eruditione & pietate celebres ac commendati offenderentur; illam confirmavit Scripturæ & ſanctorum Patrum teſtimoniis in libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ, ex quibus ſic concludit cap. 6. de dono perſev. *Tutiores igitur vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.*

Q. 3°. *In quo conſiſtit donum perſeverantiæ?*

R. 1°. Non conſiſtit præcisè in gratiâ ſanctificante ſive remiſsâ, ſive intensâ; quia ſunt juſti bonis operibus & meritis locupletati, qui non perſeverant: contra verò quidam inſignes peccatores ad Deum converſi, ut alter Latronum, qui in cruce juxta Chriſtum pendebant; & non pauci Martyres ſtatim in gratiâ decedunt.

Neque in ullo habitus divinitus infuſo; quia ejuſmodi habitus dant tantùm poſſe conſtanter operari, inclinant ad actum, ſed non dant ipſum actum, quemadmodum donum perſeverantiæ.

Neque eſt confirmatio in gratiâ: tum quia confirmatus in gratiâ, ut Apoſtoli poſt acceptum Spiritum-ſanctum die Pentecoſtes, non ampliùs peccat, niſi venialiter: atqui illud non præſtat donum perſeverantiæ, ut patet exemplo Davidis, qui adulterio & homicidio ſeſe polluit: tum quia donum perſeverantiæ eſt omnibus prædeſtinatis commune, confirmatio verò in gratiâ eſt paucorum privilegium.

R. Itaque 2°. donum perſeverantiæ præter actuales gratias efficaces reſpectu adultorum, per quas infallibiliter juſtificantur, & invictiſſimè contra tentationes dimicant, dicit ſpecialem Dei protectionem, ut gratia cum morte conjungatur.

Probatur 1°. ex Scripturâ. Sap. 4. *raptus eſt, ne*

malitia mutaret intellectum ejus ... properavit illum educere de medio iniquitatum, quemadmodum pædagogus, inquit ſanctus Gregorius Nyſſenus, puerum citò retrahit è convivio lautiore, ne cibos, qui identidem novi & exquiſiti inferuntur, importuniùs & immoderatiùs expetat.

Probatur 2°. ex S. Auguſtino, qui donum perſeverantiæ ex ſpeciali Dei providentiâ in electos præſertim repetit, ut lib. de dono perſeverantiæ cap. 12. *neque enim*, inquit, *fato cogitur Deus illis infantibus ſubvenire, illis autem non ſubvenire; aut res humanas in parvulis non divinâ providentiâ, ſed fortuitis agi caſibus opinabimur. . . quando quidem nec paſſer cadit in terram ſine voluntate patris noſtri, qui in cœlis eſt: aut parentum negligentiæ ſic tribuendum eſt, quòd parvuli ſine baptiſmate moriuntur, ut nihil ibi agant ſuperna judicia; tanquam ipſi, qui hoc modo malè moriuntur, parentes ſibi negligentes voluntate propriâ, de quibus naſcerentur, elegerint. Quid dicam, quòd parvulus aliquando antequam illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, expirat? plerumquè enim feſtinantibus parentibus & miniſtris paratis, ut baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululùm in hâc vitâ non tenuit, ut daretur.* Et cap. 13. obſervat ex adultis regeneratis, *alios perſeverantes uſque in finem hinc exire, alios quouſque decidant hic teneri, qui utique non deciderent, ſi antequam laberentur, hinc exiſſent; & rurſus quoſdam lapſos quouſque redeant* (per gratiam efficacem) *non exire de hâc vitâ, qui utique perirent, ſi antequam redirent, exirent. Unde ſatis dilucidè oſtenditur, & inchoandi, & uſque in finem perſeverandi gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari; ſed dari ſecundùm ipſius ſecretiſſimam, eandemque juſtiſſimam, ſapientiſſimam, beneficentiſſimam voluntatem; quoniam quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit,* &c. Ubi ſanctus Doctor parvulorum perſeverantiam totaliter refert ad ſpecialem Dei protectio-

nem ſic cauſas ſecundas ordinantis, ut parvuli vel naſcantur ex religioſis parentibus, vel non moriantur priuſquam ipſis per baptiſmum ſuccurri poſſit: adultorum verò partim ad gratias efficaces, quibus infallibiliter vel ad fidem veniunt, vel à peccato redeunt; partim ad ſingularem Dei providentiam, ne hinc exeant imparati.

Q. 4°. *Poteſt-ne quis mereri donum perſeverantiæ?*
R. 1°. Non poteſt de condigno.

Probatur 1°. ex Scripturâ, 1. Cor. 9. verſ. 27. *Caſtigo corpus meum*, ait Apoſtolus, *& in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim ipſe reprobus efficiar.* Si autem donum perſeverantiæ caderet ſub meritum, quis illud æquè ac Apoſtolus mereri poſſet? 1. Cor. 10. verſ. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Philip. 2. verſ. 12. & 13. *Cùm metu & tremore veſtram ſalutem operamini; Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Hic & initium ſalutis, nempe velle, & perfectio ſeu perſeverantia, non meritis, ſed Dei voluntati & beneplacito tribuuntur...

Probatur 2°. ex ſancto Auguſtino, qui verbis mox laudatis ex capite 13. lib. de dono perſeverantiæ, noſtram reſponſionem diſertè confirmat; *Satis dilucidè*, inquit, *oſtenditur, & inchoandi, & uſque in finem perſeverandi gratiam... non ſecundùm merita noſtra dari.* Et lib. de cor. & gr. cap. 8. num. 17. *Bene quòd te non negas eſſe Chriſtianum, & Catholicum jactas. Si ergo confiteris donum Dei eſſe perſeverare in bono uſque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quòd mecum pariter neſcis, & ambo hic inſcrutabilia judicia Dei penetrare non poſſumus.* Et num. 18. *Mirandum eſt quidem, multùmque mirandum, quòd filiis ſuis quibuſdam Deus, quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit,* (quibus ſanè merita

comparantur) *non dat perſeverantiam; cùm filiis alienis ſcelera tanta dimittat, atque impertitâ gratiâ faciat filios ſuos. Quis hoc non miretur? quis hoc non vehementiſſimè ſtupeat?* Atqui ſi perſeverantia caderet ſub meritum, præſto eſſet ratio diſcriminis, nempe quòd alii donum illud bonis operibus ſint promeriti, alii verò non.

Confirmatur, tum ex Concilio Arauſicano ſupra laudato, contra Semipelagianos definiente renatis ſemper implorandum divinum auxilium, ut ad finem bonum pervenire poſſint: atqui quod precibus impetratur non habet rationem debiti, ſed gratiæ; quis enim diceret mendico eleemoſynam retribui ut mercedem petitionis illius? operanti, non ſupplicanti merces imputatur: tum ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 32. ubi ita definit augmentum gratiæ, & vitam æternam cadere ſub meritum, ut videatur excludere donum perſeverantiæ; ſic enim habet. *Si quis dixerit... juſtificatum bonis operibus... non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratiâ deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.* quibus verbis ſancta Synodus non modò non affirmat Juſtum bonis operibus mereri in gratiâ decedere, quemadmodum & vitam æternam conſequi, ſed contra non obſcurè ſignificat magnum illud donum ex ſolâ Dei miſericordiâ eſſe expectandum; quid enim aliud eſt, *ſi tamen in gratiâ deceſſerit*, quàm, ſi Deus perſeverantiam indulſerit?

Dices: Juſtus eo ipſo, quo poteſt mereri de condigno majorem gloriam, poteſt ſimiliter mereri augmentum gratiæ ſanctificantis, ſine quo major gloria obtineri nequit: Ergo à pari poteſt mereri de condigno donum perſeverantiæ, cùm ad gloriam ordinetur, nec ſine illo ad eam in hoc ſtatu perveniatur.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt quòd Deus nunquam bonis operibus Juſti promiſerit perſeverantiam, ſicut promiſit vitam æternam, & juſtitiæ incrementum. Porrò una ex conditionibus ad meritum de condigno requiſitis, eſt Dei promiſſio, ut dicemus ubi de Merito.

Inſtabis 1°. atqui Deus promiſit perſeverantiam; ait enim Jerem. 32. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant à me:* Ergo.

Diſtinguo antec. promiſit generatim Eccleſiæ, in quâ exiſtunt electi, Concedo; jam enim diximus gratiam efficacem & perſeverantiam eſſe dona hujus ſtatûs propria: promiſit unicuique Juſto in particulari, Nego ant.

Inſtabis 2°. atqui promiſit unicuique Juſto, *non te deſeram, neque derelinquam*, ait Hebr. 1. v. 5. Ergo.

Diſtinquo anteced. promiſit auxilia ſufficientia cum quibus poteſt vitare peccatum, facere bona opera, & in bono perſeverare, Concedo: promiſit auxilia efficacia, quæ dant victoriam, ipſum bonum opus, & ipſam perſeverantiam, Nego ant.

Inſtabis 3°: Majus eſt creſcere in gratiâ quàm in gratiâ perſeverare: atqui ex conceſſis Juſtus poteſt mereri de condigno gratiæ incrementum: ergo & perſeverantiam in gratiâ

Diſtinguo maj. Majus eſt creſcere in gratiâ uſque ad mortem, quàm ſimpliciter perſeverare, Concedo; ſic enim creſcere includit perſeverare: majus eſt creſcere aliquandiu & poſtea deficere, Nego maj.

Diſtinguo quoque min. Juſtus poteſt mereri de condigno juſtitiæ incrementum, nec tamen actu merebitur, niſi efficaci auxilio adjutus, quod ipſi non debetur, alioquin nunquam peccaret; Concedo: Juſtus quilibet actu meretur

uſque in finem juſtitiæ incrementum, Nego min. & conſequentiam. De fide quidem eſt Juſtum non deſeri à Deo, niſi ipſe priùs Deum deſerat; ſed quia voluntas Juſti ſemper eſt infirma: inconſtans, & flexibilis in bonum & in malum, niſi in bono firmetur per auxilium efficax, Deum infallibiliter deſeret, quamvis per auxilium ſufficiens, quod ſanctus Auguſtinus vocat juſtum adjutorium, poſſit non deſerere. Porrò Deus nemini juſto in particulari promiſit ſe ei daturum efficaciſſimum perſeverantiæ donum, ac proinde illud mereri non poteſt de condigno. Unde ſanctus Auguſtinus in causâ duorum Juſtorum, quorum alter perſeverat, alter verò deficit, non recurrit ad præcedentia eorum merita vel demerita, ſed ad prædeſtinationem & inſcrutabilia Dei judicia. *Ex duobus autem piis*, inquit lib. de dono perſev. cap. 9. *cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi non donetur, inſcrutabiliora ſunt judicia Dei.* Et infra. *Quæ eſt tandem iſta diſcretio? Patent libri Dei, non avertamus aſpectum... non erant ex iis* (qui permanſerunt) *quia non erant ſecundùm propoſitum vocati: non erant in Chriſto electi ante mundi conſtitutionem; non erant in eo ſortem conſecuti, non erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui univerſa operatur.* Et cap. 12. *Quare illos potiùs, quàm illos? Iterum atque iterum dicimus, nec nos piget:* O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.

Cur autem non promiſerit Deus perſeverantiæ donum, ſicut vitam æternam & juſtitiæ incrementum, non videbimur temerarii Judiciorum Dei ſcrutatores, ſi Dei conſilium ex Scripturis colligamus; ideo nempe non promiſit, ne ejuſmodi promiſſio foveret ſocordiam, quæ ex peccato originis quodammodo naturalis nobis eſt,

eſſetque nobis occaſio reſpiciendi retro, & numerandi plura bona opera, fortè etiam heroïcè facta, propter quæ jam ſecurè quieſcendum arbitraremur, cùm perſeverantia viatoris ſit ſemper proficere, & ad patriam cœleſtem continuò anhelare, quemadmodum exemplo ſuo docet nos Apoſtolus Philip. cap. 3. *Quæ quidem retro ſunt*, inquit, *obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu. . . Imitatores mei eſtote... & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Ad ejuſmodi autem contentionem urgemur calcaribus timoris juxta illud Jerem. 32. jam laudatum: *timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me;* & illud Pſal. 2. *apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus & pereatis de viâ juſtâ.* Unde.

R. 2°. Donum perſeverantiæ de congruo mereri poſſumus orationibus, bonis operibus, & continuâ vigilantiâ, ne quid excidat, quod Deo diſpliceat.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Matth. 26. verſ. 41. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Luc. 21. verſ. 36. *Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.* 2. Petri 1. verſ. 10. *magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Certam dicit fieri noſtram vocationem & electionem, non quidem in ſe & reſpectu Dei; nam prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur; ſed certam ait fieri quoad nos, quatenus vigilantes in orationibus, & inſuper bonis operibus incumbentes, moraliter & conjecturaliter certi ſumus nos eſſe electos, & uſque in finem perſeveraturos; Deus quippe prædeſtina-

tos elegit ante mundi conſtitutionem, ut ſint ſancti & immaculati, Eph. 1. & in tempore timorem ſuum dat in corda eorum, ne recedant; Jerem. cap. 32. Ergo qui ſollicitè ſe cuſtodiunt immaculatos ab hoc ſeculo, & minimam Dei offenſam formidant, ſignum præ ſe ferunt moraliter certum, quòd perſeveraturi ſint tanquam è numero electorum.

Probatur 2°. ex Patribus. Sanctus Auguſtinus c. 6. ſæpius cit. lib de dono perſev. *hoc donum*, inquit, *ſuppliciter emereri poteſt*. Patres Arauſicani can. ſuprà laudato, illud ipſum ſatis dilucidè declarant, cùm definiunt adjutorium Dei à renatis ac ſanctis ſemper eſſe implorandum, ut ad finem bonum pervenire poſſint.

Ex his colliges, donum perſeverantiæ non infallibiliter obtineri per unum aut alterum actum, ſed per indefeſſam ſollicitudinem, & continuam vigilantiam: præſertim in orationibus. Unde nonnulli Theologi contendunt Juſtum poſſe impetrare, non verò mereri perſeverantiam, cùm ad eam non perveniatur, niſi aſſiduis orationibus. Verùm ſanctus Auguſtinus agnoſcit vigilantiam in orationibus eſſe congruum perſeverantiæ meritum, cùm ait, *ſuppliciter emereri poteſt*; cùmque adversùs Semipelagianos concludit initium fidei non fore gratiam, ſed debitum, ſi juxta eorum errorem petentibus daretur.

Paragraphus X.

Satisfit nonnullis difficultatibus circa Prædeſtinationem.

Q. 1°. Poſſumus-ne eſſe certi de noſtrâ Prædeſtinatione?

R. Abſque ſpeciali Dei revelatione non poſſumus eſſe certi certitudine fidei, ſed tantùm conjecturali (quæ formidinem non excludit) nos eſſe prædeſtinatos & perſeveraturos. Ita definiit Concilium Tridentinum contra Pſeudoreformatos ſeſſ. 6. can. 15. *Si quis dixerit hominem renatum & juſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum; anathema ſit.* Et can. 16. *Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certò habiturum, abſolutâ & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione; anathema ſit.*

Probatur Concilii definitio 1°. ex Scripturæ textibus, quibus Paragrapho præcedenti oſtendimus juſtum de condigno non mereri perſeverantiam: 2°. ex ſanctò Auguſtino lib. 11. de Civ. Dei c. 12. *licèt ſancti*, inquit, *de ſuæ perſeverantiæ præmio certi ſint, de ipsâ tamen perſeverantiâ ſuâ reperiuntur incerti; quis enim hominum perſeveraturum ſe eſſe ſciat; niſi aliquâ revelatione?* 3°. hùc revocanda ſunt quæ tradimus de incertitudine præſentis juſtitiæ tract. de Gr. cap. 4. toto parag. 8. ſi enim juſtus neſcit an odio aut amore dignus ſit, multò minùs ſcire poteſt, an ſit ſalvandus & in bono perſeveraturus. Conſule quæ ibi dicta ſunt.

Dices: Apoſtolus Rom. 8. ait; *certus ſum*... *quia neque mors, neque vita*... *neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei*: Ergo.

Diſtinguo anteced. certus ſum firmiſſimâ ſpe,

quam omnes in Dei miſericordiâ, & Chriſti meritis collocare & reponere debent, Concedo: certus ſum abſolutâ certitudine, quæ excludat omnem formidinem, ſpectatâ propriâ infirmitate, & voluntatis inconſtantiâ, Nego anteced. Nam ipſe Apoſtolus 1. Cor. 9. teſtatur ſe caſtigare corpus ſuum, ne reprobus efficeretur. *Sicut nemo pius*, inquiunt Patres Tridentini ſeſſ. 6. cap. 9. *de Dei miſericordiâ*, *de Chriſti merito*, *deque Sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet*, *ſic quilibet, dum ſeipſum ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſuâ gratiâ formidare & timere poteſt.*

Q. 2°. *Numerus prædeſtinatorum eſt-ne major numero reproborum?*

R. 1°. Certum eſt longè majorem eſſe numerum reproborum, ſi in eo comprehendantur infideles. Difficultas ſolùm eſſe poteſt, ſi quæſtio ad ſolos fideles, præſertim adultos, reſtringatur.

R. 2°. Plures ſunt fideles reprobi, quàm prædeſtinati.

Probatur 1°. ex Scripturâ Matth. 20. verſ. 16. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Hæc dicuntur de iis, qui vocati venerant & laboraverant. Matth. 3. verſ. 12. in Eccleſiâ permixti ſunt mali cum bonis, ſicut in areâ miſcentur paleæ cum tritico: Ergo ſicut major eſt palearum numerus in area quàm tritici, ita & in Eccleſiâ reproborum quàm prædeſtinatorum.

Probatur 2°. ex Patribus.

Sanctus Chryſoſtomus hom. 44. *quot*, inquit, *putatis eſſe in hâc civitate, qui ſalvi fiant? Non poſſunt inveniri in tot millibus centum, qui ſalvantur. Quin & de his dubito.*

Sanctus Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium capite 16. ſic ſcribit, *boni verique Chriſtiani, qui*

per ſeipſos multi ſunt, in comparatione malorum falſorumque iidem pauci ſunt.

Sanctus Gregorius hom. 19. *multi*, inquit, *ad fidem perveniunt, & ad cœleſte regnum pauci perducuntur. Ecce enim hodiernam feſtivitatem quàm multi convenimus; parietes Eccleſiæ implemus; ſed tamen quis ſciat quàm pauci in illo electorum grege numerantur.*

Probatur 3°. ratione, quia ex fidelibus longè pauciores ſunt qui mandata Dei cuſtodiant, pactum cum Deo initum in baptiſmo ſervent, & ea præſtent, per quæ diximus perveniri ad perſeverantiam: atqui prædeſtinati vitam æternam non ingrediuntur niſi obſervatione mandatorum Dei, juxta illud Matth. 19. *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata;* electi ſunt ante mundi conſtitutionem ut ſint ſancti & immaculati, Epheſ. 1. & conformes imagini filii ſui Rom. 8. quia *non intrabit in eam* (civitatem cœleſtem) *aliquod coinquinatum.* Apocalyp. 21. verſ. 17. Ergo.

Dices: plerique ac ferè omnes fideles, licèt nequiſſimè vixerint, in exitu tamen reconciliantur Deo per Sacramenta: Ergo.

Nego conſeq. quia vera converſio quæ ad mortem differtur, admodum rara eſt propter rationes, quas afferimus tract. de Grat. pag. 41. 454. & ſeq. Peccator quidem etiam nequiſſimus in illis extremis cor ſuum & omnia Deo facilè devovet, ſed quemadmodum viator latronibus mortem minitantibus crumenam libenter offert, *pellem* enim *pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro animâ ſuâ*, Job. 2. Unde ſancti Patres illam pœnitentiam habent ad minimum ut valde dubiam. De ea ſanctus Cæſarius, vel quivis auctor Serm. 255. in appendice tom. 5. operum Sancti Auguſtini ſic loquitur, *pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur.* Et Sanctus Auguſti-

nus Serm. 393. alias hom. 41. ex hom. 50. *ſi quis*, inquit, *poſitus in ultimâ neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus; quia bene hinc exit. Non præſumo: non vos fallo, non præſumo.* Porrò ex propoſitione dubia nihil probabiliter concludi poteſt; maximè cùm habeamus ex Scripturâ, Matth. 7. arctam eſſe viam, quæ ducit ad vitam, latam verò & à multis frequentatam, quæ ducit ad perditionem, & ad perſeverantiam finalem perveniri vigilantiâ in orationibus, ac bonis operibus.

Q. 3°. *Quid eſt liber vitæ?*

R. Liber Dei dicitur per metaphoram ductam ex more hominum, qui, ne certa quædam è memoriâ excidant, in libris ſcribere ſolent. Propriè autem liber Dei generatim eſt firma & perfecta Dei notitia prædeſtinatorum, reproborum, rerumque omnium, juxta illud Pſalmi 138. *in libro tuo omnes ſcribentur.* Unde notitia reproborum dici poſſet liber mortis, ſed Scriptura abſtinet ab hâc loquendi ratione; contrà verò ſæpiùs teſtatur Deum neſcire reprobos, ut Matth. 7. verſ. 23. & cap. 25. verſ. 12. & nomina eorum ſcripta eſſe in terris, Jer. 17. verſ. 13. *recedentes à te in terrâ ſcribentur.* Scilicet legetur in ſeculorum commentariis & hiſtoriis ipſos fuiſſe reges, duces, retuliſſe victorias, &c. Et hæc pars illorum. Electis autem ait Chriſtus, Luc. 10. verſ. 20. *Gaudete... quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.*

Ergo liber vitæ eſt notitia juſtorum, de quibus dicitur Pſalmo 1. *novit Dominus viam juſtorum.*

Duplex autem eſt ejuſmodi liber, alius ſimpliciter dictus, alius ſecundùm quid. In primo ſcribuntur prædeſtinati ad vitam æternam, & eſt ipſamet prædeſtinatio; in ſecundo verò juſti, qui

temporales ſunt, nec perſeverant uſque in finem.

Q. 4°. *Poteſt ne quis deleri de libro vitæ?*

R. 1°. De libro vitæ ſecundùm quid juſtos qui non perſeverant, deleri, juxta illud Pſal. 68. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.* Difficultas ſolùm eſt de libro vitæ ſimpliciter.

Semipelagiani, ut refert Sanctus Proſper in epiſt. ad Sanctum Auguſtinum, contendebant adversùs Sanctum Doctorem, librum vitæ ſimpliciter dictum, ſeu prædeſtinationem non eſſe immutabilem, adeò ut prædeſtinati poſſint fieri reprobi, & viciſſim reprobi prædeſtinati, alioquin, aiebant illi, *ex utrâque parte ſuperfluus eſt labor, ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ poſſit excidere.* Sed contra.

R. 2°. Liber vitæ ſimpliciter dictus eſt immutabilis, nec prædeſtinati poſſunt fieri reprobi. Quamvis hæc reſponſio perſpicuè colligatur ex dictis, nihilominus.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Joan. 10. verſ. 28: *Ego vitam æternam do eis* (ovibus) *& non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu meâ.*

Probatur 2°. ex Sancto Auguſtino lib. de Cor. & gr. cap. 2. *horum*, inquit, *ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus; ſed nemo illorum perit, quia nullâ re vincitur Deus.*

Nec ſequitur ſuperfluum fore laborem ſive in prædeſtinatis ſive in reprobis: namque 1°. Deus prædeſtinatos perducit ad regnum inter pericula & tentationes & bona opera, in quibus vigilantiâ, labore, & induſtriâ opus eſt. 2°. ad omnium ſalutem utitur miniſtrorum ſuorum exhortationibus & correctionibus, quas ſi neglexerint reprobi, eorum culpa eſt: Deus enim impoſſibilia non jubet, ſed jubendo omnes monet & facere quod poſſint, & adjuvat ut poſſint.

Dices: Moyſes fuit prædeſtinatus, & nihilominus ait Exodi 32. verſ. 32. *dele me libro tuo, quam ſcripſiſti:* Ergo prædeſtinatio non eſt immutabilis.

Diſtinguo antecedens, & id dixit Moyſes in hypotheſi, quam ſciebat impoſſibilem, Concedo: in hypotheſi poſſibili, Nego anteced. Moyſes itaque verba illa protulit ex ardenti zelo pro ſalute populi Iſraëlitici, qui Deum graviter offenderat, & ex ſingulari fiduciâ, quâ apud Deum audebat, eo modo quo chariſſima Principis conjux, ut veniam ei, pro quo intercedit, faciliùs & certiùs impetret, hanc apponit conditionem, quàm probè ſcit eſſe impoſſibilem, aut dimitte illi hanc noxam, aut me cum illo ſimul interfice.

Inſtabis: Apoc. 3. verſ. 11. prædeſtinato dicitur, *tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam:* Ergo prædeſtinatus poteſt deleri de libro vitæ ſimpliciter dicto.

Diſtinguo antecedens, prædeſtinato, qui præcedentibus meritis coronam vitæ meruerat, ſed cùm ipſe neſciret num perſeveraturus foret, meritò timendum ei erat, ne, quemadmodum juſti temporales, amitteret juſtitiæ ſuæ meritum, Concedo: ſic Apoſtolus poſt multos exantlatos labores timebat ne reprobus efficeretur, 1. Cor. 9. prædeſtinato, qui noverat & ſpeciali revelatione coronam præcedentibus meritis eſſe præparatam voluntate abſolutâ & conſequente, Nego anteced. & conſeq.

Q. 50. *Unde deſumitur certitudo & immutabilitas prædeſtinationis ad gloriam?*

Moliniſtæ, qui rejiciunt decreta antecedenter abſoluta & efficacia, conſequenter docent repetendam ex Dei præſcientiâ, ſeu ſcientiâ mediâ, quâ Deus ab æterno prævidit quid actura eſſet humana voluntas auxilio ſufficienti præventa &

adjuta, an gratiæ verſatili conſenſura, & uſque in finem eſſet perſeveratura. Verùm, poſito illo ſyſtemate, nulla fuiſſet Auguſtino cum Semipelagianis controverſia circa propoſitam quæſtionem; illi quippe hæretici agnoſcebant in Deo futurorum liberorum præſcientiam; quæ falli non poſſit, & ex eorum conceſſis Sanctus Auguſtinus (ut ſupra retulimus) probat adversùs illos decreta efficacia non magis nocere libertati, adhortationibus & correctionibus, quam præſcientiam; cùm æquè ex Dei præſcientiâ atque ex abſoluto ejus decreto oriatur neceſſitas hypothetica & conſequentiæ. Ergo in ſententiâ Sancti Auguſtini certitudo prædeſtinationis non ex præſcientiâ ſolùm, ſed & ex decretorum immutabilitate repetitur. Quare

R. Certitudo & immobilitas prædeſtinationis ad gloriam oritur ex decreti divini efficaciâ.

Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ certitudinem prædeſtinationis conſtanter repetit ex omnipotentiſſimâ Dei voluntate, Joan. 10. verſ. 29. *Pater meus, quod dedit mihi majus omnibus eſt & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Rom. 8. verſ. 32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos.*

Probatur 2°. ex Sancto Auguſtino lib. de Cor. & Gr. cap. 2. ubi ſic habet, *Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit liberum arbitrium: ſic enim velle & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.*

CAPUT XX.

De Reprobatione.

Quæremus ſub hoc titulo, 1o. quæ ſint nomina reprobationis, & reproborum, 2o. utrum exiſtat reprobatio. 3o. quotuplici modo ſpectari & definiri poſſit. 4o. quæ ſint ejus cauſæ. 5o. qui effectus.

Paragraphus I.

De nomine, & exiſtentiâ reprobationis.

Q. 1°. *Quid ſignificat reprobationis nomen?*

R. Reprobatio ſecundùm vim nominis, eſt rejectio, quæcunque tandem illa ſit. Unde Apoſtolus de veteri Teſtamento per novum excluſo, ait Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.*

Ex communi autem Chriſtianorum uſu nomine reprobationis intelligitur rejectio, ſeu excluſio à gloriâ cœleſti, reprobatio quippe opponitur prædeſtinationi; cùm ergo prædeſtinatio ſit electio ad gloriam & felicitatem æternam, ſequitur nomen reprobationis accipiendum eſſe pro ejectione à gloriâ, & à felicitate æternâ.

Q. 2o. *Quomodo vocantur in Scripturis, quos Deus excludit à gloriâ.*

R. Vocantur reprobi, ut 2. Cor. 13. verſ. 5. *niſi fortè reprobi eſtis.* Maledicti, Matth. 25. verſ. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Filii perditionis, Joan. 17. verſ. 12. vaſa iræ, Rom. 9. verſ. 22. Odio habiti, ibid. verſ. 13. Deſpecti, Eccleſ. 7. verſ. 14. *conſidera... quòd nemo*

poſſit corrigere quem ille (Deus) *deſpexerit.* Appellantur quoque à ſanćti Patribus præſciti, ut diſtinguantur à prædeſtinatis, quorum opera Deus non ſolùm præſcivit, ſed etiam prædefiniit, & in tempore operatur, illibatâ eorum libertate, ut vitam æternam infallibiliter conſequantur, cùm contrà reproborum mala opera, quibus obnoxios ſe reddunt damnationi æternæ, ſolùmmodo præſciat, & ordinet. A Concilio tamen Valentino reprobi dicuntur prædeſtinati ad mortem *Fidenter fatemur*, inquiunt Patres can. 3. *Prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem : In electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum : In damnatione verò periturorum, meritum malum præcedere juſtum Dei judicium,*

Q. 10 *Datur-ne Reprobatio ?*

R. In confeſſo eſt apud omnes tum Catholicos, tum Heterodoxos dari reprobationem, probaturque ex laudatis Scripturæ textibus, in quibus fit expreſſa mentio reproborum, maledictorum, filiorum perditionis, &c.

PARAGRAPHUS II.

De variâ acceptione, & definitione Reprobationis.

Q. 10. QUotuplici modo ſpectari poteſt Reprobatio ?

R Duplici, adæquatè ſcilicet, & inadæquatè.

Reprobatio adæquatè ſumpta duo includit, nempe rejectionem à gloriâ, & deſtinationem ad ſupplicium æternum.

Prius ſe habet ut terminus à quo, & poſterius ut terminus ad quem, juxta illud Matth. 25 *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Per verbum *diſcedite*, denotatur receſſus, & per ſe-

quentes voces, *in ignem æternum*, ſignificatur acceſſus.

Reprobatio inadæquatè ſpectata dicit duntaxat alterutrum ex duobus terminis in reprobatione adæquata compreheuſis, eſtque, vel rejectio à gloriâ, vel deſtinatio ad ſupplicium æternum.

Ergo reprobatio inadæquatè ſumpta duplex eſt, alia negativa, quæ eſt excluſio à perſeverantiâ finali, & gloriâ æternâ: alia poſitiva, nimirùm deſtinatio ad pœnam æternam. Quanquam reprobatio poſitiva plerumque confunditur cum adæquata & totali, quia nullus damnatur ad pœnam æternam, quin ſimul excludatur à vitâ æternâ.

Hæc diviſio reprobationis in negativam & poſitivam celebris eſt in Scholis, & præ oculis habenda, cùm infrà quæretur quæ ſit reprobationis cauſa.

Q. 2°. *Quomodo definitur reprobatio adæquata & totalis?*

R. Definitur, æternum & efficax Dei decretum privandi aliquos gratiâ finali, & gloriâ cœleſti, illoſque addicendi pœnis æternis.

Dicitur 1°. *æternum & efficax Dei decretum*, quia exiſtimandum non eſt illam excluſionem eſſe in Deo meram negationem alicujus actûs poſitivi, quæ poſſit dici non electio; quæ enim Deus in tempore exequitur, hæc ab æterno facienda decrevit. Reprobatio itaque eſt in Deo actus poſitivus.

Confirmatur. Si reprobatio etiam negativa eſſet actûs negatio, infiniti Angeli & homines poſſibiles, nunquam tamen futuri, dici poſſent reprobati; quia ſicut in Deo nullum eſt decretum illos creandi, ita nulla voluntas, nullus actus gloriæ illis conferendæ, ſed Deus reſpectu

illorum merè negativè ſe habet.

Dicitur 2°. *efficax*; quia voluntas antecedens & conditionata dici nequit reprobatio, alioquin Angeli viatores, etiam qui in bono permanſerunt, dicendi forent reprobati; quia cùm Deus in manu liberi eorum arbitrii reliquiſſet vel in gratiâ permanere, vel ab eâ excidere, voluit conditionatè illos à gloriâ excludere, & pœnis æternis addicere, nempè ſi à bono deficerent. Reprobatio itaque eſt decretum Dei efficax puniendi inobedientes experturos in ſuppliciis ejus poteſtatem, cujus bonitatem in donis contempſerunt; ſapientiam enim non vincit malitia.

Dicitur 3°. *privandi*, ut ſignificetur excluſionem à gratiâ finali & à gloriâ non dici reprobationem, niſi habeat rationem privationis. Illud autem intereſt negationem inter & privationem, quòd illa ſit abſentia formæ indebitæ, iſta vero abſentia formæ debitæ, ſic abſentia visûs v. g. in lapide eſt mera negatio; in homine autem privatio; quia lapis non eſt inſtitutus ad videndum ſicut homo. Hinc excluſio à gloriâ in ſtatu poſſibili naturæ puræ, de quo Tract. de Gratiâ, non foret privatio, nec proinde reprobatio; quia, cùm ſtatus ille non eſſet ordinatus ad finem ſupernaturalem, homines in illo degentes, & à gloriâ excluſi non dicerentur reprobati; illa quippe excluſio eſſet in ipſis mera negatio.

Dicitur 4°. *à gratiâ finali & gloriâ*; quia nullus poſitivè reprobatur, niſi propter peccatum finale, & cum morte conjunctum, in quo intelligitur excluſio à gratiâ finali, quæ in hoc ſtatu eſt ſemper donum efficax. David v. g. permiſſus eſt labi in adulterium, ſanctus Petrus in negationem, & Sanctus Thomas in incredulitatem, nec propterea reprobati ſunt; quia excluſi non

fuere à gratiâ finali, nec proinde à gloriâ.

Dicitur 5°. *illoſque addicendi pœnis æternis*; quia in hoc ſtatu non datur medius locus inter beatitudinem ſupernaturalem, & pœnam æternam, in hypotheſi etiam quòd parvuli, qui ſine baptiſmo exeunt, igne non crucientur, quòd expendetur, ubi de peccato originali.

Q. 3°. *Quomodo definitur reprobatio?*

R. Definitur efficax Dei decretum non præparandi quibuſdam beneficia quibus certiſſimè liberentur.

Dicitur 1°. *decretum*; quia reprobatio eſt in Deo actus poſitivus.

Dicitur 2°. *non præparandi quibuſdam beneficia*, &c. Quia reprobatio negativa contrariè opponitur prædeſtinationi: contrariorum autem contrariæ ſunt rationes. Cùm ergo prædeſtinatio ſit decretum præparandi ejuſmodi beneficia, reprobatio negativa neceſſariò intelligi debet decretum eadem non præparandi.

Dices: reprobatio negativa eſt excluſio à gloriâ: atqui decretum non præparandi ejuſmodi beneficia non eſt excluſio à gloriâ, cùm illam conſequi poſſint ii, quibus non præparantur; Deus enim vult illos ſalvos fieri.

Nego minorem; nam ex dictis quicunque non eſt prædeſtinatus, eſt reprobus: nec ſalvabitur, quamvis ſalvari poſſit per auxilia ſufficientia.

Q. 4°. *Quomodo definitur reprobatio poſitiva?*

R. Definitur efficax Dei decretum addicendi quoſdam pœnis æternis. Hæc definitio ex dictis perſpicua eſt.

Supereſt jam ut inveſtigemus quod caput eſt in hac materia, nimirum quæ ſit cauſa formalis, ſeu ratio cur Deus aliquos reprobet.

Dico, *cauſa formalis*, nam de aliis cauſis nullum poteſt eſſe dubium: non quidem de mate-

riali; conſtat enim Angelos & homines reprobos eſſe reprobationis cauſam materialem, ſeu ſubjectum. Neque etiam de cauſâ efficiente; quis enim præter Deum excludere poteſt à gloriâ cœleſti, & pœnis æternis addicere? Nec denique de causâ finali, *Univerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Prov. 16. nempe ad manifeſtationem divinæ ſuæ juſtitiæ. Tota igitur difficultas & controverſia eſt circa caūſam formalem, & rationem cur Deus aliquos reprobet.

Paragraphus III.

De causâ reprobationis poſitiva & totalis.

Q. 1°. *Quænam eſt cauſa Reprobationis poſitivæ?*

R. Zuinglius & Calvinus non aliam ſtatuunt, præter voluntatem Dei, qui ex Angelis & hominibus alios antecedenter prædeſtinavit ad pœnas æternas, alios ad felicitatem æternam; docentque Deum vi illius decreti, & ex poteſtate, quâ dominatur creatis voluntatibus, reprobos ad mala opera, & electos ad bona efficaciter movere; adeo ut traditio Judæ non minùs ſit opus Dei, quàm confeſſio S. Petri: neque propterea Deum dicendum auctorem peccati; quia omnia operatur voluntate rectâ, ſcilicet propter gloriam ſuam. *Unum igitur*, inquit Zuinglius Serm. de provid. *atque idem facinus, putâ adulterium, aut homicidium, quantùm Dei auctoris, motoris, impulſoris opus eſt, crimen non eſt: quantùm autem hominis eſt, crimen ac ſcelus eſt.* Calvinus quoque lib. 3. Inſtitut. cap. 21. num. 5. ſic ſcribit: *aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur.* Lib. 1. cap. 18. num. 2. *à Deo ipſo manat efficacia er-*

roris. Lib. de Prædeſtinat. *quæ ſceleratè ab omnibus maleficia perpetrantur, etiamſi prima cauſa ſit ejus* (Dei) *voluntas, peccati tamen eum eſſe auctorem nego.* Ibidem refellit Catholicos, definientes mala fieri Dei permiſſu, non voluntate. Et Lib. Inſtitut. cap. 22. parag. 7. *Decretum quidem horribile, fateor, inficiari tamen nemo poteſt, quin præſciverit Deus quem exitum habiturus eſſet homo, antequam ipſum conderet, & ideo præſciverit, quia decreto ſuo ſic ordinarat.* Quam doctrinam ipſimet Calvini Sectatores, adeò exhorruerunt, ut plures Magiſtrum hâc in parte deſeruerint, aſſentianturque Concilio Tridentino ſic definienti ſeſſ. 6. can. 6. *Si quis dixerit .... mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permiſſivè ſolum, ſed etiam propriè & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli; anathema ſit.* Et can. 17. *Si quis.... dixerit reliquos... omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, ut pote divinâ poteſtate prædeſtinatos ad malum; anathema ſit.* Quare ad propoſitam quæſtionem.

R. Reprobatio poſitiva non eſt ante, ſed poſt prævisa demerita, hoc eſt, peccatum eſt reprobationis poſitivæ cauſa formalis, non vero ejus effectus.

Probatur 1°. ex Scripturâ tum veteris, tum novi Teſtamenti Oſee 13. verſ. 9. *Perditio tua Iſraël* (ex te;) *tantummodo in me auxilium tuum.* Sap. 1. verſ. 13. & 14. *nec lætatur* (Deus) *in perditione vivorum; creavit enim, ut eſſent omnia.* Et cap. 11. verſ. 25. *Diligis.... omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Pſal 5. *non Deus volens iniquitatem tu es,* Jacobi 1. verſ. 13. & 14. *nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat. Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentiâ ſuâ.* 1. Tim. 2 verſ. 4. *Omnes homines vult ſalvos fieri.* Et verſ. 6. de Chriſto ait: *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.*

Probatur

Probatur 2°. ex Traditione.

Concilium Arauſicanum anno 529. ſic decernit cán. 25. *aliquos ad malum divinâ poteſtate eſſe prædeſtinatos non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt, qui tantum malum credere nt, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.*

Concilium Valentinum III. anno 855. Can. 3. hæc habet: *Fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam: & prædeſtinationem impiorum ad mortem; in electione tamen ſalvandorum miſericordiam præcedere meritum bonum; in damnatione verò periturorum meritum malum præcedere juſtum Dei judicium.* Et infrà addit, *in malis Deum illorum malitiam, quæ ex ipſis eſt, præſciiſſe, non prædeſtinaſſe; quia ex illo non eſt; pœnam verò malum eorum ſequentem & præſciiſſe, & prædeſtinaſſe, quia juſtus eſt.*

Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 11. *uſque ad delictum hominis*, inquit, *Deus à primordio tantùm bonus, exinde judex & ſeverus... ita prior bonitas Dei ſecundùm naturam, ſeveritas poſterior ſecundùm cauſam; illa ingenita, hæc accedens: illa propria, hæc accommodata: illa edita, hæc adhibita: alteram ſibi, alteram reis Deus præſtitit.*

S. Auguſtinus lib. 3. contra Julian. c. 18. *Bonus eſt Deus*, inquit, *juſtus eſt Deus: poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare; quia bonus eſt: non poteſt quenquam ſine malis meritis damnare; quia juſtus eſt.*

Sanctus Proſper de reprobis ſic loquitur cap. 7. ad capita Gallorum, *horum lapſum Deo aſcribere immodicæ pravitatis eſt, quaſi ideo ruinæ ipſorum impulſor atque auctor eſt, quia eos ruituros propriâ ipſorum voluntate præſcivit; & ob hoc à filiis perditionis nullâ prædeſtinatione diſcrevit.*

Dices 1°. Prov. 16. habetur, *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum:* Ergo Deus aliquos creavit ad æternam damnationem.

Diſtinguo antecedens; impium quoque creavit, materialiter, hoc eſt, naturam ejus condidit, Concedo: formaliter, quaſi ſit auctor & impulſor hujus malitiæ, Nego antecedens; Deus enim nihil odit eorum, quæ fecit, Sap. 11. Atqui *odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*. Sap. 14. Ergo Deus non fecit impium ut impius eſt. Senſus itaque eſt unum eſſe rerum omnium auctorem, qui omnia in ſuam gloriam convertit, etiam impium; quamvis enim à lege æternâ recedat, non effugit tamen omnipotentem Dei juſtitiam, quæ illum ſervat in diem malum. Unde Chaldæus vertit, *impium quoque, qui ſervatur ad diem malum*.

Inſtabis 1°. Amos 3. verſ. 6. dicitur, *ſi erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*: Ergo Deus non impiorum duntaxat, ſed & impietatis illorum auctor eſt.

Diſtinguo antecedens, malum pœnæ, Concedo; cùm enim ſit juſtum, abſolutè bonum eſt: malum culpæ, Nego antecedens. Legatur integrum caput, & palàm fiet in eo agi de malo pœnæ.

Inſtabis 2°. Atqui in malo pœnæ intelligitur etiam malum culpæ, cujus Deus ſe cauſam dicit, quatenus impios impellit ad patientiam juſtorum exercendam, & peccatorum prævaricationes puniendas. Nam Geneſ. 45. ait Joſeph ad fratres, qui illum injuſtè vendiderant, *non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*, 2. Reg. cap. 16. Dominus præcepit Semeï, ut malediceret David. 3. Reg. cap. 22. ait Dominus ad Sathan, qui promiſerat ſe decepturum Achab, *decipies, & prævalebis, egredere, & fac ita*. Job. 1. *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, inquit vir innocens de rapinâ injuſtâ Chaldæorum, quam tribuit Deo. Jerem. 51. *ſuſcitavit Dominus ſpiritum*

regum Medorum, ad vaſtandam Babylonem, quod erat in ipſis injuſtum. Act. cap. 2. ſanctus Petrus injuſtam & crudelem Chriſti mortem æterno Dei decreto tribuit: *hunc*, inquit, *definito conſilio, & præſcientiâ Dei traditum... interemiſtis* Ergo Deus æquè eſt auctor mali culpæ, ac mali pœnæ.

Diſtinguo minorem; Deus impios impellit, eiſque præcipit impropriè, vel permiſſivè, quatenus pravis voluntatibus dat nocendi poteſtatem, nec gratiâ ſuâ illas refrenat, ſed habenas veluti laxat, quemadmodum venator eo ipſo, quo ſolvit canem, dicitur illum immittere in leporem, Concedo: impellit poſitivè, & propriè præcipit, Nego minorem. Itaque Deus quod ab æterno definierat, nempe exaltare Joſeph, ſalvare mundum per mortem Filii, punire David, Achab; Babylonios, & identidem Judæos idololatras factos, martyrii gloriâ coronare electos, illud ipſum in tempore executus eſt per pravas iniquorum voluntates, quas quidem non excitavit, ſed non impedivit; ordinavit tamen eas ad finem à ſe intentum. Unde opus ipſum, (ſcilicet patientia Joſeph, Jobi, Martyrum; & Domini noſtri pœna David, Achab, Babyloniorum, & Judæorum,) ſanctum eſt, & juſtum, & à Deo prædefinitum, ipſa verò operis executio injuſta, crudelis, Deo inviſa, ſed ad ipſo ordinata ad meritum Juſtorum, & vindictam reproborum; Deus enim ita bonus & potens eſt, ut malis noſtris bene utatur ad gloriam ſuam, & ſalutem electorum.

Urgebis: Atqui Deus poſitivè inducit hominum voluntatem ad malum: Ergo nulla ſolutio.

Probatur antecedens ex Scripturâ, Pſal. 104. *Convertit cor eorum* (Ægyptiorum) *ut odirent populum ejus, & dolum facerent in ſervos ejus*. Exodi cap.

4. *Ego indurabo cor ejus*, (Pharaonis) Rom. 9. *quem vult indurat.*

Nego ſubſumptum, cujus confirmationem diſtinguo, convertit in malum corda improborum, & indurat permiſſivè: indirectè & occaſionaliter, Concedo: poſitivè, & directè, Nego.

1°. Itaque Deus obdurat, non infundendo malitiam, ut docet S. Auguſtinus epiſt. 194. aliàs 105. ſed, non impertiendo gratiam; nam ſicut aqua, recedente Sole, frigore conſtringitur, ſic Deo deſerente corda congelaſcunt; & duriora plerumque evadunt repetitis admonitionibus & caſtigationibus, quod cernere eſt in Pharaone.

2°. Deus occaſionaliter & per accidens corda in malum convertit, quatenus bona temporalia, quæ inordinatè concupiſcunt, ſunt ipſis plurium peccatorum occaſio; vel enim Deus ad eorum votum illa plenius largitur & inde ſuperbiunt, luxurianturque; vel denegat, cùm interim alios, ipſis cernentibus, copiosè amplificet; & inde impii odio ac invidiâ exardeſcunt, quemadmodum dicitur Pſalm. 111. *Cornu ejus* (juſti) *exaltabitur in gloria, peccator videbit & iraſcetur:* ſic ad litteram Deus convertit corda Ægyptiorum, ut odirent populum ejus, quatenus rerum copia, quâ Deus Iſraëlitas in terrâ alienâ ſolabatur, fuit Ægyptiis invidendi occaſio.

3°. Deus indirecté inclinat malas voluntates ad hoc potiùs, quam ad aliud malum, cùm vel per ſe interiùs, vel per hominis miniſterium, extrinſecùs viam obſtruit, ne iis noceant, quos ſervare decrevit, quo fit, ut mala voluntas in malum ruat eâ, quâ patet, viâ. Sic diceretur quis aquam in pratum deducere eo ipſo, quo alveum, in quo concludebatur, rumperet, cùm hoc tamen duplici diſcrimine, quòd aqua in

illâ hypotheſi neceſſariò & ex intentione viam aperientis in pratum deflueret: contrà vero reprobi, cùm nocere non permittuntur iis, quos Deus protegit, liberè & contra Dei voluntatem ad alia ſcelera ipſis libera ſeſe convertunt, ut Abſalom ad horrendum inceſtum, 2. Reg. cap. 16. Attamen Deus ſuum opus affirmat, 2. Reg. cap. 12. *Tu... feciſti abſconditè*, ait Davidi, *ego autem faciam... in conſpectu Solis*. Facturum ſe dicit, non poſitivè & indirectè, ſed permiſſivè, ſubſtrahendo ſcilicet gratiam, quæ horrorem tanti criminis injiceret, occaſionaliter inſpirando Davidi ſatius eſſe relinquere mulieres ad cuſtodiendam domum, quàm viros armatos; quia minùs videbatur periculi, ne Abſalom in illas deſæviret, quàm in iſtos. Indirectè etiam, permittendo nefandum illud Achitophelis conſilium, potiùs quàm alia, quæ in mentem ejus venire poterant. Hoc providentiæ & juſtitiæ divinæ myſterium præclarè expoſuit Hugo à ſancto Victore lib. 1. de Sacram. parte 5. cap. 29. ubi ſic ſcribit, *de il o autem modo divinæ moderationis, quo malas voluntates, præſidens occultâ & inviſibili operatione, ad ſuum arbitrium temperat & inclinat, ſentiendum eſt ut credatur malis voluntatibus Deus non dare corruptionem, ſed ordinem. In voluntate vitium eſt, & ex ipſo voluntas mala eſt: & ordo eſt, in quantùm ad hoc vel ad hoc ex diſponente eſt. Poteſt ergo mala voluntas in ſe corrumpi, quod ei aliunde non datur; ſed non poteſt per ſe velle extra ſe præcipitari, niſi quâ ei viâ aperitur, cui præcipiti, quâ vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipſam inclinat, non impellendo, ſed permittendo, & non tenendo; nec auctor illi eſt ruendi, ſed incedendi ordinator.* Opus itaque Dei eſt injuſta Chaldæorum deprædatió, inceſtus Abſalonis, deceptio Achab, non quatenus horum impulſor, ſed quatenus ordinator.

Dices 2°. Rom. 9. verſ. 11. & 13. de Jacob & Eſaü, cùm nundum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, ſcriptum eſt, *Jacob dilexi, Eſaü autem odio habui.* verſ. 18. *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* verſ. 21. *an non habet poteſtatem figulus luti, ex eâdem maſsâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ergo Deus ex Apoſtolo antecedenter prædeſtinat æquè ad damnationem ac ad vitam æternam.

Nego conſeq. Agit enim Apoſtolus de hominibus peccato originali infectis, de maſsâ corruptâ, de vaſis iræ; ac proinde in ejus mente reprobatio eſt ex prævifione peccati, ſaltem originalis. Ita ſanctus Auguſtinus epiſt. 186. aliàs 106. *nulla*, inquit, *in Jacob & Eſaü opera propria bona vel mala; ſed uterque illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt.* Et lib. 2. ad Bonifacium cap. 7. ubi dicitur: *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat; qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, bonum quidem immeritò & gratis datur, quia in eâdem maſsâ eſt cui datur: malum verò meritò & debitum redditur; quia in maſsâ perditionis malum malo non malè redditur.*

Inſtabis: atqui Apoſtolus reprobationem refundit, non in peccatum originale, ſed in ſolam Dei voluntatem. Cùm enim reproborum nomine ſibi objiciat, v. 19. quid adhuc conqueritur Deus, quòd peccatores ad ipſum non convertantur, ſi quos vult eligit, & quos vult indurat ac reprobat; voluntati enim ejus quis reſiſtit? In promptu occurreret allata S. Auguſtini reſponſio, ſi eſſet ad Apoſtoli mentem; ſed illâ neglectâ, opponit abſolutam Dei voluntatem, & ſupremum ejus in creaturas dominium, quo de illis diſponere poteſt, prout libuerit, quemadmodum figulus diſponit de ſubiecto ſibi luto, ad

quem voluerit uſum. *O homo*, inquit, *tu quis es, qui reſpondeas Deo*, id eſt, qui diſputes cum Deo? *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quod me feciſti ſic?* Ergo reprobatio æquè ac prædeſtinatio ex ſolâ Dei voluntate repetenda eſt.

Diſtinguo antecedens, in ſolam Dei voluntatem refundit reprobationem comparatè ſpectatam, Concedo: abſolutè ſpectatam, Nego antecedens: Atque ut ſolutio percipiatur, ſuadeaturque, attendendus eſt ſcopus Apoſtoli in hâc Epiſtolâ, nimirum probare intendit contra Judæos in lege confidentes, & contra Gentiles, præſertim Philoſophos, de ſuâ juſtitiâ præſumentes, gratiam nec dari nec decerni meritis; *omnes enim*, inquit cap. 3. *peccaverunt & egent gloriâ Dei*,. cap. 5. *in quo* (Adamo) *omnes peccaverunt.* Et cap. 11. *Concluſit... Deus omnia in credulitate, ut omnium miſereatur.* Ergo totus Apoſtoli diſcurſus circa prædeſtinationem & reprobationem, ſupponit peccatum, ſaltem originale, ex quo invincibiliter eruit electionem quorundam, v. g. Jacob eſſe prorſus gratuitam, & ex merâ miſericordiâ: rejectionem contrà aliorum, puta Eſaü, eſſe juſtiſſimam. Jam verò pergenti quærere cur Deus hos potiùs, quàm illos eligit aut indurat? reſpondet Apoſtolus, *ô homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?...* *an-non habet poteſtatem figulus luti, ex eâdem maſſâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* quibus verbis Apoſtolus apertè demonſtrat cauſam diſcretionis inter vaſa iræ, & vaſa miſericordiæ ad invicem comparata, non eſſe repetendam, niſi à voluntate Dei, juſtâ quidem erga vaſa iræ, quibus pro maſſæ meritis retribuit: gratuitâ verò erga vaſa miſericordiæ, quæ ſine præcedentibus meritis præparat in gloriam; quemadmodum, inquit ſanctus Auguſtinus cit. cap. 7. lib. 2. ad Bonif. *ſi duobus debitori-*

bus æqualiter reis, alteri dimittitur, ab altero exigitur quod pariter ab utroque debetur: prior itaque habet unde gratias agat creditori, ut poſteriori conqueri non poſſit, quòd in æquali ratio agendi in creditore ſit tam diverſa.

Paragraphus IV.

De causâ reprobationis negativæ.

Q. 1. Quænam eſt *cauſa reprobationis negativæ?* R. Non æquè convenit inter Catholicos circa cauſam reprobationis negativæ, ac circa cauſam reprobationis poſitivæ.

Nonnulli ex Scholâ S. Thomæ, ut Eſtius, ſolam Dei voluntatem agnoſcunt cauſam reprobationis negativæ, tam Angelorum, qui ceciderunt, quàm hominum, qui non liberantur, contenduntque Angelos apoſtatas ſine eorum prævisis demeritis excluſos fuiſſe à gloriâ, & conſequenter ab auxilio neceſſario ad perſeverandum in gratiâ, in quâ conditi fuerant; quia cùm gloria ſit beneficium creaturæ indebitum, utpote ſupernaturale, Deus abſque cujuſquam injuriâ illud denegare poteſt; nec ipſi deſunt denegandi rationes, quas Apoſtolus exponit. Rom. 9. ut ſcilicet juſtitiam ſuam manifeſtet in vaſa iræ, & divitias bonitatis ſuæ magis commendet in vaſa miſericordiæ. *Dicit enim Scriptura Pharaoni*, inquit, v. 17. *quia in hoc ipſum excitavit te, ut oſtendam in te virtutem meam.* Et verſ. 22. *quid ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſubſtinuit in multa patientiâ vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Confirmat etiam ſuam ſententiam auctoritate S. Thomæ, qui ad Annibaldum diſtinct. 41.

lib. 1. qu. unicâ art. 3. ſic ſcribit: *Voluntas de contradictorio ſecundùm quam vult* (Deus) *aliquem non ſalvari... non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cùm ſalus gloriæ non ſit debita naturæ humanæ; non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo.*

Quamvis hæc ſententia longè diſtet ab impietate Calvini, quâ definit Deum ante prævifa demerita, quoſdam non ſolùm excludere à regno ſuo, ſed etiam poſitivè deſtinare ad pœnas æternas, quarum ut reos ſeſe conſtituant, efficaciter impelli à Deo ipſos ad malè operandum: quam blaſphemiam iſti Thomiſtæ, non ſecùs ac alii Catholici exhorrent; nihilominus.

Refellitur 1°. ſeverior illa ſententia à ceteris Thomiſtis, & ab aliis Theologis communiter 1°. ex Scripturâ. Sap. 1. *Nec lætatur* (Deus) *in perditione vivorum; creavit enim, ut eſſent omnia.* Et cap. 11. *nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* 1. Tim. 2. *qui... omnes homines vult ſalvos fieri.* Ergo neminem à ſalute excludit, niſi peccando eâ ſe reddiderit indignum. 2. Petri cap. 3. *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Refellitur 2°. tum ex ſancto Auguſtino, tum ex S. Thomâ.

Sanctus quidem Auguſtinus epiſt. aliàs. 106. nunc verò 86. num 18. *Hæc maſſa*, inquit, *ſi eſſet ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, ut ex eâ fierent vaſa in contumeliam.*

Sanctus quoque Thomas quæſt. 3. de verit. art. 2. ad 9. *in ipsâ electione*, inquit, *ratio eſt divina bonitas: ratio autem reprobationis peccatum originale, ut Auguſtinus dicit.* Et lect. 4. in caput 9. ad Rom. ait: *Humana natura vilitatem habet ex ſuâ materiâ; quia, ut dicitur* Gen. 2. *fecit Deus hominem de li-*

mo : ſed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati ... Et ideo homo meritò luto comparatur. Similiter & Deus liberam habet poteſtatem ex eâdem maſſâ corruptâ generis humani, ſicut ex quodam luto ... quoſdam homines facere præparatos in gloriam, quoſdam in miſeriâ relictos.

Ad momenta, quibus Thomiſtæ illi ſuam ſententiam ſtabilire conantur, facilis eſt reſponſio.

Ad primum diſtinguo, gloria eſt beneficium indebitum creaturæ ad eam non ordinatæ, ut in ſtatu naturæ puræ, quem poſſibilem probamus Tract. de Gratiâ pag. 344. Concedo: creaturæ ad eam ordinatæ per gratiam, Nego; debet enim Deus ſaltem ſuæ ſapientiæ, ut creaturam à fine, ad quem illam ordinavit, non excludat ſine ejus demerito; ſub Deo quippe juſto, inquit Sanctus Auguſtinus, nemo niſi mereatur, miſer eſſe poteſt: atqui ſive Angelus, ſive homo miſer eſſet, ſi non aſſequeretur finem, ad quem Deus gratiâ ſuâ illum ordinavit.

Ad ſecundum, Apoſtolus non loquitur de maſſâ purâ, ſed peccato originali infectâ, interpretibus ſancto Thomâ loco mox citato, & ſancto Auguſtino lib. 2. ad Bonif. cap. 7. ubi ſic ſcribit: *quod ab iræ vaſis exigit juſtitia punientis, hos vaſis miſericordiæ dimittit gratia liberantis; nec beneficium, quod quibuſdam gratis tribuitur, appareret, niſi Deus aliis ex eâdem maſſâ pariter reis, juſto ſupplicio condemnatis, quid utriuſque deberetur, oſtenderet?*

Ad tertium, vel ſanctus Thomas jam ſenior retractavit quod junior ſcripſerat ad Annibaldum, ut nonnulli exiſtimant: vel (quod veriſimilius eſt) loquitur de reprobatione comparatè ſpectatâ in hypotheſi peccati originalis, quo ſuppoſito, *Deus*, inquit, lect. 4. mox laudatâ *liberam habet poteſtatem ex eâdem maſſâ corruptâ generis hu-*

mani, ſicut ex quodam luto... quoſdam homines facere præparatos in gloriam, quoſdam in miſeriâ relictos. Derelictis autem quærentibus rationem, cur non eligantur ſicut alii cùm omnes ſint æqualiter rei, reſpondet Angelicus Doctor, non requiri rationem, *quare non dem alicui, cui dare non debeo.* Idipſum repetit in poſtremo ſuo opere, nimirum in Summâ 1. part. quæſt. 23. art. 5. ubi poſtquàm ſibi objecit iniquum videri, ut æqualibus inæqualia dentur: omnes autem homines eſſe æquales & ſecundùm naturam, & ſecundùm peccatum originale, ſic reſpondet ad tertium: *Voluit... Deus... quantùm ad aliquos, quos prædeſtinat, ſuam repræſentare bonitatem, per modum miſericordiæ parcendo: & quantùm ad aliquos, quos reprobat, per modum juſtitiæ puniendo. Et hæc eſt ratio quare Deus quoſdam elegit, & quoſdam reprobat.* Ergo in mente Angelici Doctoris, cauſa reprobationis abſolutè ſpectatæ, eſt peccatum originale.

De eâ verò comparatè ſumptâ ſubdit, *ſed quare hos eligit ad gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam voluntatem.. neque tamen propter hoc eſt iniquitas apud Deum, ſi inæqualia, non inæqualibus præparat... in his enim, quæ ex gratiâ dantur, poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult plus vel minus... abſque præjudicio juſtitiæ.* Ergo ad propoſitam quæſtionem.

Reſp. Peccatum eſt cauſa reprobationis negativæ; probatur iiſdem momentis, quibus confutavimus oppoſitam ſententiam. Quæ autem contra objici poſſunt, ſoluta ſunt paragrapho præcedenti.

Q. 2°. *Quodnam peccatum eſt cauſa reprobationis negativæ?*

Certum eſt peccatum actuale eſſe cauſam reprobationis Angelorum reproborum; cauſa

enim reprobationis eorum eſt peccatum, ut conſtat ex dictis: atqui peccatum illud non eſt originale, à quo omnes Angeli fuerunt immunes, utpote conditi in gratiâ: Ergo eſt peccatum actuale.

Sed controvertitur in Scholis quodnam peccatum ſit cauſa reprobationis negativæ hominum, an actuale, an originale duntaxat.

Molina & ejus Sectatores ſtatuunt peccatum finale, in quo quis decedit, ſive illud ſit originale, ut in parvulis, ſive actuale ut in adultis, & quidem conſequenter ad ſuum ſyſtema, & decretorum ordinem ab ipſis conſtitutum, in quo Deus 1°. antecedenter vult æqualiter omnes homines ſalvos fieri, deinde omnibus decernit auxilia pro nutu voluntatis efficacia vel ſufficientia, ac prævisâ per ſcientiam mediam futurâ determinatione voluntatis, & ejus perſeverantiâ uſque in finem ſive in bono ſive in malo, demum alios prædeſtinat ad gloriam, alios reprobat. Sed cùm ſuprà oſtenderimus, ubi de ſcientiâ mediâ, de decretis divinis, & prædeſtinatione ad gloriam, ejuſmodi ſyſtema repugnare traditioni, & ſanctorum Patrum, ac præſertim S. Auguſtini doctrinæ, neceſſe eſt ut à ſententiâ, quæ uti neceſſaria concluſio ex illo ſyſtemate eruitur, recedamus. Quare cum ceteris Theologis ad propoſitam quæſtionem.

R. Cauſa reprobationis negativæ hominum eſt peccatum originale duntaxat.

Probatur. Reprobatio negativa eſt in hoc ſtatu decretum denegandi quibuſdam beneficia, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur: atqui peccatum originale eſt cauſa hujuſmodi decreti: Ergo peccatum originale in hoc ſtatu eſt cauſa reprobationis negativæ.

Major conſtat ex dictis ſuperiùs ad calcem pag. 2. hujus capitis.

Minor probatur 1°. ex mox allatis textibus Apoſtoli, ſancti Auguſtini, & ſancti Thomæ, in quibus Deus dicitur facere vaſa ex eâdem maſsâ, alia in honorem, alia in contumeliam: illa, quia bonus eſt & miſericors: iſta, quia juſtus eſt; *bonum quidem*, ait ſanctus Auguſtinus lib. 2. ad Bonif. c. 7. *immeritò & gratis datur, quia in eâdem maſsâ eſt cui datur; malum verò meritò & debitum redditur, quia in maſsâ perditionis malum malo non malè redditur:* Eſaü, quem in exemplum adducit Apoſtolus, antequam aliquid mali egiſſet, reprobatus eſt, quia *illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt*, inquit ſanctus Auguſtinus epiſt. 186. aliàs 106. 2°. quia inordinatio, quæ peccatum originale conſequitur, nempe ignorantia & concupiſcentia eſt cauſa cur gratia ſufficiens, per quam boni Angeli ſteterunt, & homo in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet, nunc ſemper careat effectu ad quem datur, ac proinde ii à gloriâ excludantur, quibus Deus non præparavit illa beneficia, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.

Dices 1°. peccatum originale in multis reprobis per baptiſma fuit remiſſum: Ergo peccatum originale in iis ſaltem non eſt cauſa reprobationis negativæ.

Diſtinguo antecedens; fuit remiſſum quoad culpam, Concedo: quoad pœnalitates, Nego antecedens; in baptizatis enim remanent in corpore morbi, dolores, & mortalitas; in animo verò ignorantia & concupiſcentia, quæ moralem quandam peccandi neceſſitatem inducunt, niſi Deus efficaciter adjuvet.

Dices 2°. Deus vult omnes & ſingulos homines etiam peccato originali infectos ſalvos fieri, *non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores*, inquit Chriſtus Matth. 9. v. 13. & Luc. 19. v. 10. *venit*

enim filius hominis quærere & ſalvum facere quòd perierat. Denique mortuus eſt pro omnium hominum ſalute: atqui generalis illa Dei voluntas non poteſt ſtare cum decreto excludendi aliquos à gloriâ præcisè propter peccatum originale: Ergo.

Diſtinguo minorem, ſi illud decretum excludat voluntatem antecedentem præparandi auxilia ſufficientia, quibus reprobi ſaluti ſuæ conſulere poſſint, Concedo: ſi non excludat, Nego minorem. Porrò Deus electos ita inſuperabiliter ad gloriam adducit, ut reprobis non adimat media, ſine quibus vitam æternam, ad quam eos vocat, conſequi non poſſint. Vide quæ in hanc rem dicta ſunt tract. de Gratiâ.

Q. 3°. *Quænam eſt cauſa reprobationis poſitivæ?*

R. Eſt peccatum finale ſeu cum morte conjunctum, ſive illud ſit originale, ut in parvulis, ſive actuale, ut in adultis baptizatis. Reſponſio probata manet ex dictis parag. 3. contra Zuinglium & Calvinum.

Confirmatur. Illud eſt cauſa reprobationis poſitivæ, propter quod reprobi damnantur: atqui propter peccatum ante mortem non deletum reprobi damnantur, parvuli quidem propter originale, adulti infideles propter originale ſimul & actuale, & adulti baptizati propter actuale, juxta illud Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.... eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.*

Paragraphus V.

De effectibus reprobationis.

Q. 1°. Quot requiruntur, ut aliquid cenſeatur reprobationis effectus?

R. Duo 1°. ut ſit à Deo tanquam à causâ efficiente, 2°. ut ad finem reprobationis conducat, nempe ad damnationem æternam.

Ergo peccatum non eſt reprobationis effectus; qui non eſt à Deo, ſed à malâ voluntate.

Dices: quædam peccata ſunt pœna præcedentis peccati: atqui omnis pœna eſt à Deo inflicta: Ergo quædam peccata ſunt reprobationis effectus.

Diſtinguo majorem. Quædam peccata ſunt pœna præcedentis peccati ratione ſubſtractionis gratiæ, quæ concupiſcentiam & malitiam peccatoris refrænaret, Concedo: ratione deformitatis & malitiæ, quæ in peccato ineſt, Nego majorem; quia, ut ratiocinatur ſanctus Thomas in cap. 1. epiſt. ad Rom. pœna debet eſſe contra voluntatem, & inclinationem patientis; *ubi enim amor,* inquit ſanctus Bernardus, *non eſt labor, ſed ſapor:* atqui peccatum formaliter ſumptum eſt ſecundùm voluntatem peccatoris; illudque liberè eligit, ut quid juſtitiâ delectabilius: ergo ut ſic non eſt ipſi pœna. Sed ſubtractionem gratiæ invitus patitur; nollet enim ſe à Deo deſeri, ac proinde pœna eſt illi, & quidem graviſſima; ſed juſtè à Deo inflicta, juxta illud Rom. 1. *propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam.... mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes.*

Q. 2°. *Quinam igitur ſunt effectus reprobationis?*

R. Permiſſio peccati, deſertio ob præceden-

tia peccata, & æterna damnatio; iſta enim ſunt à Deo reprobante, & conducunt ad finem reprobationis.

Q. 3°. *Omnis permiſſio peccati eſt-ne effectus reprobationis?*

R. Minimè; namque 1°. permiſſio peccati originalis non eſt effectus reprobationis: tum quia peccatum originale æquè ad prædeſtinatos, ac ad reprobos ſe extendit: tum quia ex dictis eſt cauſa reprobationis, & ad eam præſupponitur. 2o. neque permiſſio peccati in Angelis, qui ceciderunt; cùm ſit etiam cauſa eorum reprobationis. 3o. nec permiſſio peccati, quod ante mortem deletum eſt, ut peccatum Davidis.

Q. 4o. *Quæ itaque peccati permiſſio eſt effectus reprobationis?*

R. Permiſſio peccati, quod cum morte conjunctum eſt, ſive illud ſit originale, ſive actuale.

Dices: peccatum ad mortem eſt cauſa reprobationis: Ergo permiſſio, quæ ei præſupponitur, non poteſt eſſe reprobationis effectus.

Diſtinguo antecedens: eſt cauſa reprobationis poſitivæ, Concedo: quia Deus non punit pœnâ æternâ, niſi qui in peccato ſuo moriuntur: eſt cauſa reprobationis negativæ, Nego antecedens; nam paragrapho præcedenti demonſtravimus cauſam reprobationis negativæ hominum eſſe peccatum originale, propter quod Deus denegat quibuſdam perſeverantiæ donum, ſinitque eos mori in ſuis peccatis, ac proinde permiſſio peccati ad mortem eſt effectus reprobationis negativæ hominum.

Q. 5o. *Quomodo reprobi, Deo peccatum permittente, & in pœnam præcedentis peccati deſerente, à ſtatu juſtitiæ excidunt, & in infernum ſuâ culpâ delabuntur?*

R. Quinque vulgò numerantur veluti gradus, per quos reprobi in extremum ruunt exitium,

qui ut caveantur, paulò accuratiùs ſunt exponendi.

Primò itaque reprobus per baptiſmum regeneratus, vel per pœnitentiam reparatus, ſegniter ſe gerit, orationem negligit, de ſe præſumit, leviora peccata parvi fecit, quamvis, niſi medicamento quotidianæ pœnitentiæ reſecentur, inquit ſanctus Auguſtinus Serm. 351. à caſtiſſimis ſponſi amplexibus ſeparent, & ſuâ multitudine nocent, non quidem formaliter, ſed poſitivè, non ſecùs ac corporales morbi; qui, niſi curentur, ad mortem deducunt. Quare regius Pſaltes omnes juſtos graviſſimis hiſce verbis monet, Pſal. 2. *Servite Domino in timore... apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ juſtâ.* Deus quippe, ſicut juſtos humiles & ſollicitè ambulantes cuſtodit ut pupillam oculi ſui; ita negligentes & tepidos abjicit, atque in graviora peccata cadere permittit. Et hîc eſt primus ad perditionem gradus.

Dices: gratia nunquam deeſt juſtis: Ergo.

Diſtinguo antecedens, juſtis volentibus, petentibus, & conantibus, Concedo: juſtis negligentibus, & tepidis, ſubdiſtinguo, gratiâ ſufficiens ſaltem remota, quâ petere poſſunt, Concedo: gratia efficax, ſine quâ in graviora peccata infallibiliter, quamvis voluntariè & liberè lapſuri ſunt, Nego antecedens, alioquin gratia ſanctificans ſemel adepta nunquam amitteretur, quod eſt falſiſſimum.

Secundus gradus eſt mentis excæcatio. Horrendum malum; quo fit, ut homo (niſi Deus illuxerit) peccare non ſe advertat, ſicque non convertatur, infallibiliterque moriatur impœnitens, juxta illud Iſaï. 6. *Excæca cor populi hujus... ne forte... convertatur, & ſanem eum.* Quis enim viam deſeret, quandiu recta ipſi videbitur? Quis

remedia quæret, vel admittet, qui ſanum ſe exiſtimat? An opus retractabit, puta falſam pœnitentiam, quâ pro more identidem defungitur, qui in eo nullum defectum deprehendit? Vix aliter pereunt, quotquot pereunt, quàm hâc pœnali cæcitate; nullus quippe tam durâ cervice eſt, ut apertis oculis det ſe præcipitem in ſtagnum ignis ardentis. Si eos interrogare liceret, qui jam in illis tormentis cruciantur, quomodo ad tantam miſeriam devenerint; ſinguli (paucis deſperabundis exceptis) reſponderent ſperaſſe ſe ſalvandos, vel ex teſtimonio propriæ conſcientiæ, vel pœnitentiæ beneficio, cujus inanitatem non adverterant. Hac cæcitate pereunt hæretici, qui mendacium pro veritate uſque ad mortem defendunt, & plerique Catholici, qui non ad Dei legem, ſed ad multitudinis morem vitam exigunt, ac præſertim ii, qui de propriis viribus præſumentes, divinum auxilium contra errores ſæculi, & concupiſcentiæ fallacias, quantùm neceſſe eſt, non implorant; *humana ſuperbia*, inquit ſanctus Auguſtinus, *tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii, excuſatum ſe putat; quando ignorantiæ eſt, non voluntatis, quòd peccat: potiùs diſputat, quàm oret, & dicat*, da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.

Dices: cæcitas mentis non eſt à Deo, ſed tribuitur vel malitiæ peccatoris, ut Sap. 2. *excæcavit... illos malitia eorum*, vel dæmonis fallaciis, ut 2. Cor. 4. *Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti:* Ergo mentis excæcatio non eſt effectus reprobationis; cùm Deus non ſit illius cauſa.

Diſtinguo antecedens, non eſt à Deo tanquam à cauſâ poſitivâ, Concedo: tanquam à cauſâ negativâ, Nego antecedens. Igitur duplex eſt excæcationis cauſa, alia poſitiva, alia negativa.

Poſitiva eſt ea, quæ ponit impedimentum videndi, ut ſi quis faciem alterius velaret, & oculos eius occluderet: negativa, quæ impedimentum non removet, cùm poſſit. Porrò mala voluntas, & demon fallacium conciliorum artifex ſunt cauſa poſitiva excæcationis, quatenus falsâ ſpecie honeſti oculos mentis perſtringunt, ut, quæ verè bona ſunt, non videat; contra verò bona putet quæ verè mala ſunt. *Faſcinatio nugacitatis*, (inquit Sapiens Sap. 4.) *obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia.* Hoc eſt, nugæ ſeculi, ſuadente Diabolo, mentem quodam veluti faſcino ligant, ut peccati fœditatem & pœnas, virtutis pulchritudinem & præmia vel non videat, vel non eſtimet: & agitatio ſeu impetus concupiſcentiæ animum evertit, niſi Deus lumine gratiæ ſuæ deſuper coruſcet, terreatque. Sed quia peccator, nedum ex priore lapſu, quem Deus in pœnam priſtinæ negligentiæ permiſerat, humilior & cautior reſurgat, quin ſuperna judicia contemnens novas addit prævaricationes, Deus ab ipſo recedit, *quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia*, Sap. 1. Deo autem recedente ſequuntur mentis tenebræ, quemadmodum occumbente Sole neceſſariò ſupervenit nox.

Ergo excæcationis duæ ſunt cauſæ poſitivæ, & tertia negativa.

Prima, eſt mala voluntas, ex quâ cæcitas ita pœna eſt, ut peccatum ſit, utpote voluntaria. Secunda, Angelus Satanæ malis ſuis artibus & falsâ probabilitatis ſpecie peccatorem decipiens. Tertia, Deus gratiam illuminativam ſubſtrahens. Tria hæc impœnitentibus non tam imprecatur, quâm prædicit Pſalmus 34. his verbis, interprete S. Auguſtino, *fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Viam

lubricam, & verſùs extremum exitium declivem facit voluntas prona in malum; ventum in præcipitium impellentem, tentatio Dæmonis; & tenebras periculi ſuſpicionem amoventes; gratiæ divinæ ſubtractio. *Horrenda via*, inquit ſanctus Auguſtinus, *tenebras ſolùm quis non horreat? Lubricum ſolùm quis non caveat? In tenebris & lubrico, quà is, ubi pedem figis? Sunt iſta mala magnæ pœnæ hominum... nam unuſquiſque in tenebris & lubrico, cùm non viderit, etſi pedem moverit, labitur, & lux illi ante pedes non eſt, vel hoc fortè facit, ut expectet diem, ſed ibi eſt Angelus Domini perſequens eos, ut non poſſint ſtare.*

Tertius ad perditionem gradus, eſt cordis obduratio cæcitate mentis longè pejor, & periculoſior; obduratus quippe non ex ignorantiâ & mentis cæcitate, ſed ex contemptu peccat.

Eſt autem obduratio pertinacia voluntatis malo firmiter inhærentis, quâ fit ut obduratus lucentem veritatem rejiciat, monitiones ſpernat, & adhortantibus hoc unum reſpondere ſoleat, *non poſſum.*

Duplex eſt quoque obdurationis cauſa: altera negativa, nimirum gratiæ emollientis ſubſtractio in pœnam præcedentium peccatorum, ratione cujus legitur Exodi 9. *induravitque Dominus cor Pharaonis*, & Rom. 9. *quem vult, indurat*, non quidem impertiendo malitiam, ſed ſubtrahendo gratiam. *Obduratio Dei*, inquit S. Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *eſt nolle miſereri, ut non ab illo irrogetur aliquid, quo homo ſit deterior, ſed tantùm, quo ſit melior, non irrogetur.* Altera poſitiva, nempe cupiditas uſa & aſſiduitate peccandi roborata, quâ peccatores dicuntur obdurare corda ſua, ut Jeremiæ 7. & 17. *Induraverunt cervicem ſuam.* Pſal. 94. *hodie ſi vocem ejus* (Domini) *audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

Dices: Deus non poteſt dici furari, aut mentiri, ex eo quòd ſubſtrahat gratiam efficacem; Ergo, neque obdurare, ex eo quod nolit miſereri.

Confirmatur ex ſancto Auguſtino, qui lib. 5. contra Julianum cap. 3. obdurationem tribuit potentiæ divinæ, ac proinde Deus non ſolùm permiſſivè, ſed etiam poſitivè efficaciâ ſuâ obdurat.

Nego conſequentiam, & paritatem. Ratio diſparitatis, eſt, quòd verba illa, *furari & mentiri*, nihil aliud ſignificent, quàm malitiam voluntatis humanæ ſeſe determinantis ad furtum & mendacium: quæ cùm ſint per ſe mala, Deo tribui nequeunt. Contrà verò indurare non ſolùm denotat pertinaciam voluntatis in malo, ad quam Deus permiſſivè ſe habet; ſed etiam ea omnia, quæ indirectè & occaſionaliter ſunt cauſæ hujuſce pertinaciæ, ut bona temporalia, quæ Deus poſitivè ſubminiſtrat, quæque fiunt in muſcipulam peccatoris, ut loquitur Scriptura; poteſtas quam Deus concedit Dæmoni, & malis hominibus ſeducendi eos, quos ob præcedentia peccata vult punire. Et ita quod opponitur ex ſancto Auguſtino facilè conciliatur cum iis, quæ ex eodem Sancto Doctore in confirmationem noſtræ ſententiæ laudavimus, nimirum ſi præcisè ſpectetur ipſa voluntatis pertinacia in malo quâ peccator fit deterior, Deus non eſt obdurationis cauſa poſitiva, ſed negativa tantùm; quia non irrogat quo peccator ſit deterior, ſed tantùm quo ſit melior, non irrogat. Sed ſi ſpectentur ea, quæ indirectè & occaſionaliter illam pertinaciam inducunt, Deus in obduratione peccatoris iram ſimul & potentiam ſuam demonſtrat; qui multa nan ſolùm permittit, ſed & facit, quæ ſunt obdurationis occaſio, & in

citamenta. Vide quæ in hanc rem diximus parag. 3. in reſponſis ad objectiones.

Ergo obduratio ſeu pertinacia voluntatis in malo, non ſolùm eſt pœna peccati; ſed etiam peccatum, utpote voluntaria, & cauſa peccati, redditque obduratum deteriorem & damnabiliorem. Unde ſanctus Stephanus Act. 7. illam tanquam ingens crimen exprobrat Judæis, *durâ cervice*, inquit, *& incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui-ſancto reſiſtitis.* Et Apoſtolus Rom. 2. *ſecundùm... duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram.*

Ergo in animâ peccatoris ad hunc tertium gradum prolapſi id contingit, quod in hocce inferiori orbe cùm Sol à nobis ſit remotior; ſicut enim tempore hyemali aër recipit nativum frigus, præſertim flante vento boreali, terra gelu conſtringitur, eòque evadit durior, quòd diſcuſſis nubibus, lux fit ſerenior, & ſtellæ fulgentiores; ſic Deo ab animâ recedente propter ejus malitiam, concupiſcentia ex peccato naturæ noſtræ adgenita, remiſſis gratiæ habenis, quibus reprimebatur, legi mentis vehementiùs repugnat, maximè inſtigante Diabolo, frigus cupiditatis cor invadit, & rebus terrenis ita aſtringit, ut vix ab illis avelli queat. Jam Evangelium fit ei odor & miniſtratio mortis, ut loquitur Apoſtolus, & quò frequentiùs ex eo admonetur, eò pertinaciùs reſiſtit, & ex contemptu ſuo magis induratur. *Malum eò inſanabile, quò inſenſibile ſit*, inquit ſanctus Bernardus lib. 1. de conſid. cap. 2. In promptu eſt exemplum Pharaonis, quem nec frequentes Moyſis exhortationes etiam miraculis confirmatæ, nec minæ non ſemel intentatæ, nec flagella ſæpius repetita flectere potuerunt, ſed contra duriorem & damnabiliorem effecère. Idipſum Prælati ſive ſeculares ſive re-

gulares experiuntur in ſubditis, quibus (ſi ſemel cervicem ſuam induraverint contra veritatem continuò inſonantem) monitiones & correctiones non modò non fiunt ſalubre medicamentum, ut contra in pœnale tormentum & occaſionem contemptûs, murmurationis, & detractionis convertantur. Unde Sapiens Eccle. 7. univerſim pronunciat, *conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit;* & ſanctus Bernardus cit. cap. 2. lib. 1. de conſid. *nemo duri cordis*, inquit, *ſalutem unquam adeptus eſt.* Subdit tamen, quia de nullo, quandiu vivit, eſt deſperandum, *niſi quem fortè miſerans Deus, abſtulit ab eo juxta Prophetam cor lapideum, & dedit cor carneum*, ſcilicet per gratiam efficacem, *quæ* ex ſancto Auguſtino, *ideo datur, ut cordis duritia primitus auferatur.* lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. ſed niſi benignè id conceſſerit miſericors Deus, obduratus facilè ad quartum gradum delabitur perditioni viciniorem.

Quartus itaque gradus eſt reprobus ſenſus, de quo Apoſtolus Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, non quidem directè & poſitivè pervertendo eorum mentem, & errorem infundendo; ſed indirectè & negativè, quatenus non removet peccati illecebras & irritamenta, ſinitque pravam voluntatem pro innatâ ſuâ vi, quâ aliis facultatibus dominatur, lumen rationis ita perturbare & confundere, ut pro veritate mendacium obtrudat, vitium coloribus virtutis pingat, & virtutem veluti propudioſum vitium repræſentet, ſicque peccator excuſſo omni timore & pudore, quo natura malum perfudit, in rebus peſſimis jam ſuaviter quieſcit, exultat, gloriaturque, ac de ſolâ virtute erubeſcit. Sed, *væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lumen, & lucem tenebras*, ait Domi-

nus Iſaïæ 5. quia ejuſmodi derverſitas infallibiliter deducit ad impœnitentiam finalem, quæ eſt ultimus ad perditionem gradus, in quo nulla ſalutis ſpes, ſed mera deſperatio. Hæc qui timet, inquit ſanctus Bernardus, cavet; & qui contemnit, incidit.

Ejuſmodi timoris ſtimulis tepidos excitare neceſſe eſt; ſed caveat Paſtor, ne, cùm malè ſecuros & ſomnolentos terrere nititur meticuloſos in deſperationis baratrum deturbet; nam ex ſancto Auguſtino tract. 33. in Joan. *ex utroque homines periclitantur & ſperando & deſperando*. Quis autem modus hîc tenendus ſit, expoſuimus tract. de Grat. cap. 7. parag. ultimo. Quomodo verò ſe geret erga eos qui quidem timore percelluntur, ſed dicunt ſe mores mutare non poſſe propter cordis duritiam, conſulat, quæ diximus eodem tract. paragrapho ultimo.

COROLLARIUM.

Ex his, quæ à nobis de prædeſtinatione & reprobatione dicta ſunt, quid ſperare, & quid timere nos oporteat, intelligimus: at ſi quis confidat ſe ea animo & cognitione percipere, & tamen ſpei ac timoris motibus percelli ſe minimè ſentiat, *nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire*, 1. Cor. 8. ideo quippe Deus hæc duo nobis myſteria declaravit, ut hinc per timorem fugiamus ſummum illud malum, quod reprobatio denuntiat; & inde omni feſtinatione properemus ad illud ſummum bonum, cujus prædeſtinatio ſtabilem firmat expectationem; prorſus ut ſi ſpes & metus, quæ duo ſunt quaſi naturales effectus ex hâc cognitione reprobationis ac prædeſtinationis ſequaces nec impellunt, nec movent, hærere nos quodammo-

do neceſſe ſit inſtar cujuſdam navis omni vento deſtitutæ, nec unquam licebit ad portum ſalutis appellere. *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur domus tua*, Eccli. 27.

Equidem *perfecta charitas foras mittit timorem.* Verùm illa charitas, quæ nondum ſui incrementi cumulum conſecuta eſt, [quæ eſt virtutis conditio in hâc mortali vitâ] quomodo *perfecta* diceretur? Nonne Apoſtolus ſic pronuntiat? *non quòd... jam perfectus ſim.* Phil. 3. ideo & ſanctus Auguſtinus legit: *conſummata charitas foras mittit timorem.* Quandonam hæc autem erit conſummata charitas? niſi in cœlis, ubi Beati de ſuâ felicitate ſecuri, abſque timore ullo reprobationis myſterium ſuæ prædeſtinationis æternùm adorant; cùm contrà reprobi in inferis ſuæ reprobationis pondere opprimantur, utpote quos nulla ſpes erigat, imò & obruat horrenda deſperatio. At quandiu vivimus hanc mortalem vitam, quantumcunque virtutis gradum attigerimus, hinc ſemper in periculo verſamur, ne in illud ingens reprobationis malum incurramus (quod quidem periculum erit imminentius, niſi per timorem longiùs fugiamus) inde verò licet, imò & neceſſe eſt expectare, atque ambire ſummum illud bonum, per myſterium prædeſtinationis præparatum, eritque hæc noſtra expectatio tantò ardentior, quantò firmior erit ad virtutem progreſſio, tantaque aliquando futura eſt, ut cum Apoſtolo verè dicamus Rom. 8. *Spe... ſalvi facti ſumus.*

Porro non locorum ſpatiis, ſed ſimilitudine vel diſſimilitudine morum accedimus aut recedimus ſive à Deo, ſive ab illo æterno malo quod nobis mortalibus intentatur. Quiſquis enititur explere legem divinam uſque ad ïota unum, & culpas omnes vel leviores effugere, ille ad Deum, portumque ſalutis accedit propriùs, longiùſque

recedit ab illo æterno infortunio, atque ita timor in illud incurrendi (qui permanet) non ipſum angit aut perturbat: *pœnam non habet, tormentum non habet*, quia periculum longiùs à ſe poſitum videt; ſed ſolummodo tenet ſeipſum piè ſollicitum, ſanctèque pervigilem, qualis erat Apoſtolus cùm diceret: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* At verò qui incurioſè ac tepidè officio defungitur, volenſque negligit vitare culpas leviores, à Deo, & ab æternâ ſuâ ſalute recedit; accedit verò ad præcipitium; cùmque diſcrimen, ne & ipſe numero reproborum adſcribatur, ipſi immineat propiùs, tùm timore angitur, ſpes ejus debilitatur ſenſim, labaſcit ſæpè animus, ipſaque reprobatio animo interdum obverſatur tanquam chaos quoddam, quod ipſi ad Deum iter intercludat.

Ergo Deus, tanquam mater optima, quæ ut filium infantulum ſuo lateri inhærentem contineat, neve is à ſe dilabatur aut curſiter, procul & ad certam ſui diſtantiam terriculamenta ponit, quibus ille perculſus ad matrem convolat, ſi fortè ab eâ paulùm receſſerit, atque in ejus ſinu fidentiùs conquieſcit: haud ſecùs, inquam, Deus terribili reprobationis myſterio utitur tanquam ſepto quodam, non quidem nos inter ſeque ipſum interpoſito; ſed quaſi à tergo nobis circumjecto, ut nunquam ab ipſo vel tantillum dilabamur. Iter noſtrum, quod ducit ad vitam, cinxit undequaque horrendo ſtagno ignis æterni, non ut nos in illud præcipites agat, ſed ut terreamur & fugiamus; ut & per injectum terrorem nos ad ſe retrahat citiùs, & per fugam tam imminentis periculi nos ſibi arctiùs adjungat, atque devinciat; etenim, juxta ſanctum Chriſoſtomum, Deus primo ſuo conſilio nonniſi in

ſalutem noſtram inferorum flammas accendit.

At ſi myſterium reprobationis nos ad metum fugamque compellit, myſterium contrà prædeſtinationis mirum in modum accendit in nobis illud deſiderium, quo cupimus æternum eſſe beati, allicitque nos vehementiùs injectâ ſpe minimè dubia ad hunc feliciſſimum ſtatum perveniendi; cùm ex eo doceamur non ſolùm eſſe per Dei voluntatem deſtinatam nobis hanc in cœlis felicitatem, ſed etiam ad eam conſequendam nobis eſſe per Dei bonitatem præparata beneficia, mediaque longè efficaciora & certiora iis, quæ ſive Angelis, ſive primis parentibus in ſtatu innocentiæ contulerat.

Enim verò ſi Deus æternam ſortem noſtris in manibus poſuiſſet, ac voluiſſet omnem gratiæ ſuæ eventum à noſtræ libertatis pendere arbitrio, ſicut à libera primorum parentum voluntate pendebat, horum caſus noſtros dejiceret animos, traheretque propè in deſperationem; cùm enim illi ceciderint etiamnum fortes animis, viribus integris, incredibili intelligentiâ præditi, necdum turbulentis cupiditatum aut tentationum motionibus jactati, qualis eſſet noſtrum omnium ſpes vel fiducia, ignara mente, voluntate fragili, quaſſatis viribus, quorum denique vita omnis *tentatio eſt ſuper terram*, niſi Deus nobiſcum ageret inſtar pii parentis, qui filii ſui junioris omni conſilio, ac rerum uſu planè deſtituti, imbellicitati conſulens, non ejus permittit arbitrio ac poteſtati ampliſſimam hereditatem, quam ei amantiſſimè ſervat, ne ipſam filius aut incautè diſſipet, aut diſperdat illiberaliter; & ut illum ſibi magis adſtrictum teneat, informetque ſuâ paternâ inſtitutione & diſciplinâ? Quid ergo eſſe poteſt ad excitandam & inflammandam ſpem noſtram efficaciùs, quàm dum certi ſumus per my-

ſterium prædeſtinationis, noſtram ſortem poſitam eſſe in Dei optimi Parentis omnipotentiſſimis manibus, & non in viribus humanæ libertatis, quæ tota infirmitas eſt ac defectio? *An verò timendum eſt*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. de dono perſev. c. 22. *ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo, non autem deſperaret, ſi eam in ſeipſo ſuperbiſſimus & infideliſſimus poneret?* Diſputationibus noſtris circa hocce myſterium brevi finem faciet noſtra ad Deum precatio, ſi eas aggredimur ſolùm ad ædificationem, ut obſervat S. Auguſtinus ibid. cap. 24. *Non ſimus itaque*, inquit, *in diſputationibus prompti, & in orationibus pigri. Oremus, dilectiſſimi, oremus.* Si Deus dare nollet, non ita incitaret ad petendum. Tantò ardentiùs ac perſeverantiùs poſtulemus, quantò gravior, urgentior & continentior egeſtas noſtra eſt: totos committamus nos curæ, ac diſciplinæ tam providi, tamque boni Parentis, & ut ait S. Auguſtinus citato cap. 22. *de ipſo curſu noſtro bono rectoque condiſcamus nos ad prædeſtinationem divinæ gratiæ pertinere.* Amen.

TRACTATUS
DE
DEO TRINO.

CAPUT PRIMUM.

Præmittuntur quædam ad hujuſce myſterii notitiam neceſſaria.

DIXIMUS Attributa divina, alia eſſe abſoluta, alia relativa

De prioribus egimus toto Tractatu præcendenti: poſteriorum verò nunc incumbit inveſtigare exiſtentiam, naturam & affectiones; ex iis enim conſiſtit adorandum Trinitatis myſterium.

Attributum autem relativum eſt illud, quod in ſuo conceptu involvit habitudinem ad alterum; relatio quippe apud Philoſophos eſt reſpectus ſeu ordo unius ad alterum; ſic Pater, Creator, Dominus, ſunt attributa relativa, quia Pater dicitur per ordinem ad Filium, Creator ad creaturas, & Dominus ab ſubditos.

Hinc duplicis generis relationes in Deo diſtingui ſolent à Theologis: aliæ ſunt ad extra, ut relatio Creatoris, Domini, Judicis, &c.

quia reſpiciunt terminum extra Deum poſitum, nempe creaturas: aliæ dicuntur relationes ad intra: quia terminus, ad quem ordinem habent, eſt in Deo, ut relatio Patris ad Filium ſibi conſubſtantialem.

Rurſus relationes ad intra aliæ ſunt rationis & per mentem duntaxat, ut relationes eſſentiæ divinæ ad ejus attributa, quæ licet ſint realiter quid idem cum eſſentiâ divinâ, ut diximus Tractatu præcedenti; mens tamen illa concipit tanquam emanationes à divinâ eſſentiâ, ſicque eſſentiam divinam ſibi repræſentat veluti principium relativum ad proprietates ab illâ fluentes: aliæ ſunt reales, exiſtuntque independenter à mente, ut relatio patris ad filium, & viciſſim filii ad patrem.

Non agitur in hoc Tractatu de relationibus, quæ ſunt ad extra, neque de relationibus rationis ad intra, quas mens humana concipit, quamvis revera in Deo non ſint niſi fundamentaliter; ſed de relationibus realibus, quæ nullatenus dependent à mente; quæriturque an & quomodo in Deo exiſtant, ac conſtituant ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium.

Si ratio lumine fidei deſtituta conſulatur, ut in Paganis, Judæis, & Mahumetanis, negabit admittendas eſſe hujuſmodi relationes; quia ad realem & veram relationem quatuor requiruntur. Primum & ceteris neceſſariò præſuppoſitum, eſt realis diſtinctio inter ea, quæ ad ſe invicem referuntur, quæque correlata dici ſolent: nemo quippe poteſt eſſe ſui ipſius pater aut filius, ſed alterius; nec æqualis ſibi, ſed alteri. Secundum, eſt ſubjectum, ſeu res quæ refertur ut pater ad filium. Tertium, eſt fundamentum, hoc eſt ratio, propter quam ſubjectum refertur, ut generatio, propter quam pater habitudinem

& ordinem habet ad filium, albedo, quâ paries ſit ſimilis alteri. Quartum, eſt terminus, ad quem ſubjectum refertur, v. g. filius, ad quem paternitas terminatur. Atqui aciem mentis fugit in Deo (quem & fides & ratio docent eſſe unum, ſimpliciſſimum, & omnis realis compoſitionis expertem) poſſe reperiri, & diſtinctionem realem, ex quâ exurgat numerus, & rationem producentis, & producti tanquam fundamentum oppoſitionis relativæ inter ſubjectum & terminum; Patrem ſcilicet & Filium & Spiritum ſanctum. *Quid ſibi vult iſte, ut ſic loquar abſque numero numerus*, inquit S. Bernardus lib. 5. de Conſider. cap. 7. *ſi tria, quomodo non numerus? ſi unum, ubi numerus?* Et cap. 8. *Sacramentum hoc magnum eſt & quidem venerandum, non ſcrutandum... Scrutari hoc, temeritas eſt; credere pietas eſt: noſſe vita, & vita æterna eſt.*

Ergo in hocce Tractatu ſoli revelationi & fidei attendendum, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, juxta Apoſtoli verba 2. Petri cap. 1. Creaturæ, quæ priùs nobis enarrabant gloriam Dei, docebantque ſempiternam ejus virtutem & divinitatem, hîc mutæ ſunt: ratio naturalis, quæ affulgebat ad inveſtiganda attributa abſoluta, circa relativa prorſus caligat, multumque fuerit, ſi impedita, quæ in decurſu ex eâ naſcentur, ſuperemus.

Neque verò inde concludere licet Sacro Sanctæ Trinitatis myſterium repugnare lumini naturali, aut deſtruere prima intelligentiæ principia; quin illud cogitare, impietas eſt, & proferre blaſphemia; cùm idem ſit ac dicere Deum optimum maximum formaſſe hominem ad diſſimilitudinem ſuam, eique indidiſſe prima erroris principia. Lumen quidem naturale ſemper ad verum inclinat, ſed naturalis ordinis, nec

pugnat cum vero ſupernaturali, cùm poſſit ſupernaturaliter perfici ad illud contuendum; nam poſſe habere fidem & lumen gloriæ, naturæ humanæ eſt, non pecorinæ. Sed ſi quis humana transferat ad divina, & ex primis principiis naturaliter indictis, divinam Majeſtatem ſcrutari præſumat, excæcabitur à gloriâ, nec abſimilis erit ei, qui ſi per principia phyſicæ certa & per ſe nota, diſcutere vellet res metaphyſicas, putà ſubſtantias ſpiritales, turpiter hallucinaretur judicans, non ex principiorum vitio, ſed ex propriâ temeritate, impoſſibile eſſe eas eſſe totas in toto loco, & totas in quâlibet parte loci; iſta enim aliis, iiſque altioribus principiis metienda ſunt, nec proptetea fas erit dicere principia metaphyſicæ deſtruere principia phyſicæ, cùm unus & idem ſæpiſſimè ſit phyſicus & metaphyſicus.

Qui huncce ſobrietatis & prudentiæ modum non ſervaverunt, evanuêre in cogitationibus ſuis, & pro auguſtiſſimo Trinitatis myſterio fabulas obtruderunt, ut patebit ex ſequenti capite.

CAPUT II.

De variis Hæreſibus circa adorandum Trinitatis myſterium.

Simon magus omnium hæreticorum anteſignanus & princeps, in ſe uno totam Trinitatem conſtituit, ex ſancto Auguſtino lib. 1. de Hæreſ. docebatque ſe eſſe Filium, qui inter Judæos apparuit; Patrem, qui in monte Sinâ Legem dedit, & Samariam deſcendit, & Spiritum-ſanctum, qui in Gentibus effuſus eſt, ex

ſancto Irenæo lib. 2. cap. 2. & Theodoreto lib. 2. hæreticarum fabularum. Inter Æonas, hoc eſt, Spiritus cœleſtes & divinos Verbum divinum quinto tantùm loco reponebat, ex ſancto Gregorio Nazianzeno orat. 23. & 44.

Cerinthus & Ebion Simonis diſcipuli, tempore Apoſtolorum docuerunt Chriſtum Dominum natum eſſe ex Joſeph, & Beatâ Virgine Mariâ, nec ante eos extitiſſe. Contra hunc errorem Joannes Evangeliſta rogatus ab Aſianis Epiſcopis, ſcripſit ſuum Evangelium, ex ſancto Irenæo lib. 3. cap. 11. & ex S. Hieronymo de viris illuſtribus cap. 9.

Circa annum 260. Paulus, à patriâ Samoſatenſi in Syriâ Samoſatenus dictus, Patriarcha Antiochenus, ſepultum Ebionitarum errorem ſuſcitavit, & in Concilio Anticheno anno 270. à Sede ſuâ, & ab Eccleſiâ dejectus tum ob hæreſim, tum ob infames mores, ex Euſebio lib. 7. Hiſtoriæ cap. 28.

Photinus Syrmienſis Epiſcopus, Pauli Samoſateni quarto ſeculo veſtigia ſecutus, damnatus eſt, & Sede ſuâ privatus, agente Baſilio Ancyrano Semi-Ariano in concilio Syrmienſi.

Noëtus ex urbe Smyrnenſi juxta Theodoretum, & ſanctum Epiphanium hæreſi. 57. vel Epheſinâ, ex ſancto Auguſtino de hæreſibus cap. 36. ineunte tertio ſeculo docuit Patrem, Filium, & Spiritum ſanctùm eſſe tria nomina eandem perſonam ſignificantia, quæ ſecundùm diverſas operationes dicitur, vel Pater, vel Filius, vel Spiritus-ſanctus. Contra hunc ſcripſit ſanctus Hippolytus Martyr. Praxeas, contra quem ſcripſit Tertullianus, eundem docuit errorem.

Sabellius è Lidiâ oriundus, & in Pentapoli, Epiſcopus, Noëti hæreſim adeo diſſeminavit, ut

Sectatores jam non Noëtiani, ſed Sabelliani dicti ſint. Contra Sabellium ſanctus Dionyſius Alexandrinus ſcripſit ad Sixtum Summum Pontificem anno 260. cumque in Synodo damnavit, ex Euſebio lib. 6. Hiſtoriæ cap. 6. Priſcillianus, à quo Priſcillianiſtæ, Sabellii & Manichæi dogma reſtituit, ex ſancto Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 70. Horum diſcipuli dicti ſunt Patripaſſiani, eò quòd non minùs Patrem, quàm Filium paſſum fuiſſe aſſererent.

Arius Preſbyter Alexandrinus Chriſtum eſſe meram creturam docuit circa annum 317. Sed ut amoveret à ſe odium in Paulum Samoſatenum conceptum, voluit Chriſtum ante Beatam Mariam extitiſſe. Damnatus eſt in Concilio Nicæno generali I. anno 325. & à Conſtantino Magno in exilium ejectus. Ario Valentinus ſecundo ſeculo præiverat.

Sectatores Arii poſt Concilium Nicænum, in tres claſſes diviſi ſunt, ex ſancto Epiphano hæreſi 73. & 74. Alii nudè & planè Filium Patri diſſimilem profitebantur, hinc vocati ſunt Anomæi à nomine Græco, quod ſignificat diſſimile. Horum principes fuerunt Eunomius & Aëtius, à quibus Eunominiani & Aëtiani. Alii docebant Filium patri ſubſtantiâ, æternitate, & per omnia eſſe ſimilem, ut patet ex eorum profeſſione in Concilio Antiocheno anno 341. Sed nolebant conſubſtantialem confiteri, contendentes hanc vocem eſſe rejiciendam, utpote peregrinam, & recèns inventam, ſcilicet in Concilio Nicæno, quamvis Patres antiquiores eâ uſi fuiſſent. Hi dicti ſunt Semi-Ariani, quorum caput fuit Baſilius Ancyranus. Tertii inter Arianos rigidiores & Semi-Arianos medii incedentes, nec ſimilem, nec diſſimilem Filium dicebant.

Mecedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus è Semi-Arianorum ſectâ Spiritûs-ſancti divinitatem impugnavit, & eam ob rem in Concilio Conſtantinopolitano, quod eſt ſecundum generale, damnatus, & Epiſcopatu ſpoliatus anno 381. Ejus diſcipuli nuncupati ſunt Macedoniani, & Pneumatomachi, quòd ſcilicèt bellum Spiritui-ſancto indicerent. In eodem errore verſati ſunt quotquot Filii divinitatem impugnavêre.

Joannes Philiponus 6°. ſeculo voluit Deum in tribus perſonis ineſſe & multiplicari, ſicut natura humana ineſt, & multiplicatur in tribus hominibus. Hinc diſcipuli ejus Tritheïtæ nuncupati, quaſi tres Deos aſſerentes, ex Nicephoro lib. 18. hiſt. cap. 4°. In hunc errorem noſtrâ ætate incidit privatus quidam, edito hâc de re libello.

Abbas Joachim 12°. ſeculo finxit Patrem, Filium, & Spiritum-ſanctum habere naturas partiales ex quibus una tota ſubſiſtens coaleſcat, adeo ut nulla perſonna ſeorſim ſumpta ſit Deus, quam doctrinam proſcripſit Concilium quartum Lateranenſe ſub Innocentio III. Similis erroris meminerunt S. Hilarius lib. contra Auxentium, & S. Auguſtinus de hæreſibus cap. 72. *Eſt alia hæreſis*, inquit, *quæ triformem ſic aſſerit Deum ut quædam pars ejus ſit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus-ſanctus.*

Michaël Servetus Hiſpanus Medicus ſuſtulit perſonarum diſtinctionem, ſicut olim Sabellius, & Chriſto divinitatem denegavit; propter quam impietatem, unà cum ſuis libris vivus Genevæ combuſtus eſt, agente Calvino.

Lælius Socinus patriâ Senenſis, profeſſione Calviniſta circa annum 1560. aſſeruit cum Sabellio Deum eſſe unicam perſonam; cum Cerintho, Ebione, Paulo Samoſateno, & Photino, Chriſtum eſſe merum hominem, qui ante Beatam Ma-

riam Virginem nullatenus extiterit, ſed à Deo miſſum ad humani generis ſalutem, totiuſque Eccleſiæ caput conſtitutum, atque eatenus Deum dicendum & adorandum; Spiritum verò ſanctum non eſſe perſonam divinam; ſed Dei duntaxat virtutem & efficaciam. Has blaſphemias Fauſtus Socinus Lælii nepos ſtabilire & ſpargere curavit.

Ergo contra recenſitas impietates tria nobis ex Scripturis, & revelatione vindicanda ſunt, 1°. tres eſſe perſonas in Deo realiter diſtinctas. 2°. ſingulas perſonas eſſe ſibi invicem conſubſtantiales, & æquales in omni genere perfectionis. 3°. naturam divinam in ipſis non dividi, quemadmodum natura humana in individuis, ſed eſſe realiter unam. His præſtructis fundamentis, 4°. definiemus quid ſit Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium. 5°. inveſtigabimus utrùm in perſonis agnoſcendus ſit aliquis ordo, ita ut una ab alterâ procedat. 6°. examinabimus perſonarum notiones, ſingularumque proceſſionum affectiones. 7°. demonſtrabimus ex proceſſionibus divinis exurgere attributa relativa, de quorum proprietatibus & affectionibus plura occurent dicenda. 8°. expendemus utrùm Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium lumine naturali deprehendi poſſit, vel ei repugnet. Denique an ejus notitia ſit ad ſalutem neceſſaria.

CAPUT III.

Utrùm myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ſit in Scripturis revelatum?

R. Revelatum fuit, obſcurè quidem in veteri Teſtamento, perſpicuè verò in novo.

Prima pars probatur 1°. ex cap. 1. Geneſis, ubi Deus ſic loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* in quem locum ſic ſcribit Theodoretus qu. 19. in Gen. *Cùm dixit*, faciamus, *numerum expreſſit perſonarum: cùm dixit*, ad imaginem, *eandem naturam oſtendit.*

Sociani cum Judæis reſpondent Deum hîc ſeipſum adhortari ad opus, more perſonarum illuſtrium, quæ ſolent ſe nominare in plurali numero; vel certè alloqui Angelos.

Contra 1°. quamvis homo indeterminatus & magnitudine operis deterritus nonnunquam ſeipſum ad agendum excitet, attamen imperfectus ille operandi modus non poteſt ad Deum transferri. 2°. ineptè figulus, aut quivis artifex ſubjectam materiam, v. g. lutum aut inſtrumenta, alloqueretur dicens, faciamus urnam. *Quis eſt faber*, inquit S. Baſilius hîc., *nullo operante ſtipatus, qui inter ſuæ artis inſtrumenta deſidens ſibi ipſe admurmuret dicens faciamus gladium?* 3°. inauditum eſt viros illuſtres, cùm ſolitarii ſunt, ſeipſos nominare in plurali numero, eſto de ſe ita hodie loquantur, cùm ſermonem ad ſubditos dirigunt, ſed mos ille, Moſis tempore, nondum invaluerat, ut conſtat ex decurſu Pentateuchi, in quo ſemper inducit Pharaonem, Abimelech, & alios viros principes de ſe loquentes in ſingulari numero, imo Deum ipſum alloquentem Abraham,

Iſaac, & Jacob, & manifeſtantem ſe in rubo nomine ſingulari, *ego ſum qui ſum.* 4°. dici non poteſt Deum hîc Angelos compellare: tum quia Deus Angelos in mundi fabricationis conſortium non advocavit; *quis adjuvit Spiritum Domini.* Iſa. 40. nullo adjuvante hominem creavit, *nunquid non Deus unus creavit nos?* Malac. 2. tum quia homo dicitur factus ad imaginem & ſimilitudinem eorum, qui illum formaverunt: Ergo illi habent naturam communem, alioquin ſi diverſa eſſet, quomodo unus & idem eſſet eorum imago & ſimilitudo? Porrò quantùm diſtet natura Angelorum à divinâ nemo ignorat. 5°. hæc Adverſariorum effugia præcludunt quæ ſcribit Moyſes cap. 5. ubi Deus irridens Adami præſumptionem, quâ per eſum fructûs prohibiti ſimilitudinem cum Deo ambierat, ſic loquitur: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.* Quæ verba neceſſariò numerum denotant, ſicut & ea, quæ idem auctor refert c. 11. *venite*, inquit Deus contra turrim Babel ædificantes... *deſcendamus, & confundamus... linguam eorum.* Nullus enim ad ſe ipſum dixerit, *venite*, Similia leguntur Iſaiæ 6. *quem mittam, & quis ibit nobis?* Ibi conjungitur numerus ſingularis, *quem mittam*, ad deſignandam unitatem naturæ, & omnipotentiæ, cum numero plurali, *quis ibit nobis?* 6°. Ipſi Judæi in Talmude confiteri coguntur in his verbis aliquod myſterium latere, & Rabbi Huna in ſuo minori Commentario in Gen. ſcribit hanc loquendi rationem eſſe extraordinariam, ac Moyſen, cùm Deus ita ſcribere imperaret, manum ſuſtinuiſſe, ſciſcitatumque ab ipſo de illo plurali numero 7°. denique perpetua & conſtans fuit omnium Patrum doctrina allatis textibus divinarum Perſonarum numerum deſignari; ita ſanctus Juſtinus in Dialogo cum Triphone, S.

Irenæus lib. 3. cap. 11. Tertullianus contra Praxeam cap. 12. & 13. Synodus Antiochena adverſùs Paulum Samoſatenum, ſanctus Athanaſius lib. contra Gentes, Sanctus Baſilius lib. 5. contra Eunom. & Hom. 6. in Hexamer. Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus Catech 10. Sanctus Ambroſius lib. 6. in Hexameron cap. 7. & alii deinceps.

Probatur 2°. ex Pſal. 44. *Sedes tua, Deus, in ſeculum ſeculi... propterea unxit te Deus Deus, tuus.* Ibi unctus eſt Deus, & duo ungentes eodum nomine inſigniuntur. Quòd autem hic Pſalmus totus ſit de Meſſiâ, non de Salomone res ipſa clamat, & veteres Judæi agnoverunt, teſte Origene lib. 1. contra Celſum, nec aliud ſentire poſſunt Sociniani, repugnante Apoſtolo, Heb. 1. verſ. 8. & 9. ubi intelligit hunc locum de Chriſto Domino. Plura ex veteri Teſtamento proferentur ex capite ſeq. pro aſſerenda Filii divinitate.

Ex his colliges Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium in Synagogâ fuiſſe creditum, ſaltem à viris primariis: quales extitêre Patriarchæ, Prophetæ, & alii Doctores.

Confirmatur 1°. Chriſti Domini teſtimonio, Matth. 13. *Multi Prophetæ & juſti*, inquit, *cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt*, Joan. 8. *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.*

Confirmetur 2°. ex ſanctis Patribus.

Origenes hom. 2. in Joſue aſſerit Judæos habuiſſe notitiam Trinitatis, ſed non integrè & perfectè. Idem ſentit de Abrahamo Sanctus Ambroſius lib. 1. de Caïn & Abel cap. 8.

Sanctus Epiphanius hæreſi 5. ſic ſcribit, *una Trinitas ſemper in illâ ſingulari divinitate nuntiata creditaque ab illis eſt, qui ceteris antecellerent, cujuſmodi*

Prophetæ atque eximiâ ſanctitate præditi homines fuerunt.

Sanctus Auguſtinus idipſum de Abrahamo concludit lib. 2. contra Maximinum ex cap. 18. Gen. ubi ſanctus Patriarcha tres vidit, & unum adoravit.

Confirmatur 3o. ex Philone inter Judæos doctiſſimo tempore Apoſtolorum. Hic Deum diſtinguit & ejus Verbum; docet quæ lib. de mundi opificio à Verbo creatum eſſe mundum, l. de confuſione linguarum, Verbum eſſe æternam Dei imaginem: lib de Solemniis illud vocat primogenitum Dei Filium, & lib. de Agriculturâ cenſet illud ipſum veteribus Patriarchis apparuiſſe. Illud poſtremum docet Paraphraſis Chaldaïca, & antiquiores Patres unanimi conſenſu, ſanctus Juſtinus Dial. cum Triphone. ſanctus Irenæus lib. 4. paſſim, ſanctus Clemens Alexandrinus lib. 1. Pœdagogi cap. 7. Tertullianus contra Praxeam cap. 14. lib. 2. contra Marcion. cap. 23. Origenes in Celſum lib. 3. & 6. Synodus Antiochena in epiſtolâ Synodicâ adversùs Paulum Samoſatenum, ſanctus Athanaſius Or 4. contra Arianos, ſanctus Hilarius lib. 4. & 12. de Trinitate, ſanctus Baſilius. lib. 2. contra Eunom. ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 49. & ceteri communiter, qui omnes aſſerunt ipſum Verbum divinum apparuiſſe Patriarchis, nonnunquam quidem in Angelo, ut Moyſi in Monte Sina, & in Oreq in rubo, ut agnoſcit ſanctus Stephanus Act. 7. Multa enim prohibent credere in hujuſmodi apparitionibus purum extitiſſe Angelum. Enimvero qui apparebat pactum iniit cum populo Iſraël, eumque ſibi aſſumpſit in peculium ex cunctis gentibus terræ, ille ſolus eſt adorandus, illi ſoli ſerviendum, Exodi cap. 20. idem dicitur Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Ja-

cob, nomen ejus eſt, *Ego ſum qui ſum.* Exod. 3. quin ipſe Chriſtus Dominus, Matth. 22. disertè teſtatur hunc non fuiſſe Angelum, ſed Deum ipſum. Unde meritò Patres Ariminenſes dicunt anathema iis, qui illud ipſum negaverint.

Nihilominus ex Evangelio conſtat Judæorum vulgus ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium ignoraſſe, cùm Chriſtus Dominus apud eos ut blaſphemus audierit, ex eo quòd ſe filium Dei diceret, æqualem Deo ſe faciens.

Secunda pars nempe hoc myſterium in novo Teſtamento explicitè fuiſſe revelatum, & ab omnibus credendum, probatur ex duobus Scripturæ inſignibus locis. Primus ducitur ex cap. 28. Matth. ubi Chriſtus ab Apoſtolis receſſurus ſic eos alloquitur, *euntes... docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs-ſancti.* Sub hâc fide initiantur omnes Chriſtiani, Deo uni & trino devoventur; hujus myſterii confeſſionem explicitam à tempore Apoſtolorum Eccleſia ſemper exegit à Catechumenis. Secundus locus habetur, 1. Joan. 5. ubi ſic ſcribit Apoſtolus, *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus-ſanctus: & hi tres, unum ſunt.* Nihil clarius.

Objiciunt 1°. Sociniani, in laudato Matth. textu, nec trium perſonarum diſtinctio, nec naturæ divinæ unitas tribus perſonis communis exprimitur. Ergo textus ille nullatenus Trinitatem demonſtrat.

Probant ant. 1°. quia nomine Spiritûs-ſancti intelligitur Dei donum, ſeu gratia ſanctificans propria baptiſmi Chriſti, juxta illud Marci 10. *ille... baptizabit vos Spiritu-Sancto*, & Actuum 10. *baptizabimini Spiritu-Sancto*, id eſt gratiâ, non enim abluimur perſonâ divinâ: 2°. perperam colligitur Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum eſſe ejuſdem naturæ & auctoritatis, ex eo

quòd baptiſmus conferatur in eorum nomine, cùm etiam in politicis edictum emittatur nomine Regis, & Primarii in urbe Magiſtratûs. Quemadmodum igitur ex eo quòd quibuſdam edictis præfigatur hic titulus, *auctoritate Regis & Præfecti urbis*, non denotatur par in Rege & Præfecto auctoritas; nec etiam illâ baptizandi formulâ, *in nomine Patris, & Filii*, &c. deſignatur trium Perſonarum æqualitas, ſed ſolummodo ſignificatur Chriſtum eſſe in novâ lege ſupremum Patris adminiſtrum, ſicut Moſen in veteri. Unde baptiſmus in ejus nomine confertur, quemadmodum Apoſtolus de Moſe ſcribit, 1. Cor. 10. *Omnes in Moyſe baptizati ſunt*, qui honos non decet inferiores miniſtros, ut innuit idem Apoſtolus 1. Cor. 1. *Nunquid... in nomine Pauli baptizati eſtis?*

Nego ant. ad cujus confirmationem.

Reſpondeo 1°. diſting. primam partem antecedentis. Nomine Spiritûs-ſancti intelligitur donum ejus aliquando & raró, ut 1. Cor. 14. Concedo: communiter & præſertim in hoc textu, Nego antecedens. Itaque communiter diſtinguitur Perſona Spiritûs-ſancti ab ejus donis, ut Rom. 5. *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* 1. Cor. 12. *Diviſiones... gratiarum ſunt, idem autem Spiritus*, &c. Quòd verò Spiritus-ſanctus ſit Perſona per ſe ſubſiſtens, conſtat ex pluribus Scripturæ textibus, Joan. 14. *alium Paraclitum dabit vobis.* Joan. 16. verſ. 8. *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato*, &c. verſ. 13. *quæcunque audiet, loquetur.* v. 14. *de meo accipiet.* 1. Cor. cap. 6. *an neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs Sancti?* quæ ſanè Perſonam viventem & ſubſiſtentem denotant. Quod autem textus Matth. non poſſit intelligi niſi de perſonâ diſtinctâ à duo-

bus aliis, nemo non videt, niſi cæcus ſit, quia ibi baptiſmus conferendus eſt nomine & auctoritate Spiritûs-ſancti: at abſurdum planè eſt nomine & auctoritate alicujus doni & accidentis miniſterium exercere.

Reſpondeo 2°. diſting. alteram confirmationis partem, non ſignificatur trium perſonarum æqualitas, ex eo quòd baptiſmus earum nomine conferatur, ſi nihil aliunde cogat ita intelligere, tranſeat: Secus, Nego. Porrò unitatem naturæ divinæ, in tribus perſonis ſubſiſtentem in hoc textu perſpicuè expreſſam agnoſcere cogimur, tum quia conſubſtantialitas Filii & Spiritûs-ſancti cùm Patre in pluribus Scripturæ locis diſertè aſſeritur, ut duobus proximè ſequentibus capitibus demonſtrabimus: tum quia omnium ſanctorum Patrum una vox eſt in baptiſmo Chriſtianos myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis profiteri; tum denique quia in batiſmo cum Deo pactum inimus, ipſi devovemur ac conſecramur: Ergo illi in quorum nomine baptizamus, ſunt verus Deus, nam tale pactum, talis conſecratio ad creaturam referri non poſſunt.

Objiciunt 2°. Textus ex cap. 5. 1. Joan. eſt aſcititius, nec admitti poteſt ut verbum Dei, probantque 1°. verſiculus ille deeſt in textu Syriaco, Arabico, & in pleriſque Græcis exemplaribus. 2°. deſideratur quoque in manuſcriptis codicibus Latinis, qui aſſervantur in Bibliothecis Regiâ, Colbertinâ, & Sangermanenſi à pratis. 3°. antiquiores Patres, qui plures Scripturæ textus collegerunt ad aſſerendam hujus myſterii veritatem, nuſquam meminêre allati textus præ ceteris efficaciſſimi. Unde Eraſmus ſuſpicatur S. Hieronymum hujuſce fraudis auctorem. At cùm Patres Hieronymo juniores hunc verſicu-

ſum prætermittant, ut ſanctus Auguſtinus, lib. 3. cap. 22. contra Maximinum, ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 14. theſauri cap. 5. Occumenius, & Beda in ſuis commentariis in primam Epiſtolam ſancti Joannis, noſtræ ætatis Criticus prologum in canonicas Epiſtolas, qui ſub nomine ſancti Hieronymi circunfertur, & ubi hujus verſiculi lectio contra obtrectatores vindicatur, ipſi ſancto Doctori adjudicat; contenditque verſiculum à poſterioribus additum in margine verſionis Hieronymianæ, ac deinceps ex ſcriptorum vitio è margine tranſmiſſum in textum, quod ſuadet ex codice regiæ Bibliothecæ quingentorum circiter annorum, in quo deeſt ille verſiculus. Ergo.

Nego antec. 1o. quia, ex Tertulliano lib. de præſcriptionibus, variare debuerat error. At Eccleſiæ, Græca ſcilicet & Latina, non variant circa hanc lectionem. De Latinâ conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 4. ubi recipit omnes libros canonicos prout leguntur in Eccleſiâ: atqui epiſtola 1. S. Joan. legitur cum hoc verſiculo in officio Dominicæ poſt Paſcha: ergo. De Græca verò patet ex Græcorum lectionario, idque fatetur Simon cap. 18. hiſt. criticæ. Vana autem eſt conjectura ad Græcos corruptelam manaſſe à Latinis, cùm in Oriente dominarentur: tum quia Græci ex multo tempore Latinis infenſi, ab iis tanquam ab Hæreticis cavebant; cùmque ab exordio ſchiſmatis minima caperent, nunquam tamen illam falſitatem objecerunt: tum quia longè ante Orientalem Latinorum expeditionem, verſiculus ille in Græcis codicibus legebatur.

Enim verò correctorium Bibliorum, quod circa decimum ſeculum editum eſt, & in Bibliothecâ Sorbonicâ aſſervatur, fidem facit hunc eun-

dem verſiculum in pluribus codicibus Græcis legi, & in quibuſdam tantùm deeſſe. Eraſmus eundem verſiculum, quem expunxerat ex codice Anglicano pervetuſto, reſtituit. Calvinus & Beza teſtantur ætate ſua in melioribus Græcis codicibus adfuiſſe; Amelotius Oratorii Preſbyter affirmat extitiſſe in Vaticano omnium vetuſtiſſimo: & ſexdecim exemplaribus antiquiſſimis, quibus uſus eſt Robertus Stephanus, ſeptem tantùm rant, in quibus deſideraretur. Cardinalis Ximenius, qui undequaque exemplaria, ac præſertim ex Bibliothecâ Vaticanâ conquiſierat, hæc Joannis verba in ſua editione Complutenſi anno 1517. retinuit.

Quod ſpectat Latinos codices, etſi in multis verba illa deſiderentur, longè plures illa repræſentant. Teſtes ſunt Lovanienſes, qui infinitam propemodum codicum multitudinem conſuluêre: Patres Benedictini ad citatum prologum Hieronymo aſcriptum in Epiſtolas Catholicas: Complutenſes mox laudati. Teſtis etiam correctorium Bibliorum apud Sorbonicos, cujus auctor in quibuſdam tantùm Græcis codicibus has voces deſiderat. Ergo nobis credendum relinquit eos reperiri in omnibus Latinis, quos legerat. Sed præ ceteris audiendi ſunt antiquiores Latini Patres.

Tertullianus auctor 2. & 3. ſeculi lib. contra Praxeam cap. 25. ad aſtruendum Trinitatis myſterium ſic ratiocinatur ex c. 5. 1. Joan. & ex cap. 10. Evangelii ejuſdem Apoſtoli, *connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, qui tres unum ſunt, non unus, quomodo dictum eſt:* Ego & Pater unum ſumus.

Sanctus Cyprianus, tertio mediante ſeculo, ſic habet lib. de unitate Eccleſiæ, *de Patre & Filio & Spiritu-ſancto ſcriptum eſt,* & hi tres unum

ſunt. Nullibi autem ſcriptum niſi cap. 5. 1. Joan. Non ferenda eſt Facundi Hermianenſis ſexto ſeculo interpretatio, utpote nimis violenta; hic cùm in ſuo codice hunc verſiculum non legeret, ſicut nec ſanctus Auguſtinus, vult beatum Martyrem reſpexiſſe ad hæc S. Joannis verba, *tres ſunt qui teſtimonium dant in terrâ, Spiritus, & aqua & ſanguis*, ita ut in Spiritu Patrem, in ſanguine Filium, & in aquâ Spiritum ſanctum intellexerit; quis enim non videat hunc ſenſum alienum eſſe tum à mente ſancti Doctoris; tum à textu Apoſtoli? Præferendus itaque ſanctus Fulgentius doctrinæ ſanioris, & antiquior Facundo, qui ad decimam Arianorum objectionem ſic reſpondet: *in Patre ergo & Filio & Spiritu ſancto unitatem ſubſtantiæ accipimus, perſonas confundere non audemus. Beatus Joannes Apoſtolus teſtatur dicens*, tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus-ſanctus, & hi tres unum ſunt, *quod etiam beatus Martyr Cyprianus in epiſtolâ de unitate Eccleſiæ teſtatur.*

Eugenius Carthaginienſis Epiſcopus in profeſſione fidei, quam nomine omnium Africæ & Mauritaniæ Confeſſorum numero 400. ex Gennadio Maſſilienſi lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, obtulit Hunnerico Regi Ariano anno 484. ſic habet: *& ut adhuc luce clariùs unius divinitatis eſſe cum Patre & Filio Spiritum-ſanctum doceamus, Joannis Evangeliſtæ teſtimonio comprobatur, ait namque*, tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus-ſanctus, & hi tres unum ſunt. Habes hîc teſtimonium totius Eccleſiæ Africanæ apud omnes ejus Præſules quinti ſeculi indubitatum, cùm Regi Ariano obtulerint, nec ab eo poſſe rejici prævide-rint.

Auctor prologi in epiſtolas canonicas etſi recentior ſit ſancto Hieronymo, ante octavum tamen ſeculum ſic ſcripſit; *in illâ epiſtolâ ſancti Joannis primâ ab infidelibus tranſlatoribus multùm creatum à veritate fidei comperimus, trium tantummodò vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis & Spiritûs, in ſuo codice ponentes, & Patris, Verbi, & Spiritûs-ſancti teſtimonium emittentes, in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris, ac Filii, & Spiritûs-ſancti vera divinitatis ſubſtantia comprobatur.*

Ex illo ergò Auctore diſcimus ejus ætate graves extitiſſe Catholicorum expoſtulationes adversùs quoſdam Tranſlatores, qui ex textu Græco hunc ſancti Joannis verſiculum Latinè non ediderant.

Porrò ferenda non eſt calumnia, quâ in hâc parte impetitur ſanctus Hieronymus; qui, ut erat vir ſanctus, in ſcripturarum ſanctarum cognitione ac explanatione verſatiſſimus, quippe, teſte ſancto Auguſtino, omnium Antiquorum lucubrationes evolverat, non poteſt argui infidelitatis, aut ignorantiæ; quocirca hunc Joannis verſiculum uti genuinum cum ipſo accipere debemus, ut exigit epiſtolæ contextus; nam particula, *&*, quæ præmittitur octavo verſiculo, cohæret cum ſeptimo, & nullatenus cum ſexto, ut legenti patebit.

Reſtat ergo ut dicamus Patres, qui hujus verſiculi non meminêre, in codices incidiſſe mutilos ex inadvertentiâ Exſcriptorum, quod ex eo faciliùs ipſis obtigit, quòd verſus ſeptimus & octavus incipiant ab illis vocibus, *tres ſunt, qui teſtimonium dant*, quo factum eſt, ut errante oculo ac manu, tranſierint ad verſum octavum, *Spiritus, aqua, & ſanguis*, omiſſis poſterioribus partibus versùs ſeptimi, quod ipſis contigiſſe circa verſ. 36. cap. 21. Joſue adver-

tunt Patres Benedictini in ſuis Annotationibus ad eundem Prologum; quia tres verſus ejuſdem capitis, ſcilicet 35. 36. & 37. his clauduntur vocibus, *civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis.*

CAPUT IV.

Utrùm Filius ſit Patri conſubſtantialis?

R. De fide eſt Filium Patri eſſe conſubſtantialem.

Probatur ex teſtimonio cujuſque perſonæ divinæ, quod beatus Joannes capite præcedenti protulit, quodque nunc eâ, quâ par eſt, reverentiâ & diligentiâ ſigillatim ponderandum proponimus.

Teſtimonium Patris.

Quoniam Adverſarii ſolum Patrem veteris Teſtamenti auctorem agnoſcunt, ad ejus teſtimonium referemus quæ in eodem Teſtamento de Filii divinitate leguntur, & quidem ex quamplurimis ſolùm præcipua.

Primum. Pater Chriſtum Dominum declarat ſuum Filium his characteribus, qui non niſi filio naturali & conſubſtantiali convenire poſſunt, Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus.* Hic, inquit; non Joannes Baptiſta, licèt inter filios adoptivos non ſurrexerit major illo, hic unicus eſt, non factus aut creatus, ſed genitus. Pſal. 2. *Ego hodie genui te*, non ex nihilo, ſed ex utero Pſal. 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Ex utero, inquam, non Beatæ Virginis, ut contendunt Sociniani, quia ante Luciferum, imò ante omnem creaturam, Prov. 8. *Dominus poſſedit me,*

me, inquit Sapientia, *initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret..., quando præparabat cœlos, aderam ... cum eo eram cuncta componens ..., ludens coram eo omni tempore.* Eo loci ſapientia non eſt aliquod accidens ſeu virtus intellectualis, ſed perſona vivens, quæ enim ipſi tribuuntur, non ſolùm in hoc capite, ſed & in 1°. & 9°. ſunt perſonæ viventis: cap. 5. clamat, increpat: c. 9. dicitur ædificaſſe ſibi domum, immolaſſe victimas, &c. Non eſt etiam attributum eſſentiale commune tribus perſonis, ſeu ut interpretantur Sociniani, proprietas & attributum Patris; namque diſtinguitur à Patre, cùm dicatur ab eo genita & procedens, ludens coram eo omni tempore, id eſt, omnia cum ipſo faciens, conſervans, & gubernans, quæ in Deo non ſunt labor, ſed ludus propter operandi facilitatem. Ergo locus ille intelligendus eſt de Chriſto Domino qui vi proceſſionis æternæ eſt ſapientia, quippe in vicis clamavit, increpavit, Eccleſiam tanquam domum ædificavit, & in eâ immolavit victimas, nempe ſeipſum in Sacramento Altaris, ac denique de ſeipſo dixit Joan. 5. *Pater meus uſque modò operatur & ego operor*, nempe in continuâ creaturarum productione & conſervatione. Commendatur quoque ejus æternitas Michææ cap. 5. his verbis, *& tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te enim egredietur qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Hæc prophetia eſt de Chriſto, teſtibus Judæis, Matth. 2. & Joan. 7. verſ. 42. duas autem nativitates ejus manifeſtè exprimit, unam temporalem ex Beatâ Virgine, alteram æternam ex Patre propter quam Pater illum paris ſecum poteſtatis & honoris dignum pronuntiat, Pſ. 109. *Dixit Dominus Domino meo*,

ſede à dextris meis; ſic enim interpretatur Apoſtolus, Heb. 1. v. 13.

Dices cum Socinianis: ſapientia, Prov. 8. apud Septuaginta Interpretes dicitur creata, Ergo.

Reſpondeo 1°. Textus Hebraïcus, cùm ſit originalis, eſt præferendus: in eo autem legitur ſicut in noſtrâ vulgatâ, *Dominus poſſidet me*, hoc eſt generavit; ſic enim Eva, genito Caïn, ait, *poſſedi hominem per Deum*, 2°. in aliis codicibus Græcis legerunt, *poſſedit*, ſanctus Baſilius lib. 2. contra Eunomium, & ſanctus Gregorius Nyſſenus l. 1. contra eundem. 3°. Creatio dupliciter ſumi poteſt, vel ſtrictiùs pro productione ex nihilo, vel latiùs pro quâlibet productione, ſive ex nihilo, ſive ex ſubſtantiâ, ut Jer. 31. *Creavit Dominus novum ſuper terrâ, fœmina circundabit virum.* Hoc poſteriori ſenſu intelligendi ſunt Septuaginta interpretes, qui ideo verbum, *creavit*, uſurpaverunt, quia generatio divina immunis eſt ab imperfectionibus quæ inſunt omnibus generationibus naturaliter notis.

Dices 2°. Michææ textus legitur in Hebræo, à diebus ſæculi, non verò à diebus æternitatis: Ergo.

Reſpondeo hunc loquendi modum perinde æternitatem ſignificare, ut patet tum ex Pſal. 29. *à ſæculo tu es:* tum ex Iſaïæ 43. ubi Deus exponens ſuam æternitatem ait, *ab initio ego ipſe*, in Hebræo, *ex quo dies eſt, ego ipſe.*

Secundum Patris teſtimonium ducitur ex innumeris locis, in quibus Pater Deum denominat Filium: atque ut efficacia hujus teſtimonii clariùs eluceat.

Advertes nomen illud, *Deus*, ſumi dupliciter. 1°. appellativè & metaphoricè ad deſignandam inſignem autoritatem & poteſtatem creaturæ à

Deo conceſſam, propter quam divinum quid in ea relucet; hoc ſenſu Deus ad Moyſen ait Exodi 7. verſ. 1. *conſtituit te Deum Pharaonis*, & ad Judices, Pſalm. 81. *Ego dixi, dii eſtis, & filii excelſi omnes.* 2°. ſumitur proprié pro primo ente, & ſupremo rerum omnium Dominatore.

Advertes 2°. in novo teſtamento nomen Deus, apud Latinos, & Θεὸς apud Græcos nunquam appellativum eſſe, ſed ſemper proprium, ut notat ſanctus Irenæus lid. 3. cap. 6. *neque Dominus*, inquit, *neque Spiritus-ſanctus, neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitivè & abſolutè Deum nominaſſent, qui non eſſet verus Deus:* & cap. 8. *nunquam neque Prophetæ, neque Apoſtoli alium Deum nominarunt præter Deum & ſolum Deum;* vocem *definitivè* uſurpavit, quia Apoſtolus 1. Cor. c. 8. ex Paganorum ſententiâ & uſu innuit plures dici Deos, ſed definit apud Chriſtianos unum eſſe Deum, *etſi ſunt*, inquit, *qui dicantur Dii... nobis tamen unus eſt Deus.* Hinc Herodes Act. 12. percuſſus à Deo expiravit, eo quòd non dediſſet honorem Deó, acclamantè ipſi populo, *Dei voces & non hominis.*

Advertes 3°. facilé deprehendi an in veteri Teſtamento nomen Dei appellativè & metaphoricè uſurpetur, an propriè. Namque 1°. conſtat apud omnes etiam Judæos Deum eſſe nomen proprium, quando exprimitur hac voce, *Jehova.* Quod Tetragrammaton vulgò dicitur, quia ex quatuor litteris componitur, quodque Judæis tam ſacrum eſt, ut ab eo pronunciando religioſè abſtineant; imò ipſius pronuntiandi rationem ipsâ deſuetudine jam ignorant. 2°. cùm nomen Dei in Hebræo non eſt, *Jehova*, tum dignoſci poteſt ex ſubjectâ materiâ, & circunſtantiis, an ſit proprium aut appellativum, nempe ſi perſonæ de quibus ſermo eſt, ſemel aut bis hoc vocentur nomine, ut Moyſes & Judices, & alia be-

ne multa de iis teferantur, quæ naturæ independenti repugnant, ut quæ de Moyſe & Judicibus narrantur; certum eſt hujuſmodi dici Deos appellativè & metaphoricè, quemadmodum Deus aliquando appellatur leo, Chriſtus Dominus vitis vera. At ſi perſonna ſoleat dici Deus, & ei tribuantur quæ primæ cauſæ conveniunt, ut Pſalm. 21. *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti,* & Pſalm. 44. *ſedes tua Deus in ſeculum ſeculi … unxit te Deus,* &c. nomen illud propriè accipiendum eſt, quia ſi propter quandam ſimilitudinem metaphora ſit continua, ſermo verax non eſt, ſed mendax & ad decipiendum compoſitus. Hinc aſſerimus veritatem carnis humanæ in Chriſto adversùs Marcionitas eam negantes, ex eo quòd in Scripturis conſtanter nominetur homo aut filius hominis. Similiter ex Scripturis evincimus ipſum verè eſſe Deum, qui in illis Deus frequenter prædicatur, ſed omiſſis illis teſtimoniis, quæ longiori diſſertationi nos exponerent, proferemus ſolos textus in quibus appellatur *Jehova.*

Primus petitur ex cap. 6. Iſaïæ, ubi aſſerit Propheta ſe vidiſſe Dominum *Jehova* ſedentem in throno circunſtantibus Seraphinis & clamantibus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* audiviſſe quoque dicentem, *quis ibit nobis,* & ſibi præcipientem, *vade, & excæca cor papuli hujus;* quæ verba efficacia ſunt præſertim contra Socinianos, nam S. Joannes c. 12. Evangelii v. 41 ea de Chriſto Domino exponit, *Hæc dixit Iſaïas, quando vidit gloriam ejus.* Idem Propheta clariùs ſe explicat capitibus ſequentibus c. 7. v. 14. ubi de ortu Meſſiæ loquens habet: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Jehova*) quod ſanctus Matthæus c. 1. v. 23. interpretatur, *nobiſcum Deus.*

Reſpondent Sociniani addendum eſſe verbum ſubſtantivum, eſt, ut ſit ſenſus, nobiſcum eſt Deus, & ita Emmanuel non ſit nomen Meſſiæ, ſed Dei in Meſſiâ & per Meſſiam operantis.

Sed præterquam quod non licet verbo Dei addere, nec eſt melior interpres nominis Emmanuel, quàm ſanctus Matthæus, exploditur illa explicatio verbis ipſiuſmet Prophetæ cap. 7. ubi Emmanuelis nomina, & excellentiam deſcribens ſic ait: *Parvulus... natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, admirabilis... Deus (Jehova) fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.* Et c. 8. verſ. 13. *Dominum (Jehova) exercituum ſanctificate, ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter. In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël, in laqueum & ruinam habitantibus Jeruſalem.* Quem locum de Chriſto explicant ſenex Simeon Lucæ 2. v. 34. ſanctus Paulus Rom. 9. verſ. 33. & ſanctus Petrus epiſt. 2. cap. 2. verſ. 7. Ergo Chriſtus Dominus apud Iſaïam conſtanter eſt Deus, *Jehova.*

Ex quâdam obſcuritate, quæ in hodiernam lectionem Hebraïci textûs irrepſit ob recentem punctorum adjectionem, contendunt Sociniani ſic legendum c. 9. Iſ. *& vocavit nomen ejus... Deus fortis*, ita ut non Meſſias, ſed ipſe Pater ita vocetur.

Sed contra 1°. Septuaginta Interpretes, Aquila, Symmachus, & vulgata verterunt, *vocabitur.* 2°. Linguæ Hebraïcæ periti docent ſublatis punctis legi poſſe, vocabitur. 3°. coacervatio tot nominum ſatis indicat iis deſcribi Meſſiam. Sive autem adjectivum, *fortis*, ſeparetur à ſubſtantivo *Deus*, ſive conjungatur, perinde eſt, imò ſi conjungatur, emphaſim habet, ſignificat enim Deum omnipotentem, Pſalm. 23. v. 8.

Dominus fortis, & *potens*, cap. 10. Iſa. *convertentur reliquæ . . . Jacob ad Deum fortem.*

Secundus habetur Jerem. cap. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum: regnabit Rex, & ſapiens erit . . . In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus (Jehova,) juſtus noſter*, in Heb. *hoc eſt nomen, quo vocavi eum, Deus (Jehova,) juſtitia noſtra.* Quæ verba ad Meſſiam pertinere probat Huetius demonſt. Evangelicâ propoſitione 7. num. 16. ex teſtimoniis veterum Judæorum. Idem agnoſcunt Sociniani, ſolo Grotio refragante, qui verba illa ad Zorobabelem transfert, ſed immeritò; inſigniores enim ſunt illi tituli, ut alteri, quàm Meſſiæ, aptentur, nedum Zerobabeli, qui non fuit Rex, ſub quo Juda & Iſrael confidenter requieſcerent, multò minùs juſtitia.

Tertius depromitur, ex cap. 11. Zachariæ ſic ſcribentis, *appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus* (Jehova) *ad me projice illud ad ſtatuarium: decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.* Quæ de Chriſto eſſe prædicta conſtat ex ſancto Matth. c. 27. v. 9. Idem Propheta c. 12. inducit Deum (*Jehova*) de ſe loquentem his verbis, *effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem, Spiritum gratiæ, & precum; & aſpicient ad me, quem confixerunt.* Quem autem confixerunt, declarat Evangeliſta Joan. c. 19. ubi latus Chriſti ab uno milite apertum eſt, *ut Scriptura impleretur*, inquit ... *videbunt in quem transfixerunt.* Sociniani nihil reponunt, niſi quod textus ſit corruptus, delendæque ſit illæ voces, *ad me*, ne poſterior pars textûs ad Deum, *Jehova*, referatur.

Quartus, iſque apertiſſimus, occurrit apud Malachiam cap. 3. ubi Deus, *Jehova*, ſic lo-

quitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit Dominus (Jehova)* Hanc Prophetiam Chriſtus in ſe impletam definit, Matth. cap. 11. ubi monet diſcipulos Joannem Baptiſtam illum eſſe, quem prædixit Malachias paraturum viam ante ſe, mutatis Prophetæ verbis; ille enim habet, *ante faciem meam.* Chriſtus verò; *ante faciem meam*, ut oſtenderet perſonarum diſtinctionem, naturæ verò unitatem; facies enim, quæ tribuitur Deo, *Jehova*, ſuam dixit Chriſtus. Pater ipſe per Angelum Gabrielem, quem ad Zachariam deſtinavit, Lucæ capite primo verſ. 16 hanc interpretationem confirmat his verbis: *Et multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum.* Quis verò Dominus Deus filiorum Iſraël, niſi verus Deus? de illo eodem ſubdit verſu ſequenti, *& ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Joannes ergo præceſſit ante verum Deum, qui eſt dominator Iſraël, cui erectum eſt templum in Jeruſalem, ad quos venit carne indutus. Hic Socinus ſe victum demonſtrat, aſſerendo textum eſſe corruptum, repugnantibus Judæis & Chriſtianis, qui eodem modo legunt.

Porrò ex his textibus liquet Meſſiæ divinitatem non fuiſſe Synagogæ prorſus incognitam.

Tertium Patris teſtimonium habetur ex miraculis tum Chriſti, tum diſcipulorum ejus; licèt enim facta ſint poteſtate tribus perſonis communi, ea tamen ad Patrem Chriſtus retulit. ut Joan. 5. v. 36. *Ego*, inquit... *habeo teſtimonium majus Joanne: opera enim quæ dedit mihi Pater.. teſtimonium perhibent de me.*

Nec dicas, prophetas edidiſſe miracula, Eliſeum mortuos ſuſcitaſſe etiam poſt mortem, qui

Y iiij

propterea non exiſtimantur Patri conſubſtantiales. Namque miracula non patrarunt ad probandum ſe eſſe eiuſdem naturæ cum Deo ſicut patravit Chriſtus. Cùm ergo vera miracula non poſſint niſi à Deo proficiſci, nec Deus teſtis eſſe poſſit falſi, neceſſe eſt, ut dicamus Chriſtum Dominum eſſe Patri conſubſtantialem, cùm ipſe & ejus diſcipuli innumeris miraculis id confirmaverint. Quæ autem ſolent objici contra tot miracula, ſolvimus Tract. de Incarn. pag. 61. & ſeq.

Teſtimonium Filii.

PRimò, teſtatus eſt ſe eſſe Filium Dei naturalem, dum hanc Petri confeſſionem, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, Matth. 16. ſic laudavit, *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Ex his enim argumentari licet. Non fuit ſingulare Petri Privilegium, quòd ipſi revelatum ſit Dominum eſſe Chriſtum, aut Filium Dei adoptivum. Primum didiciſſe potuerat à Joanne Baptiſta, aut à fratre Andreâ, & à Philippo, qui illum eſſe Meſſiam & Chriſtum ab initio confeſſi fuerint. Joan. 1. v. 26. 40. & 45. Secundùm notum erat omnibus, qui illum habebant tanquam unum ex Prophetis, qui ſanè erant Filii Dei adoptivi. Petrus ergo ultra progreſſus prædicat illum eſſe Filium Dei naturalem Patri conſubſtantialem. En vera & hactenus inaudita Petri confeſſio, quâ meruit ſuis condiſcipulis anteponi.

Secundò, quod Petrus uno verbo comprehenderat, ipſe Dominus multis in locis explicatiùs expoſuit definiens 1°. ſe ab omnibus Prophetis tantùm diſtare, quantùm filius familias à domeſticis. Hoc diſcrimen laté proſequitur Matth.

21. ubi Deum Patrem exhibet uti patrem familias, qui vineam ſuam locavit agricolis, ad quos ſemel & iterum miſit ſervos, qui fructum reciperent; ſed cùm agricolæ ſervos occidiſſent, *noviſſimè, .. miſit ad eos filium ſuum, dicens verebuntur filium meum.* In ſervis agnoſcuntur omnes Prophetæ, quorum alii alis fuëre ſpectatiores: in Filio vero & unico hærede Chriſtus Dominus, qui 2°. ita de ſeipſo loquitur Joan. 3. *Sic... Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Præmittitur particula, *ſic*, quæ denotat admirationem facti, cujùs cauſam, ſcilicet Dei amorem & bonitatem, humana mens non capit. Obſtitit Deus, ne Abraham unigenitum & ſingulariter dilectum Iſaac ſibi immolaret, contentuſque eſt ejus animi præparatione: at non pepercit proprio Filio, non creato, ſed unigenito: addendum 3°. ex c. 14. Joan. Chriſtum ejuſdem eſſe cum Patre ſubſtantiæ & naturæ: ſic enim ipſe reſpondet Philippo roganti, ut oſtenderet Patrem, *qui videt me, videt & Patrem ... non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* ſcilicet per naturæ identitatem. Nihil lucuIentius illo teſtimonio, unde habemus, quod viſo Chriſto videatur Pater, & vera obtineatur felicitas, atqui id dici nequit, ſi Chriſtus ſit creatura, & naturâ diverſus à Patre, ut ſatis patet; nam res finita & creata, nec repreſentare poteſt objectum infinitum, & ſuperioris ordinis, nec habere rationem ſummi boni & ultimi finis, in quo quieſcamus. Ergo Chriſtus Dominus in hoc teſtimonio declarat ſe eſſe ejuſdem naturæ cum Patre; in cujus veritatis confirmationem immediatè antè dixerat: *Ego ſum via, veritas & vita*, medium & finis: via, quia per illum acceſſum habemus ad Patrem; veritas, & vita, quia eſt terminus, ultra quem nihil eſt

appetendum; quæ eſt enim beata vita, ſecundùm ſanctum Auguſtinum, niſi gaudium de veritate. His Filius fulget titulis, *ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Joan. c. 5. Quibus verbis 4°. perſpicuè ſe demonſtrat Chriſtus eſſe quid idem cum Patre; namque Deus ſe Zelotem dicit, *gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo*, nec Chriſtus eam ſibi arrogaret, niſi eſſet unus & idem cum Patre Deus.

Si Sociniani non vident in his teſtimoniis Chriſtum ſe dixiſſe Patri æqualem & conſubſtantialem, palpant in meridianâ luce cæci, magis quàm ipſi Judæi, de quibus ſic ſcribit S. Joan. cap. 5. verſ. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum . . . interficere . . . quia patrem ſuum dicebat Deum æqualem ſe faciens Deo.* Summus quoque Pontifex, & omne Concilium auditâ Chriſti confeſſione, quod Filius Dei eſſet, videndus ſedens à dextris virtutis Dei, Matth. 26. hoc nomine blaſphemum, reum mortis pronuntiarunt: *quid adhuc egemus teſtibus?* inquiunt ibidem. At Sociniani contemnunt illud Chriſti teſtimonium, contenduntque Judæos invidiâ excæcatos, mentem ejus non fuiſſe aſſecutos, ac verba illius calumniatos, atque ad id probandum

Objiciunt multos Scripturæ textus, in quibus putant Chriſto adjudicari divinitatem. Primus habetur Joan. 14. *Pater major me eſt.* Secundus Joan. 18. *Hæc eſt . . . vita æterna, ut agnoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum-Chriſtum.* Tertius Joan. 5. *non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* Huic textui affinis eſt qui legitur Matth. 20. *Sedere ... ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis.* Quartus Lucæ 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Quintus Joan. cap. 10. ubi

Judæis eum blaſphemiæ accuſantibus, quod dixiſſet ſe Filium Dei, reſpondet, *nonne ſcriptum eſt in lege veſtrâ, quia ego dixi, dii eſtis?* Ex quo reſponſo ſic argumentantur: Licet Chriſtianis de Chriſto credere, quòd voluit Judæos credere: atqui Chriſtus voluit Judæos credere ſe Filium Dei eſſe, eo ſenſu, quo Scriptura Prophetas deos, & filios Dei appellavit. Ergo. Sextus Joan. 17. explicatur quo ſenſu Chriſtus dixiſſet Joan. 10. *Ego & pater unum ſumus*, ſcilicet propter conſenſum voluntatem, quemadmodum dicitur Act. 4. *Multitudinis... credentium erat cor unum, & anima una.* Laudato enim capite orat Patrem, ut credentes unum ſint, *ſicut tu Pater in me*, inquit, *& ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Septimus Marc. 13. *de die ... illo, vel horâ* (ſcilicet generalis Judicii) *nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* Octavus Col. 5. Chriſtus dicitur, *Primogenitus omnis creaturæ.* Atqui primogenitus & ſecundogenitus ſunt ejuſdem naturæ. Ergo.

Reſpondeo 1°. generatim, Chriſtus Dominus è tumulo redivivus apparuit, Apoc. 1. *ſicut Sol lucet in virtute ſuâ*, verſ. 16. ad diſpellendas illas objectionum tenebras, & vindicandum genuinum verborũ ſenſum contra cavillationes Ebionitarum & Cerinthianorum, quos Socinianorum parentes meritò dixeris; ſic enim clarè & nitidè de ſeipſo loquitur verſ. 7. *Ego ſum* (quem pupugerunt verſ. 7.) *alpha & omega, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.* Quærimus à Socinianis, an clarioribus verbis verus Deus deſignari poſſit, quam nominibus primi principii, & ultimi finis? an creatura poſſit dici *Domine Deus omnipotens, qui eſt, & qui erat?* Cùm ergo hæc de ſe ipſo prædicet, nullum poteſt ſupereſſe

dubium, quin ſit Patri conſubſtantialis & æqualis, ac proinde fideli Chriſtiano quærendum reſtat, quo ſenſu protulerit, quæ contra objiciuntur. Cui ut fiat ſatis,

Notandum 1°. ut duæ propoſitiones ſint contradictoriæ, debent enuntiari ſub uno reſpectu de eodem objecto. Quamobrem licèt in his propoſitionibus, *homo eſt ſpiritualis*, *homo non eſt ſpiritualis*, aaparear contradictio, nulla tamen eſt, ſi de homine ennuntietur ſub diverſo reſpectù; verum enim eſt, & quod homo ſit ſpiritualis ſecundùm animam, & quod non ſit ſecundùm corpus.

Notandum 2o. Chriſtum Dominum dupliciter ſpectari poſſe, nempe quatenus Deus eſt, & quatenus homo, & ſub illo duplici reſpectu diverſæ de eo enuntiari poſſunt propoſitiones. Rurſus quatenus homo vel conſideratur ut ſingularis perſonna, quo ſenſu dicitur ab Apoſtolo, Hebr. cap. *innocens*, *impollutus*, *ſegregatus à peccatoribus*; vel ut caput hominum, & ut ſic paſſiones ſui corporis myſtici ſuas dicit, *Saule*, *Saule*, *quid me perſequeris?* Act, 9. Et, *longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, Pſal. 21. Hinc ſanctus Chryſoſtomus hom. 26. in 1. ad Cor. ſic ſcribit: *Cùm humile aliquid dicitur de Chriſto, qui carne præditus eſt, non ad divinitatis objectionem ſiendum eſt quod dicitur, ſed Incarnationi convenit.* His prænotatis,

Reſpondeo 2o. ad ſingulos textus.

Ad primum, *Pater major me eſt*, me inquam, ſpectato ut homine, Concedo: ut Deo, Nego: contextus ſermonis hunc ſenſum aperit: nam ibi agitur de Aſcenſione Domini, ob quam turbabantur Apoſtoli, quamvis eſſet præmium laborum Chriſti, ut homo eſt; & ipſis Apoſtolis occaſio & origo multiplicium donorum, ac

proinde in ejuſmodi circumſtantiis de ſeipſo debuit loqui, ut homo eſt, perfecturus ad obtinendum à Patre quod ſibi & Apoſtolis promeruit.

Ad ſecundum, nulla difficultas, ſi nomen adjectivum, *ſolus*, conjungatur, ut debet, nomini ſubſtantivo, *Deus*, adeo ut ſenſus ſit, *cognoſcant te, qui es ſolus verus Deus. Nobis tamen*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 8. *unus Deus*, nec filius eſt alius Deus à Patre.

A Tertium, diſting. non poteſt Filius à ſe facere quidquam ſine Patre, quia habet eandem cum Patre poteſtatem, Concedo: quia infirmus eſt, & in operando dependet à Patre, Nego. *Quid ſupereſt*, inquit ſanctus Ambroſius l. 4. de fide c. 3. *niſi ut per unitatem inſeparabilem poteſtatis nihil credamus Filium facere, niſi quod viderit Patrem facientem: quia per inſeparabilem unitatem nihil à ſe facit Filius, quoniam nihil vult quod Pater nolit, quod utique non infirmitatis eſt, ſed unitatis.* Cur autem Chriſtus ſoleat ad Patrem omnia referre, duplex poteſt afferri ratio. Prima eſt ſancti Auguſtini & veriſſima; quia omnia habet à Patre per generationem æternam, & hoc ſenſu dicit, Joan. 7. *mea doctrina, mea eſt*. Secunda, quia ad obterandas Judæorum obtrectationes & calumnias, quibus inſectabantur eum, quaſi eſſet Deo contrarius, continuò inculcare debuit, quòd Pater in ipſo manens operaretur.

Cùm verò dixit, *non eſt meum dare vobis*, oſtendit ſuæ voluntatis humanæ cum divinâ conſenſionem. Enimverò Jacobus & Joannes contra ordinem à Deo conſtitutum forſitan jure propinquitatis carnalis, primas ſedes ambiebant: reſpondet Dominus non eſſe ſuum, ſed Patris, hoc modo concedere, cùm honorem illum promeriti fuerint.

Ad quartum, vera quidem eſt propoſitio in ſenſu Chriſti, *nemo bonus, niſi ſolus Deus*. Sed quid tum? Atqui, ſubſumunt Adverſarii, Chriſtus negavit ſe eſſe hoc ſenſu bonum. Nego minorem, ſed ſolùm interrogavit hominem; cur illum appellaret bonum: Si reſpondiſſet ille talem honoris titulum deberi Filio Dei, procul dubio Chriſtus ſententiam confirmaſſet. Sed ſi illum duntaxat habuit, ut uſum ex Doctoribus inſignem (ut veriſimile eſt ex hâc nominis compellatione *magiſter bone*, altiora de Domino non ſenſiſſe) ſalutatio tam honorifica rejici debuit.

Ad quintum diſtinguo; Chriſtus excuſat illud à ſe dictum, *Filius Dei ſum*, ex eo quòd Scriptura illos vocet Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt argumento à minori ad majus, Concedo: argumento prorſus à ſimili, Nego. Nimirum ſedandi erant furentes, lapidibus contra ipſum armati, illorum impetum frangit magiſter ſapientiſſimus per hanc propoſitionem notam & concedendam. In lege veſtrâ Dii vocantur, *ad quos ſermo Dei factus eſt:* ergo nolite indignari contra me, quòd dixerim, *Filius Dei ſum*: Jam illis quieſcentibus & aures præbentibus, pergit, & ex hâc propoſitione univerſaliori adeoque magis notâ, auditores deducit ad ſingulare longè perfectius, ſed hactenus ignotum, concedendum tamen, *operibus credite*, inquit, *ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Sed illud ſublimius de ſe dicentem Judæi non ſuſtinuerunt, unde ſubdit Evangeliſta, *quærebant ergo eum apprehendere:* ex quo patet reſponſio ad argumentum ex verbis Chriſti deductum. Neganda eſt enim minor propoſitio, nempe Chriſtum voluiſſe Judæos de ſe credere, quòd eſſet Filius Dei ſolùm adoptivus. Ad ſummum toleravit ut ita de ſe ſentirent, donec elu-

cidaretur univerſalis illa propoſitio, *omnes ad quos ſermo Dei factus eſt, ſunt filii Dei.* Sic in Scholâ Magiſter indulgeret imbecillitati diſcipulorum, quos offenderet illa definitio, *homo eſt animal rationale*, ſuaderetque illam hoc ratiocinio, omne vivens quod ſentit eſt animal: atqui homo, quamvis rationalis, eſt animal, eſt vivens, & ſentit: Ergo homo, quamvis rationalis, eſt animal. In majori propoſitione homo non adæquatur brutis animantibus, licèt illa nihil contineat, quod non ſit omnibus commune.

At, inquies, non offendebantur Judæi, quòd Chriſtus ſe Filium Dei diceret, quemadmodum ſupponitur diſcipulos offendi, quòd homo dicatur animal; ſed quod æqualem Deo ſe faceret: Ergo illud exemplum non eſt ad rem.

Nego conſeq. Judæi irâ perciti Chriſtum diſſerentem non ſuſtinebant: ipſe vero, ut eos compeſceret, paulisper diſtulit proſequi quod erat ſibi proprium & ſingulare, propoſuitque aliquid commune omnibus, qui ex operibus probant ſe eſſe à Deo miſſos, nempe filios Excelſi appellari omnes. Hoc Judæi diffiteri non potuerunt. Tum Chriſtus, iis jam quieſcentibus & audientibus, intermiſſa proſequitur, à propoſitione communi & univerſali tranſiens ad ſingularem in hunc modum, ſi illi antiqui ex operibus probarunt ſe eſſe à Deo miſſos; & filios Excelſi adoptivos, operibus meis debitis credere, quod ego per unitatem naturæ ſim in Patre, & Pater in me. Hîc iterum exardeſcunt Judæi, & quærunt illum apprehendere. Ergo auguſtiora hîc de ſe dixit, quàm de Antiquis præmiſerat.

Ad ſextum orat Chriſtus, ut credentes unum ſint ſecum ſimul cum Patre, quemadmodum ipſe & Pater unum ſunt; diſtinguo: ut unum ſint

ſub aliquo reſpectu, nempe conſenſu voluntatum; Concedo: ſub omni reſpectu, id eſt, tam conſenſu voluntatum, quàm unitate naturæ, Nego. Chriſtus Deus eſt & homo, ratione divinitatis eſt quid unum cum Patre unitate naturæ: ratione vero humanitatis eſt quid unum conſenſu voluntatum.

Ad ſeptimum, diſtinguo, Chriſtus ut homo neſcit diem Judicii, tranſeat. Hæc reſponſio ſufficit contra Socinianos: ut Deus, Nego. dixi, tranſeat; namque Chriſtus, etiam quatenus homo, dupliciter conſiderari poteſt, 1o. ut ſingulatis perſona. 2o. ut caput hominum, quemadmodum ſupra præmonuimus: ut ſingularis perſona non ignoravit diem judicii; fuit enim plenus gratiâ & veritate, Joan. 2o. ut caput hominum, quos edocendos ſuſceperat, abſque ullâ æquivocatione dixit ſe ignorare, quod à Patre non audierat ut hominum Doctor, quemadmodum Confeſſarius in teſtimonium vocatus, verè & ſimpliciter reſpondere poteſt ſe neſcire, quod à reo in confeſſione ſacramentali audivit.

Ad octavum, Chriſtus eſt primogenitus omnis creaturæ, 1o. quia nullus ante eum genitus eſt, quemadmodum ſcriptum eſt de Beatâ Virgine, Lucæ 2. *Peperit Filium ſuum primogenitum*, licèt nullum alium poſtea pepererit. 2o. quia eſt *in omnibus* ..*primatum tenens*.. &, *in ipſo condita ſunt univerſa*, ut ibidem docet Apoſtolus, atque eo ſenſu eum dicit primogenitum ex mortuis. Ad ſubſumptum vero, atqui primogenitus & ſecundogenitus ſunt ejuſdem naturæ: Reſpondeo diſtinguendo, ſi uterque productus ſit per generationem propriè dictam, Concedo: ſecùs, Nego. Annon abſurdè quis concluderet hominem & pluviam eſſe ejuſdem naturæ, quia Deus, Job. 38. dicitur pluviæ Pater, ſicut & hominis

Deuter cap. 32. Illi enim ſunt ejuſdem naturæ, qui habent eundem Patrem proprie dictum.

Teſtimonium Spiritûs-Sancti.

Spiritus ſanctus locutus eſt per Apoſtolos juxta illud, Matth. 10. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Spiritum ergo ſanctum de Chriſto teſtimonium perhibentem audire debemus in Apoſtolis quos docuit *omnem veritatem*, Joan 16. Utrumque concedunt Sociniani; ſcripta enim Apoſtolorum ſuſcipiunt uti verbum Dei. Porrò quod ipſis videtur minùs clarum & expreſſum in teſtimonio Chriſti de ſuâ divinitate, illud invictè demonſtramus ab Apoſtolis, tam feliciter fuiſſe elucidatum, ut nec fidelibus jam inquiſitione opus ſit, ex Tertuliano, nec ipſis Socinianis effugii locus ſupereſſe poſſit.

Atque, ne adverſarii vel minimam difficultatis nebulam demonſtrationi noſtræ injiciant, operæ pretium eſt advertere Apoſtolis pugnandum fuiſſe imprimis adversùs Judæos, & Ebionitas divinitatis Verbi hoſtes infenſiſſimos. Illi contendebant Chriſtum ſe Deo æqualem feciſſe atque ideo blaſphemum, & meritò crucis ſupplicio affectum: hi contrà aſſerebant Chriſtum ante matrem non extitiſſe, nec unquam ſe dixiſſe Deum in proprio ſenſu. Quid ad hæc fideles Chriſti teſtes, qui toti erant ad prædicandum, & commendandum crucis myſterium, juxta illud 1. Cor. 2. *Non ... judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum-Chriſtum, & hunc crucifixum?* An ad expugnandum crucis ſcandalum, collegerunt Chriſti verba, quæ Sociniani nobis objiciunt, ut ex iis probarent nunquam Chriſtum ſe æqualem Deo feciſſe, imò à ſe aman-

daſſe hanc opinionem uti falſam, ideoque immunem fuiſſe ab illâ impietate & blaſphemiâ, quâ Judæi illum per inſignem calumniam onerabant, crucisque tormentum ſpectandum non eſſe ut juſtum peccatoris ſupplicium, ſed ut inſigne innocentis; quamvis puri hominis, ſacrificium? Niſi hæc præſtiterint Diſcipuli Domini, cauſam Religionis Chriſtianæ, in hypotheſi quod vera ſit Socinianorum doctrina, turpiter deſeruiſſe cenſendi ſunt.

Enimverò Deus in Eccleſiâ hæreſes naſci non permitteret, niſi earum occaſione veritas accuratiùs explicaretur, magiſque eluceret, *oportet & hæreſes eſſe*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 11. *ut & probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Nimirum textus Scripturæ perſæpe ſunt obſcuri, quin & inter ſe pugnare aliquando videntur, ita ut nulla ferè ſint fidei dogmata, contra quæ non poſſit aliquid ex Scripturis objici, ut advertit ſanctus Auguſtinus. Hinc eſt quòd, exortis circa fidem controverſiis, qui pro veritate ſtant, cautiùs mentem exprimant, & ſollicitè abſtineant à verbis ambiguis, ut clariùs veritas eluceat & faciliùs error deprehendatur. Quare poſt exortas hæreſes non licet in Religione Catholicâ uti illis vocibus ambiguis, quas antea nihil mali in iis ſuſpicati, liberè uſurpabant; ſed deinceps eas adhibere oportet, quæ nullam interpretationem aut cavillationem admittant. Hujuſce obſervationis exempla ſubminiſtrant Arianorum, Pelagianorum, Neſtorianorum, & Calviniſtarum hiſtoriæ.

Cùm ergo is eſſet controverſiæ ſtatus inter Apoſtolos & Judæos an Chriſtus ſe Patri conſubſtantialem dixiſſet, & eatenus impietatis & blaſphemiæ reus fuiſſet, Apoſtoli in hypotheſi Socinianorum, nempe Chriſtum Dominum

nunquam Deo ſe æquaſſe, debuerunt omnino abſtinere ab illis Chriſti vocibus, quæ naturæ identitatem inſinuare videbantur, explicare more Sociniano, quæ in Chriſti verbis Judæos offenderant, iis opponere ea, in quibus Sociniani contendunt Chriſtum æqualitatem à ſe ablegaſſe; & in horum confirmationem proferre quæ ſeorſim à Chriſto didicerant, cùm planiùs myſterium regni Dei aperiret, ita ut nullam ſuſpicionem malam, nullum calumniandi prætextum Judæis relinquerent, & Scripta eorum meritò dicerentur plena & abſoluta Chriſti Apologia contra Judæorum calumnias. At quàm oppoſita fuerit Apoſtolorum agendi & ſcribendi ratio, lectio ipſa clamat: conferantur verba diſcipulorum cum verbis magiſtri ubi de divinitate ſermo eſt, & reperientur prorſus eadem, niſi quòd Chriſtum expreſſiùs Deum propriè dictum pronuntiant, ſæpius inculcant & Socinianos prorſus debellant. Ex quo invictè concludimus Apoſtolos cum Judæis ſenſiſſe Chriſtum Dominum ſe æqualem Deo dixiſſe, hanc Chriſti confeſſionem laudaſſe, & propugnaſſe contra eoſdem Judæos illam deteſtantes ut horrendam blaſphemiam. Hujuſce veritatis quædam ex inſignioribus ſubjicimus teſtimonia.

Primum perhibet ſanctus Joannes, qui ex S. Hieronymo Evangelium rogantibus Epiſcopis Aſianis ſcripſit contra Ebionitas Verbi divinitatem negantes. Sic autem exorditur. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* His verbis refellitur duplex Ebionitarum & Socinianorum error. Primus, quod Verbum non ſit Deus. Secundus, quod cœperit in Mariâ Virgine. Poſteriorem præſertim impugnat Evangeliſta; addit enim, *hoc*

erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt, nihil, quod factum eſt, hoc eſt, ex his quæ facta ſunt. Ergo ipſum non eſt factum, ſed ante omnia creata exiſtit, utpote eorum cauſa & principium. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit ... & Verbum caro factum eſt.* Erat ergo antequam carnem aſſumeret.

Hoc fulgure everſos Adverſarios declarat miſera eorum reſponſio; aiunt enim hanc hiſtoricam narrationem eſſe prorſus metaphoricam, & ſic intelligendam: in principio Evangelicæ prædicationis Verbum, ante annos triginta natum, erat apud Deum; tum quia ipſi ſoli notum, tum quia conſentione voluntatis conjunctum, & propter eximias dotes erat Deus, non propriè ſed metaphoricè, ut colligitur ex textu originali, in quo Θεὸς, latinè, *Deus*, legitur cum articulo, ὁ Θεὸς, ubi ſermo eſt de vero Deo, apud quem erat verbum; quia apud Græcos articulus ille uſurpatur ad quandam Emphaſim, & auctoritatem ſignificat; omittitur verò cum aptatur Verbo. *Omnia per ipſum facta ſunt, quæ* ſcilicet pertinent ad legem Evangelicam, & generis humani reparationem. *In mundo erat* propriè dicto, *& mundus per ipſum factum eſt*, nempe mundus ſpiritualis, novus homo, *& mundus eum non cognovit*, id eſt, mundus in maligno poſitus. *Et verbum caro factum eſt*, hoc ſenſu, quòd homo tam excellens, infirmus apparuit, & carnis paſſiones ſuſtinuit. Quæ abſurda expoſitio ſatis per ſe refellitur; nam ſi liceret omnia verba à proprio eorum ſenſu ad allegorias transferre, non eſſent conceptuum ſigna determinata, fruſtra ſcriberent homines, nec ſubſcriptionibus ſuis adigi poſſent ad implenda promiſſa. Quàm autem falſum ſit apud Græcos ar-

ticulum ſemper præmitti quoties verus Deus nominatur, nunquam verò ubi nomen illud metaphoricè tribuitur creaturis, patet ex innumeris Scripturæ locis, verſ. 13. ejuſdem capitis, & v. 18. Deus ſummus legitur ſine articulo, ſicut & Matth. cap 14. verſ. 33. & 1. Cor. 8. v. 4. & 6. & contrà Chriſtus cum articulo dicitur Deus Rom. 9. ut obſervat S. Chryſoſtomus Hom. 3. in Joan.. Imò & falſi gentium Dii, ad Gal. 4. v. 8. Act. 7. v. 43.

Idem Evangeliſta cap. 20. teſtimonium refert alterius Apoſtoli, nempe ſancti Thomæ, qui palpando Chriſti redivivi vulnera illum confeſſus eſt Deum ſuum & Dominum: *Reſpondit Thomas*, inquit, *& dixit, Dominus meus & Deus meus.*

Reponunt Sociniani, hæc verba non dirigi ad Chriſtum, ſed ad Deum quaſi præ admiratione exclamaſſet Apoſtolus, ô Domine mi!

Sed contrà, 1°. ipſe contextus non patitur hanc explicationem; Apoſtolus enim reſpondet Chriſto dicenti, *noli eſſe incredulus, ſed fidelis*, emittitque ſinceram confeſſionem, quàm Chriſtus approbat ſubjiciens, *quia vidiſtis … credidiſti*: 2°. textus Græcus & originalis excludit talem interpretationem; nam in eò non legitur Deus in vocativo, ſed in nominativo, ὁ κύριός μȣ, ὁ Θεός μȣ.

Denique in primâ epiſtolâ, quæ tota eſt ad probandum contra Ebionitas Chriſtum verè eſſe Deum & hominem, ſic habet Evangeliſta cap. 5. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Summus Deus non potuit clariùs exprimi.

Reſpondent Sociniani pronomen, *hic*, referendum ad Patrem, non ad Filium.

Contra 1°. pronomen illud eſt demonſtrativum rei præſentis, non remotæ. 2°. etiamſi aliquando poſſit inferri ad perſonam mediatè antecedentem, ut Act. 7. verſ. 19. contextus Apoſtoli non patitur eo loci ad Patrem inferri; quia jam Apoſtolus eum appellavit Deum verum, ſenſuſque eſſet negatorius, Pater Deus verus eſt Deus verus. Denique repetitio illa non poteſt eſſe ad mentem Apoſtoli: quia non intendit probare Patrem eſſe verum Deum, cùm nullus id in dubium revocaret: ſed propoſitum ejus eſt aſſerere contra Ebionitas, Filium Dei eſſe verum Deum, quod luculenter hîc exequitur.

Secundum Teſtimonium profertur ex ſcriptis Beati Pauli.

Primò, Apoſtolus cap. 1. epiſt. ad Hebr. ea omnia Chriſto tribuit, quæ ſunt veri Dei propria. Ibi eſt ex Patre genitus tanquam *ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus*, quæ ſunt encomia Sapientiæ increatæ, Sap. 7. verſ. 26. 2. portare omnia verbo virtutis ſuæ, ſedere à dextris Dei, ab Angelis adorandus. Illi in miniſterium mittuntur, ad hunc verò dicitur, *Thronus tuus, Deus in ſeculum ſeculi*: Et, *tu in principio, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.. velut amictum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es.* Si creatura his titulis repræſentatur, nulla ſuppetunt determinata verba ad deſignandum ens increatum, à quo cuncta ſunt creata. Mutanda eſt fidei noſtræ profeſſio, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & creatorem cœli & terræ*; nam ſecundùm Socinianos verbis concipitur, quæ puro homini adoptari poſſunt.

Secundo, Rom. 9. ſic ſcribit idem Apoſtolus de Chriſto diſſerens, *ex quibus* (Patriarchis) *eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Amen.* Hic nihil eorum deſi-

deratur, quæ Sociniani volunt eſſe neceſſaria ad denotandum verum Deum. 1°. dum dicit Apoſtolus Chriſtum ex Judæis oriundum, cum hâc reſtrictione, *ſecundùm carnem*, ſignificat in eo aliam eſſe naturam, quàm humanam. 2°. nomini Dei præmittit articulum. 3°. cetera, quæ ſubjiciuntur, ad emphaſim pertinent, & Dei æternitatem tangunt, *Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula.* 2. Cor. 11.

Non diffitentur Sociniani, ſed ut vim hujus teſtimonii declinent, cum Eraſmo comminiſcuntur poſt has voces, *ſecundùm carnem*, fingendum eſſe punctum, ut ſenſus ſit, ille qui eſt ſuper omnia Deus, ſit benedictus. Deinde delendùm eſſe illud nomen, *Deus*, in hypotheſi quòd punctum non figatur, ut non figit vulgata, tum quia non extat in verſione Syriacâ: tum quia non eum legunt SS. Cyprianus, & Hilarius.

Reſpondeo ad primum; in textu originali hæ voces, *qui eſt*, enuntiantur in participio, exiſtens ſuper omnia Deus, ac proinde neceſſariò conjunguntur cum antecedentibus; ita omnes Patres Græci & Latini, ac præſertim ſanctus Cyprianus tertio teſtimonio contra Judæos, & ſanctus Hilarius lib. 8. & 13. de Trinitate, quos Sociniani falsò appellant. Unde patet reſponſio ad ſecundum, cùm omnes à tempore Apoſtolorum uſque ad Eraſmum nomen Dei legerint.

Tertiò, in epiſt. ad Philipp. capite 2. ita de Chriſto teſtatur Apoſtolus, *qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, hoc eſt, rem alienam non uſurpavit dum æqualem Deo ſe fecit, *ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque,* &c. Hæc ſanè non ſcripſit fidelis

Chriſti teſtis, ut probaret Judæos falsò dixiſſe Chriſtum ſe æqualem Deo feciſſe; ſed ut evinceret in eo non fuiſſe blaſphemum, utpote qui non rapuiſſet honorem indebitum. Quid Sociniani ad tam clarum teſtimonium?

Reſpondent hunc eſſe ſenſum verborum, cùm Chriſtus initio prædicationis aliquid divinum præ ſe ferret, propter eximias dotes & miracula, mordicus non retinuit illam divinam ſpeciem & formam, vel juxta veteres Arianos apud ſanctum Chryſoſtomum homil. *6.* in epiſt. ad Philip. & ſanctum Auguſtinum lib. 3. contra Maxim. cap. 5. non duxit ambiendam æqualitatem cùm Deo, ſed exinanivit ſemetipſum, quatenus & occultatâ divinâ illâ ſpecie apparuit homo infirmus, contumelias & alias Judæorum perſecutiones ſuſtinens uſque ad mortem.

Sed contra, Chriſtus formam ſervi accepit, eo ipſo, quo naturam creatam, nempe humanam aſſumpſit; dependentia enim & ſervitus eſſentialis eſt naturæ creatæ: atqui ex Apoſtolo erat in formâ Dei, antequam eſſet in formâ ſervi, & carnem aſſumeret ex B. Virgine; eſſe autem in formâ Dei, eſt habere naturam divinam, ſicut eſſe in formâ hominis eſt habere naturam humanam: ergo priùs habuit naturam divinam, quàm humanam; & ita priùs fuit Deus, quàm homo. Deinde non magis diceretur ſe exinaniviſſe accipiendo formam ſervi, hoc eſt, naturam humanam, quàm cùm alii homines generantur, ſi à non eſſe ſimpliciter ad eſſe tranſiiſſet, imò generatio illa tot donis illuſtrata, fuiſſet vera exaltatio. Hinc corruit veterum Arianorum interpretatio; namque Chriſtus in formâ ſeu naturâ Dei exiſtens, non potuit arbitrari ſe rapinæ & injuſtitiæ reum fore, ſi æqualem ſe Deo faceret. Addo & in eorum falsâ hypotheſi,

potheſi, quòd forma Dei non ſignificet naturam Dei, ſicut forma ſervi naturam humanam exprimit; non eſſet materia eximiæ laudis, quâ Apoſtolus Chriſtum exornat, ſi ipſe creatura exiſtens, ſe non feciſſet Deo æqualem, ut advertit ſanctus Chryſoſtomus. Sociniani verò in ſuâ explicatione recedunt, primò à ſcripturæ litterâ, & propriâ verborum ſignificatione, apud quam enim nationem hæ voces, *non arbitratus eſt ſe rapinam facere*, hunc habent ſenſum, *mordicus non tenuit quod ipſi fuerat conceſſum.* Recedunt etiam à veritate Hiſtoriæ; conſtat enim ex Evangelio Chriſtum Dominum priùs extitiſſe in formâ externâ ſervi, quàm in formâ Dei externâ. Natus eſt infans, ex paupere matre in præſepio, infirmus, & pannis involutus, ſicut ceteri homines. Crevit ſubditus parentibus, grandior factus fabrilia opera exercuit; nulla in his omnibus exterior ſpecies divinitatis, omnia ſervitutem & infirmitatem ſpirant. A trigeſimo ætatis anno prædicationis munus ſuſcepit, extunc ſic miraculis coruſcavit uſque ad vitæ extremum, & in horto, in quo comprehenſus eſt, & in cruce dum expiravit, ut ubique formam externam divinitatis ſimul cum formâ ſervi conjunxerit, divina faciens in miraculis; & humana patiens in contumeliis, perſecutionibus, etiam ab initio prædicationis.

Objiciunt Sociniani illud 1. Cor. 15. verſ. 25. & 28. ubi Apoſtolus de Chriſto ait, *oportet... illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.... Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Ergo Chriſtus dicitur Deus ratione adminiſtrationis tantùm, quâ peractâ ſolus verus Deus regnabit, & Chriſtus cum reliquis creaturis ſubditus erit.

Diſtingo anteced. ipſe Filius ſubjectus erit ut caput hominum & unum cum iis corpus myſticum efficiens, Concedo: ut perſona ſingularis, Nego anteced. Nam regnum ejus dicitur æternum fore, Dan. 2. & 7. Michææ 4 Luc. 1. 1. Petri 4. v. 11. Itaque Chriſti regnum definet ſolùm quatenus conſiſtit in debellandis hoſtibus, roborandis fidelibus, & perducendis ad eam cum Deo unitatem, quam ipſis adprecatus eſt, Joan. 17. quâ adeptâ, Deus erit omnia in omnibus, ſolus in iis aſpicietur operans, ſolus amabitur, & cetera in ipſo, & propter ipſum.

Cùm Eccleſia à ſpiritu ſancto regatur, dicente Domino, Joan. 14. *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*, ad teſtimonium Spiritûs ſancti pertinet traditio, quæ à temporibus Apoſtolorum tam conſtans eſt in aſſerenda Filii divinitate, ut mirum videatur, nè dicam temerarium, quomodo etiam è Catholicis magni nominis viri aſſeruerint pleroſque Patres Concilio Niceno antiquiores hoc præcipiuum Religionis Chriſtianæ dogma non tenuiſſe.

Quòd autem Patres communiter, & conſtanter uſque ad Concilium Nicænum anno 325. celebratum, docuerint Filium eſſe Patri conſubſtantialem, licèt aliquando verbis obſcurioribus & minùs exquiſitis, ut contingit, iis, qui ante ortas hæreſes ſcripsêre.

Probatur 1°. generatim ex illâ fidei noſtræ regulâ à primis ſeculis obſervatâ, & à Concilio Tridentino ſeſſ. 4. commendatâ, & præſcriptâ his verbis, *Nemo ... ſacram Scripturam ... contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia ... aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ... interpretari audeat.* Hàc regulâ docet Tertullianus, lib. de præſcrip. cap. 17. præſcriben-

dum adversùs omnem hæreſim. Verba ejus noſcent Sociniani, *quoniam*, inquit, *proficiat nihil congreſſio Scripturarum, niſi planè ut aut ſtomachi quis ineat everſionem, aut cerebri. Iſta hæreſis non recipit quaſdam Scripturas, & ſi quas recipit, adjectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit: & ſi recipit, non recipit integras: & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit. Tantùm veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum corruptor ſtylus*: concluditque ex Traditione revincendos omnes hæreticos. Quomodo autem eâ revincentur, ſi in Epiſcopis & aliis Scriptoribus primorum ſeculorum defecerit?

Probatur 2° ſi Patres aliud de Filio, quàm Apoſtoli, ſcripsêre, id contigiſſe neceſſe eſt, vel 1°. ſeculo, vel 2°. vel 3°. nam unanimis omnium conſenſus pro aſſerendâ Filii divinitate emicuit initio quarti ſeculi, ut mox dicturi ſumus: atqui hæc mutatio in nullo ex tribus primis ſeculis contingere potuit: Ergo.

Quoad primum ſeculum, probatur ratiocinio ejuſdem Tertulliani, actoris ſecundi & tertii ſeculi, citato opere cap. 26. 27. & 28. nempe Apoſtoli, qui primum ſeculum illuſtrarunt, maximè ſanctus Joannes, qui nonniſi ineunte 2°. ſeculo è vitâ demigravit, ut teſtatur ſanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, plenitudinem ſcientiæ à Domino acceperunt, *ne unam, id eſt, unum verbum ſine fructu in abdito reſervarunt*, tum ſubdit, *ſi ergo incredibile eſt, vel ignoraſſe Apoſtolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidiſſe, videamus ne fortè Apoſtoli quidem ſimpliciter & plenè, Eccleſiæ autem ſuo vitio aliter acceperint, quàm Apoſtoli proferebant.* Hoc poſterius adverſarii præſumere videntur, ſed quàm abſurda ſit illa præſumptio ſic oſtendit

idem auctor. *Age nunc : omnes erraverint , deceptus ſit & Apoſtolus de teſtimonio reddendo quibuſdam* (ſcilicet Epheſiis cap. 1. verſ. 15. & Philippenſibus cap. 1. verſ. 4. & 5.) *nullam reſpexerit Spiritus ſanctus , uti eam in veritatem deduceret , ad hoc miſſus à Chriſto , ad hoc poſtulatus à Patre , ut eſſet Doctor veritatis , neglexerit officium Dei villicus ; Chriſti vicarius , ſinens Eccleſias aliter interim intelligere , aliter credere , quàm ipſe per Apoſtolos prædicabat* , &c.

Quoad ſecundum ſeculum evincitur verbi conſubſtantialitatem tum fuiſſe cognitam & annuntiatam , maximè ex eo quòd Apoſtoli eam ſuos diſcipulos docuerint , ut ſanctum Polycarpum ſancti Joannis auditorem , ſanctum Irenæum Polycarpi diſcipulum Lugdunenſem Epiſcopum , & martyrio coronatum tertio ineunte ſeculo.

Sanctus Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ tertius poſt Petrum Apoſtolum Epiſcopus , Romæ ſanguine ſuo confirmavit quod in Oriente & in Occidente docuerat , filium eſſe Deum æternum , ut patet ex ejus epiſtolâ ad Epheſios : *Ignatius* , inquit , *qui & Theophorus electæ per voluntatem Patris , Jeſu-Chriſti Dei noſtri Eccleſiæ , quæ eſt Epheſi , ſalutem.* Et poſt pauca , *Medicus unus eſt carnalis & ſpiritualis , factus & non factus , in homine exiſtens Deus , in morte vita vera , & ex Mariâ , & ex Deo.* Et in Epiſtola ad Magneſianos Chriſtus dicitur Patris verbum æternum.

Sanctus Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus , in Epiſtolâ ad Philippenſes , commendat eis Epiſtolas S. Ignatii : ergo erat ejuſdem cum eo ſententiæ circa Filii divinitatem.

S. Juſtinus Martyr , qui ex Oriente Romam veniens circa annum 150. ibi Scholam inſtituit , docuitque in Apologiâ primâ , quæ verè eſt ſecunda , Patrem & Filium eſſe ante omnia , &

per eos facta omnia. Tum diluens Gentilium calumniam, quâ Chriſtianos dicebant atheos; ſic reſpondet: *non veriſſimi Dei ſumus expertes, verum hunc ipſum & qui ab eo venit... Filium & Spiritum ſanctum colimus & adoramus.* Et in Dialogo cum Tryphone ſuadet non eſſe rem incredibilem, quòd Chriſtus ſit Deus ante omnia ſecula exiſtens; & poſtea carnem aſſumpſerit, tum exemplo ignis, ex quo alius ignis accenditur, probat contra Hæreticos Verbum eſſe Patri conſubſtantiale, & hypoſtaſi diſtinctum. Quo exemplo etiam utitur Tatianus ſancti Juſtini diſcipulus, ſed novæ hæreſeos parens, in Oratione ad Græcos. Et in Epiſtolâ ad Diognetum, ſive ſit Juſtini, ut omnes eruditi agnoſcunt, ſive alterius antiquioris, explicat quomodo Filius non ſit minor Patre, licèt ab eo miſſus: *Ipſe omnipotens Deus*, inquit, *è cœlis Verbum inter homines locavit, non quemadmodum aliquis conjicere poſſit, miſſo aliquo miniſtro, ſive Angelo, ſed ipſo opifice & creatore omnium, quo cœlos condidit.*

Athenagoras ſancto Juſtino conjungendus eſt; hic enim Chriſtianorum cauſam agens, iiſdem temporibus, quibus & Juſtinus egregiam Apologiam obtulit ipſis Imperatoribus, Marco Aurelio, & filio ejus Commodo. In eâ autem ſic loquitur, *Quis igitur non miretur nos, qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum-ſanctum, ita ut unionis eorum vim, & ordinis diſtinctionem exponamus, impios & ſine Deo homines vocari?* Ne verò hâc diſtinctione perſonarum videretur ſolvi monarchia, & dividi ſuprema poteſtas, exemplum producit duorum Imperatorum patris & filii, qui non partiuntur Imperium Romanum, ſed conjunctim regunt, ſubſiſtente Monarchiâ, quam tamen Commodus habet à patre Marco Aurelio.

Ex his teſtimoniis, in quibus habetur Filius Patri coæternus, omnium rerum Conditor, ejuſdem naturæ & poteſtatis cum Patre, quamvis hypoſtaſi diſtinctus, ſimul cum illo adorandus, ſolvi poſſunt alii ſancti Juſtini textus, alioquin difficillimi in Apol. 2a. & in Dialogo cum Tryphone, ubi ſcribit Filium Dei 1o. proximam poſt Deum eſſe poteſtatem, quod dictum intellige ad diſtinguendas perſonas, in quarum ordine Pater primum tenet locum, quia eſt principium Filii. 2o. fuiſſe Patris miniſtrum in creatione mundi, miniſtrum, inquam ego, ſine dependentiâ ut colligitur ex ejus verbis laudatis, 3o. de Patris voluntate eſſe Deum, id eſt, ex naturali Patris inclinatione; quia non illo invito tanquam extraneus regnat, quaſi imperium dividens. Quomodo enim ex libero Patris arbitrio penderet, qui habet eandem cum Patre naturam maximè neceſſariam, quemadmodum Juſtinus probat exemplo ignis alium ignem ex naturali inclinatione producentis? 4o. Patrem eſſe omnium ſinpliciter Dominum, adeoque ipſius Chriſti, mandata ei dediſſe. Nam præmiſſi textus interpretari cogunt Patrem, quatenus eſt principium Filii, eſſe ejus Dominum impropriè dictum, non verò propriè, quemadmodum eſt Dominus Angelorum, à quibus beatus Martyr illum expreſsè diſtinguit: impropriè ergo mandata ei dedit eo ipſo quo miſit. Ita explicant has loquendi formulas, iiſque utuntur Patres Concilio Nicæno poſteriores, & conſubſtantialitatis Filii acerrimi vindices. Sanctus Hilarius lib. 4. & 5. de Trin. ſanctus Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 7. ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 36 & ante Concilium Nicænum Patres Antiocheni contra Paulum Samoſatenum tertio ſeculo, qui hæc duo

teſtantur, & Patrem Filio præcepiſſe, & Filium eſſe Patri æqualem. Quin & ipſe Juſtinus hanc diſtinctionem ſubminiſtrat in eodem Dialogo, ubi expendens illa verba Geneſeos: *Pluit Dominus ignem à Domino*, ſic habet: *duos propheticus ſermo numero eſſe indicat, alterum in terris, quem deſcendiſſe ad clamorem Sodomorum inſpiciendum: alterum in cœlis, qui etiam Dominus eſt Domini in terrâ apparentis, nempe quatenus ejus Pater & Deus eſt* (nota, Dominus eſt Filii quatenus Pater) *atque auctor ipſi, ut ſit & quidem præponens, & Dominus Deus ſit.*

Dices: ſanctus Juſtinus in eodem Dialogo docet Patrem eſſe inviſibilem, immenſum, nec proinde poſſe deſcendere, aut loco moveri, cùm ſit ubique præſens. Unde concludit non ipſum, ſed Verbum ejus deſcendiſſe, & apparuiſſe Adamo in Paradiſo terreſtri; & Prophetis in lege, tum naturæ, tum ſcriptâ. Quam ſententiam deinceps amplexi ſunt communiter alii Patres, ut ſuprà monuimus. Ergo ſanctus Juſtinus cenſuit Filium non eſſe Patri conſubſtantialem.

Diſtinguo: Verbum apparuiſſe & deſcendiſſe in effectibus, & in formâ aſſumptâ, ſive permanente, nempe in natura humana, ſive tranſitoriâ, v. g. in ſpecie ignis, venti, &c. Conc. in propriâ ſubſtantiâ, Nego antec. Inſtitutum ſancti Juſtini eſt probare, Patrem & Filium non diſtingui ſolo nomine, ſed etiam hypoſtaſi; & in argumentum adducit quod legitur in Scripturâ, *Deum nemo vidit unquam*, &, *apparuit Dominus Abrahæ in convalle Maubre*; quæ cùm in unam & eandem perſonam cadere non poſſint, concludit Patrem, qui nunquam legitur miſſus, eſſe inviſibilem, & à nemine viſum; Filium verò deſcendiſſe & apparuiſſe in effectu exteriori, ſeu in illâ ſpecie, in quâ ſiſtebatur ſenſibiliter præſens, non verò in illâ naturâ,

quam Pater illi communicat, quemadmodum ignis accendens naturam ſuam tribuit igni accenſo. His rationibus diligenter notandis ſatiſfit pluribus textibus Patrum, qui poſt ſanctum Juſtinum contra Sabellianos ſcripſerunt iiſdem ferè verbis & rationibus.

Sanctus Irenæus in Scholâ ſancti Polycarpi auditoris Joannis Evangeliſtæ inſtitutus, & Epiſcopus Lugduni, ubi martyr occubuit initio tertii ſeculi, ceteris prolixiùs contra Hæreticos Verbi divinitatem demonſtrat: lib. 2. cap. 18. contra Gnoſticos, definit eſſe æternum, & Deum. Cap. 43. contra Valentinianos idem præſtat, *Non es infectus, ô homo*, inquit, *neque ſemper coëxiſtebas Deo, ſicut proprium ejus Verbum, ſed diſcis à Verbo diſpoſitiones Dei, qui te fecit*. Et cap. 55. *unus Deus*, inquit, *qui fecit omnia per ſemetipſum, hoc eſt Verbum & ſapientiam ſuam. ſemper coëxiſtens Patri Filius*. Hîc Verbum unus eſt cum Patre Deus, & perſonâ diſtinctum. Lib. 3. cap. 8. *Manifeſtum eſt quoniam nunquam Prophetæ, neque Apoſtoli alium Deum nominaverunt, & Dominum appellaverunt, præter verum ac ſolum Deum... Sed nec quidquam ex his, quæ conſtituta ſunt, & in ſubjectione ſunt, comparabitur Verbo Dei, per quod facta ſunt omnia, qui eſt Deus noſter ſolus Chriſtus*. Quod argumentum ſanctus Doctor fuſiùs proſequitur toto capite. Lib. 4. cap. 8. dicit in Deo nihil non immenſum, Patrem menſurari in Filio, *quoniam*, inquit, *& capit eum*. Cap. 11. Filius in rubo locutus eſt Moyſi: de eodem ſubjicit beatus martyr, *per hæc itaque manifeſtum fecit quoniam is, qui de rubo locutus eſt Moyſi, & manifeſtavit de ſe eſſe Deum Patrum, hic eſt viventium Deus. Quis enim eſt vivorum Deus, niſi qui eſt ſuper omnia Deus, & ſuper quem non eſt alius Deus?* Catholici clariùs nunc non argumentantur contra Socinianos.

Sanctus Clemens Alexandrinus, Irenæo coævus, Magiſter Origenis, & Scholæ Alexandrinæ Præfectus, in exhortatione ad Gentes, aſſerit de Verbo, quòd fuerit à principio apud Deum, quòd per illum facta ſint omnia, & noviſſimè apparuerit Salvator. Et alloquens Gentes ſic habet, *crede homo, homini & Deo: crede homo ei qui paſſus eſt, & ei qui adoratur, Deo viventi; credite ſervi mortuo, credite omnes homines ei qui ſolus Deus eſt omnium hominum.* Hæc exhortatio non eſt hominis Sociani. Et infrà: *Verbum divinum eſt maniſeſtiſſimè verus Deus univerſorum, Domino exequatus... æternus hic eſt.* Prædagogi lib. 1. c. 6. de tribus Perſonis divinis ſic ſcribit: *unus quidem eſt univerſorum Pater; unum etiam eſt Verbum univerſorum; & Spiritus ſanctus unus, qui & ipſe eſt ubique.* Et cap. 8. latiùs probat omnia Patris attributa abſoluta Filio convenire, ſicque concludit; *veriſſimè itaque compertum eſt quòd qui univerſorum eſt Deus unus, ſolus ſit bonus, juſtus opifex, nempe Filius in Patre, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

Dices: S. Clemens lib. 4. 5. & 6. Stromatum hæc de Filio docet. 1o. quòd ſit ſapientia creata, facta, quæ ſub demonſtrationem cadit, non verò Pater. 2o. quòd naturâ & eſſentiâ à Patre diſtinguatur: Ergo.

Reſpondeo: licèt vox Græca, φύσις quâ utitur auctor, communiter ſignificet naturam, nonnunquam tamen uſurpatur pro perſonâ, ut conſtat ex epiſtolâ Alexandri Alexandrini apud Theodoretum lib. 1. cap. 4. Quòd autem ſanctus Clemens hanc vocem in eo ſenſu adhibeat, ſatis colligitur ex ejus verbis mox laudatis pro conſubſtantialitate Verbi, quod vocat ſapientiam creatam, factam, per quam Pater nobis annuntiatus eſt, utpote qui ſub demoſtrationem non cadat juxta illud, *Deum nemo vidit un-*

quam, ſed, *unigenitus... enarravit* nobis, Joan. 1. Nomen autem creationis ſumit in latiori ſignificatione pro productione; nam ipſemet ſe explicat citato lib. 6. *ſignificans*, inquit, *primogenitum Filium*.

Quoad tertium ſeculum, quod inchoant Tertulianus & Origenes, de quorum fide circa Verbi divinitatem nonnulli dubitant. Sed etſi liberaliter agentes daremus Adverſariis illos auctores malè de Verbo ſenſiſſe, propterea traditio non nutaret in hac parte. Nonne enim ex ſolâ traditione confirmata eſt baptiſmi ab hæreticis collati veritas contra SS. Cyprianum, Firmilianum & alios benemultos illam inficiantes? An fides, quæ, ex teſtimoniis Sanctorum Irenæi & Clementis Alexandrini, ubique fulgebat, cum ſeculo ſecundo ſtatim occubuit, veritaſque Evangelii laudatis Patribus adhæſit quemadmodum lux Soli, adeo ut illis recedentibus univerſus orbis ignorantiæ tenebris fuerit obvolutus? Superſtites reliquerunt diſcipulos, qui cùm vitam tertio ſeculo diutius protraxerint, illi transfuderunt quod à Magiſtris ſecundo ſeculo hauſerant; Sed tantùm abeſt, ut Tertullianum & Origenem dimittamus propter nonnulla duriora, quæ in eorum Scriptis leguntur; quin ex eorum teſtimoniis perſpicuis traditionem pro Verbi conſubſtantialitate confirmamus.

Tertullianus igitur, etſi in aliis graviter erraverit, contemnendumque ſit, juxta ſanctum Auguſtinum, quod ex ejus Scriptis profertur contra Doctrinam Eccleſiæ, attamen trium Perſonarum diſtinctionem, & naturæ unitatem contra Hæreticos fortiter vindicavit. Lib. contra Praxeam cap. 2. *nos*, inquit, *unicum quidem Deum credimus*, *ſub hâc tamen diſpenſatione*, *quam*

οἰκονομίαν *dicimus, ut unici Dei ſit & Filius ſermo ipſius, qui ex ipſo proceſſerit, per quem omnia facta ſunt... Hunc miſſum à Patre in Virginem, & ex eâ natum hominem & Deum... Hanc regulam ab initio Evangelii decurriſſe, etiam ante priores quoſque Hæreticos, nedum ante Praxeam heſternum, probabit tam ipſa poſteritas omnium Hæreticorum, quàm ipſa novellitas Praxeæ heſterni... quæ ſe exiſtimat meram veritatem poſſidere, dum unicum Deum non aliàs putat credendum, quàm ſi ipſum eundemque & Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum dicat,* (aſſerebant enim eſſe tantùm tria nomina, & unam perſonam) *quaſi non ſic quoque unus ſit omnia, dum ex uno omnia, per ſubſtantiæ ſcilicet unitatem: & nihilominus cuſtodiatur* οἰκονομίας *ſacramentum, quæ unitatem in Trinitatem diſponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Tres autem non ſtatu, ſed gradu* (ſcilicet originis) *nec ſubſtantiâ ſed formâ*, hoc eſt characteribus perſonalibus, *nec poteſtate, ſed ſpecie: unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatûs & unius poteſtatis; quia unus Deus, ex quo & gradus iſti, & forma, & ſpecies.* Certè Patres Nicæni divinitatem Verbi clariùs non definierunt. Cap. 4. *Filium*, inquit, *non aliunde deduco, ſed ex ſubſtantiâ Patris.* Cap. 8. *Prolatum dicimus à Patre Filium; non ſeparatum, protulit enim Deus Filium, ſicut radix fruticem, & fons fluvium, & ſol radium.* Et cap. 13. *Deos omninò non dicam, nec Dominos, ſed Apoſtolum ſequar, ut ſi pariter nominandi fuerint Pater & Filius, Deum patrem appellem, & Jeſum Chriſtum Dominum nominem. Solum autem Chriſtum potero Deum dicere, ſicut idem Apoſtolus, ex quibus Chriſtus, Deus ſuper omnia benedictus.* Ibi probat Patrem & Filium non duos Deos, ſed *unuſquiſque Deus*, ait. Legendum eſt integrum caput, ſicut & 17. ubi fusè probat omnia, quæ de Patre dicuntur, dici poſſe de Filio, qui de ſe ait, omnia Patris mea ſunt. *Cùm ergo legis Deum omnipotentem, & al*

tiſſimum, & Deum Virtutum, & Regem Iſraëlis, & qui eſt, vide ne per hæc Filius demonſtretur ſuo jure Deus omnipotens. Cap. 25. *Tres unum ſunt, non unus, quomodo dictum eſt unum ſumus; ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem.* Eadem proſequitur lib. de Reſurrectione carnis cap. 6. lib. 5. contra Marcionem cap. 6. lib. 4. cap. 25. ubi ait, Patrem omnia tradidiſſe Chriſto non minori ſe. Et Apologetici c. 21. Antiſtites Romanos, ſæviente Severi perſecutione, ſic alloquitur cauſam Chriſtianorum agens, *neceſſe eſt de Chriſto pauca, ut de Deo totum*... jam ediximus Deum univerſitatem hanc mundi verbo, & ratione, & virtute molitum: Apud univerſos quoque Sapientes λόγον, id eſt ſermonem, atque rationem conſtat artificem videri univerſitatis... per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam ſubſtantiam Spiritum inſcribimus, hunc ex Deo prolatum didicimus; & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ; nam & Deus Spiritus... ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine accenſum... ita & quod de Deo profectum eſt, Deus eſt, & Dei Filius, & unus ambo. Ita de Spiritu Spiritus: & de Deo Deus modulo alterum numerum gradu, non ſtatu, fecit, & à matrice divinitatis non receſſit, ſed exceſſit.*

Advertes Chriſtum Dominum hîc à Tertulliano tribus nominibus inſigniri, ſcilicet Spiritûs, rationis, & ſermonis, ſicut & cap. 1. de Oratione. *Dei Spiritus*, inquit, *& Dei ſermo, & Dei ratio, utrumque Jeſus-Chriſtus.* Secundùm autem Theologiam Tertulliani, & aliorum ex veteribus, ut Athenagoræ, Tatiani locis citatis, illud intereſt inter illa nomina, quòd ratio ſeu ſenſus & Spiritus deſignent perſonam in ſe ſpectatam; ſermo verò & ſynonima apud Tertullianum frequentia, Verbum, ſophia ſeu ſapientia, & filius ſignificent exteriorem rationis ſive ſenſûs & Spiritûs

prolationem, eo ferè modo, quo apud homines ſermo dicitur, cùm ex ore loquentis ad aures aliorum cogitatio progreditur, *ex te ipſo recognoſce*, inquit lib. contra Praxeam cap. 5. *ut ex imagine & ſimilitudine Dei de quo habeas in te ipſo rationem... quodcunque cogitaveris, ſermo eſt, quodcunque ſenſeris, ratio eſt... Ita ſecundus quodammodo in te eſt ſermo.*

Jam verò non ſolùm apud Tertulianum, ſed etiam apud veteres familiare eſt Deum ſermonem, ſeu verbum, & ſapientiam primò protuliſſe, cùm mundum molitus eſt, Filium genuiſſe cùm univerſa condidit. Sic enim loquitur cap. 6. & ſequentibus contra Praxeam. *Hæc vis, & hæc divini ſenſûs diſpoſitio apud Scripturas etiam in ſophiæ nomine oſtenditur. Quid enim ſapientius ratione Dei ſive ſermone? Itaque Sophiam quoque exaudi, ut ſecundam perſonam conditam.* Primò: Dominus creavit me initium viarum ſuarum in opera ſua, priuſquam terram faceret (*Proverb.* 8.)... *Dehinc aſſiſtentem eam ipsâ ſeparatione cognoſce*, cùm pararet cœlum, aderam illi ſimul... *tunc igitur etiam ipſe ſermo ſpeciem & ornatum ſuum ſumit, ſonum & vocem, cùm dicit Deus, fiat lux. Hæc eſt nativitas perfecta ſermonis, dum ex Deo procedit. Conditus ab eo primùm ad cogitatum in nomine ſophiæ.* Dominus condidit me initium viarum. *Dehinc generatus ad effectum... Exinde eum parem ſibi faciens, de quo procedendo Filius factus eſt, primogenitus, ut ante omnia genitus, & unigenitus, ut ſolus ex Deo genitus, propriè de vulvâ cordis ipſius.* Ne autem ſermo videretur mera vox & ſonus oris, ſubdit, *at ego nihil dico de Deo inane & vacuum prodire potuiſſe, ut non de inani & vacuo prolatum; nec carere ſuſtantiâ, quod de tantâ ſubſtantiâ proceſſit, & tantas ſubſtantias fecit... Quæcumque ergo ſubſtantia ſermonis fuit, illam dico perſonam, illi nomen Filii vindico; & dum Filium agnoſco, ſecundum à Patre defendo.*

Nec meritis, Tertulianum generationem vocare primam illam ſecundæ perſonæ manifeſtationem, cùm & Eccleſia incarnationi Domini, & Apoſtolus ejus reſurrectioni applicent illa Pſalmi verba, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Quòd autem præter illam generationem externam, quæ facta eſt initio ſeculorum, agnoſcenda ſit altera, interna & æterna, Tertullianus in toto illo opere contra Praxeam ſæpiùs inculcat. *Ante omnia*, inquit cap. 5. *Deus erat ſolus... Solus autem, quia nihil aliud extrinſecus præter illum. Ceterùm ne tunc quidem ſolus; habebat enim ſecum quam habebat in ſemetipſo rationem ſuam ſcilicet. Rationalis enim Deus... quæ ratio ſenſus ipſius eſt, hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo ſermonem appellamus. Ideoque jam in uſu eſt noſtrorum per ſimplicitatem interpretationis ſermonem dicere in primordio apud Deum fuiſſe*, (nota non omnes iſtum diſtinguendi modum obſervaſſe, ſicut Tertullianum) *cùm magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non ſermonalis à principio, ſed rationalis Deus etiam ante principium.*

Nec dicas æternam illam rationem non eſſe perſonam diſtinctam, ſed attributum eſſentiale ſicut & omnipotentiam.

Nam Tertulianus inde probat contra Praxeam perſonarum diſtinctionem, docetque Deum ante mundi conſtitutionem ſolum fuiſſe aliquo ſenſu: quia nullæ erant creaturæ; ſed abſolutè non fuiſſe ſolum; quia apud eum erat ratio, quaſi in vulvâ & in utero concepta, ſed nondum perfectè nata; unde ſic concludit: *Poſſum itaque non temerè præſtruxiſſe, & tunc Deum ante univerſitatis conſtitutionem ſolum non fuiſſe, habentem in ſemetipſo proinde rationem, & in ratione ſermonem.* Quia ut ipſe explicat cap. 8. *ſermo Spiritu ſtructus eſt, & ut ita dixerim, ſermonis corpus eſt Spiritus*; hoc eſt, ſermo eſt veluti accidens adjacens Spiritui,

qui æternus eſt, & à Patre indiviſus, quare ſubjicit, *ſermo ergo & in Patre ſemper* (ſcilicet ratione Spiritûs) *ſicut dicis*, ego in Patre; *& apud Deum ſemper ſicut ſcriptum eſt*, & ſermo erat apud Deum, *& nunquam ſeparatus à Patre, aut alius à Patre*, quia ego & Pater unum ſumus... *Protulit enim Deus ſermonem ... ſicut radix fruticem, & fons fluvium, & Sol radium ... nec dubitaverim filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluvium, & Solis radium; quia omnis origo parens eſt, & omne quod ex origine profertur, progenies eſt.*

His nominibus interpretandis aliquandiu immorari oportuit, quia illorum notio & diſtinctio eſt veluti clavis, quâ facilè aperiri poſſunt multa Patrum loca, aliàs clauſa, & difficilia, præſertim Tertulliani tum citato libro contra Praxeam, tum lib. contra Hermogenem definientem materiam eſſe æternam: quia Deus ab æterno Dominus eſt, quod dici non poſſet, niſi ab æterno haberet creaturam ſubditam. Reſpondet Tertullianus cap. 3. negando Deum fuiſſe Dominum, ſicut nec fuit ſemper Judex, nec Pater; *nam*, inquit, *nec Pater potuit eſſe ante Filium, nec Judex ante delictum; fuit autem tempus, cùm & delictum, & Filius non fuit ... Dominus tantùm futurus quandoque, ſicut Pater per Filium, ſicut Judex per delictum.* Non fuit, inquam, ſemper Pater; quia nec Filius ratione prolati ſermonis, juxta prædicta, non verò ratione Spiritûs, qui eſt veluti corpus, id eſt, ſubſtantia ſermonis: quia ante mundi conſtitutionem ratio erat in vulvâ cordis, & quaſi nondum nata, ſed concepta. Perfecta autem eſt ejus nativitas, cùm ex Deo procedit ſermo, adgeneratus ad effectum, quemadmodum ſupra retulimus ex cap. 7. contra Praxeam. Et cap. 11. *certè Filius Dei ſemper.*

Inſtabis: cap. 9. contra Praxeam, Pater dicitur major Filio.

Diſtingo major. gradu, ſeu origine, quia eſt principium Filii, Concedo: major ſtatu, ſeu ſubſtantiâ, aut naturâ, Nego, nam capite 5. jam laudato, Pater producendo Filium parem illum fecit; primogenitum, ut ante omnia genitum; unigenitum verò, quia ſolum ex Deo genitum: & cap. 2. *Tres autem non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſtantiâ, ſed formâ: nec poteſtate, ſed ſpecie: unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatûs, & unius poteſtatis; quia unus Deus.*

Inſtabis iterum: Tertulianus vocat Filium portionem Patris. *Pater*, inquit; *tota ſubſtantia eſt, Filius verò derivatio ejus & portio, ſicut ipſe profitetur*, quia Pater major me eſt. Ergo Filius non eſt Patri æqualis.

Diſtingo antecedens, Filius eſt derivatio & portio, quia ipſi non communicatur forma hypoſtatica Patris, Concedo: quia non communicatur tota ſubſtantia Patris, Nego antecedens. Hanc ipſe ſolutionem Tertulianus ſubminiſtrat; *aliam autem, quomodò accipere debeas*, inquit cap. 12. *jam profeſſus ſum perſonæ, non ſubſtantiæ nomine, ad diſtinctionem, non ad diviſionem. Ceterùm ubique teneo unam ſubſtantiam in tribus cohærentibus.*

Origenes Tertulliano coævus, vir quidem eruditionis immenſæ, ſed dubiæ admodum famæ quandiu vixit, adverſarios habuit Demetrium Epiſcopum Alexandrinum, & plures Ægypti Præſules, defenſores verò Alexandrinum Jeroſolymitatum, S. Firmilianum Cæſarienſem: & ex his quos habuerat diſcipulos, ſanctum Dionyſium Alexandrinum, & S. Gregorium Thaumaturgum. Poſt mortem quoque ſcripta ejus inſectati ſunt S. Methodius Martyr, Euſtathius Antiochenus, Theophylus Alexandrinus, ſancti Epiphanius & Hieronymus, tandemque ad ſedandos motus eorum cauſâ excitatos, proſcri-

pra ſunt in Concilio generali quinto, mediante ſexto ſeculo. Sed tanquam pura ab omni erroris labe circa myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis vindicarunt ſancti Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyſſenus, Didymus, Rufinus, & alii benè multi. Unde Socrates, lib. 6. hiſt. cap. 13. de accuſatoribus Origenis ſic ſcribit: *Ii certè cùm illum minimè reprehenderint tanquam de Trinitate malè ſentientem, rectæ ac ſinceræ pietatis teſtimonium ei prohibere manifeſtiſſimè convincuntur.* Qui ergo Origenem Arianorum parentem & fontem vocant, ut S. Epiphanius, & S. Thomas, id ratiocinando colligunt ex textibus durioribus quidem, ſed quos benignè explicare cogunt alii textus ita clari, ut obſcurari non poſſint. Cùm autem ex libris Origenis alii corrupti ſint ut Periarchon, alii dubiæ fidei, cùm eorum exemplaria Græca non extent, & ab Heterodoxis nonnulli Latinè ſint editi, nonniſi ex indubitatis, quale eſt opus contra Celſum, pauca ex multis teſtimonia proferemus.

Origenes itaque lib. 6. contra Celſum confitetur Chriſtum non eſſe factum: *neque enim*, inquit, *eum qui factus non eſt & naturæ omnis factæ eſt primogenitus, quiſquam pro dignitate poteſt noſſe, ſicut Pater ipſe, qui genuit.* Nullus Arianus aut Socinianus locum illum detorquere poteſt in pravum ſenſum; namque ens non factum eſt verus Deus. Eodem capite docet Deum ratione humanâ non poſſe comprehendi: *Sin autem de illâ* inquit, *quæ erat in principio, & erat apud Deum, & ipſa erat Deus, animus hâc Deum eſſe incomprehenſibilem.*

Libro tertio, objicienti Celſo, quòd Chriſtiani Jeſum mortalem & corporeum Deum crederent, reſpondet: *Sciant iſti criminatores hunc Jeſum, quem ab initio Deum, Deique Filium credimus, ipſum eſſe Verbum, ipſam veritatem, ipſam ſapientiam, ce-*

ceterùm mortale ejus corpus, & humanam in eo animam &c. Cùmque idem Celſus abſurdum diceret Deum deſcendiſſe & mutatum, Origenes libro quarto ſic explicat dogma Catholicum circa Incarnationem. *Satis reſponſum erit: ſi dixero quomodo in Scripturis accipiatur deſcenſus Dei ad homines, ad quem nullâ mutatione opus eſt... immutabilis enim in eſſentiâ ſuâ manens, condeſcendit infirmitatibus humanis. Nos certè è ſanctis Literis Deum immutabilem eſſe diſcimus.* Hæc certè nonniſi de vero Deo, quem Sociniani confitentur, dici poſſunt. De illo tamen ſubjicit Origenes: *id etiam quod ad homines condeſcendit, in formâ Dei ſubſtitit, & propter amorem generis humani ſeipſum exinanivit abſque ullâ mutatione. Quod ſi Verbum Deus immortalis, quia corpus mortale animamque humanam aſſumpſerit, Celſo idcirco immutari videatur, diſcat Verbum manere Verbum ſuâ ſubſtantiâ, nec pati eorum quidquam, quæ corpus & anima patitur, conde cendere tamen interdum non valentibus ejus claritatem & ſplendorem divinitatis intueri, ac veluti carnem factum loqui corporaliter.* Eodem libro tertio refellit Celſum conquerentem, quòd Chriſtiani Solem & Lunam, ut ceteri homines, non adorarent, *non decebat*, inquit, *eos qui didicerant generosè omnem creaturam tranſcendere, contendebantque ſtudiis ferventibus ad immarceſcibilem illam Sapientiam quæ æternæ lucis ſpendor eſt, obſtupeſcere ad Solis, Lunæ, Stellarumque lumen ſenſibilem... non autem quòd contemnamus tam egregia Dei opera, ſed quòd agnoſcamus Dei & Filii ejus unigeniti præcellentem divinitatem*, quam ibidem dicit à Chriſtianis *adorari*. Cùmque Celſus inferret Chriſtianos plures Deos adorare; revincit illum Origenes, affirmans lib. 8. unum Deum Patrem & Filium, nos colere.

Objiciunt Adverſarii plures Origenis textus, in quibus diſertè negat Filium eſſe verum Deum

Patri conſubſtantialem, 1°. libro 8. contra Celſum docet eſſe unum cum Patre conſenſu voluntatis, ſed eſſentiâ diverſum. 2°. lib. 5. *annon juſtius*, inquit, *Sol diceret ſuis adoratoribus, quid me adoras, quàm Filius? quid me dicis bonum:* Ubi vult nec adorationem Solis convenire, nec ſupremam bonitatem Chriſto Domino. 3°. Tomo 2. in Joan. notat in Scripturis multos dici Deos, alium verum, non factum, & hunc denotari articulo αὐτοθέος ipſe Deus: ceteros verò factos, ut Verbum, & alias præcellentes creaturas vocari deos ſine articulo.

Reſpondo ad ſingula.

Ad primum, etſi dicat Origenes Patrem & Filium eſſe unum concordiâ voluntatis, quod verum eſt, non negat eſſe unum eſſentiâ & naturâ, cùm ſuprà aſſeruerit contra Celſum eſſe unam utriuſque divinitatem, ſed diviſam hypoſtaſim.

Nec dicas Origenem eo loci per hypoſtaſim ſignificare naturam, quæ ex ſancto Hieronimo ab omnibus Græcis dicebant hypoſtaſis. Unde Patres Sardicenſes contra Arianos negant in Deo eſſe duas hypoſtaſes, id eſt, naturas.

Namque licèt nomen hypoſtaſis nonniſi quarto ſeculo poſt Concilium Sardicenſe conſecratum ſit ad ſignificandam perſonam, attamen Origenis ætate exprimebat & eſſentiam & perſonam, ut conſtat ex ſancto Dionyſio Alexandrino Origenis diſcipulo, qui in concluſione ad quartam quæſtionem Pauli Samoſateni ait, *quæ hypoſtaſes*, (ſcilicet Patris & Filii) *inſeparabiles ſunt*. Et ex S. Hyppolito antiquiore, qui docet carnem Chriſti in Verbo habere hypoſtaſim. Quòd autem Origenes in hoc ſenſu hypoſtaſim acceperit, ex eo facilè probatur, quòd contra Noëtianos contendentes unam & eandem perſonam

nominari Patrem, Filium, & Spiritum-ſanctum, aſſerat Filium hypoſtaſi diſtingui.

Ad ſecundùm, & tertium, vult ſolùm Origenes Patrem eſſe à ſe, ſeu Deum per ſe; quia non eſt ab alio, ſicut Filius & creaturæ, ideoque Filium ad illum referre bonitatem, à quâ cuncta fluunt, tanquam à fonte & principio: quo ſenſu Origenes; ſicut Tertulianus ſuprà, dicit Patrem Filio majorem, gradu ſcilicet & origine, non verò ſtatu & naturâ: Filium factum, ſed non ex nihilo, ſicut creaturas; nam ſuprà aſſeruit illum non eſſe factum in propriâ & ſtrictiori ſignificatione. Unde loco in objectione laudato ait, *verentes gloriam ejus, qui omnem creaturam præcellit, æquari reliquis obtinentibus appellationem Dei ſine articulo.* Comparatio autem Filii cum Sole eſt à minori ad majus, nempe ſi filius bonitatem ad Patrem refert, à fortiori Sol ſuam pulchritudinem & claritatem ad eum refert, ſi intelligentiæ eſſet compos.

Inſtabis: Origenes lib. 8. contra Celſum, negat Salvatorem eſſe univerſorum.

Diſtinguo, ad ſenſum Celſi, & quorumdam Hæreticorum, qui Patrem Filio, tanquam auctori ſubjiciebant, Concedo: ad mentem Catholicorum, qui docent eum omnia cum Patre condidiſſe, Nego. *Non enim Patrem*, inquit, *ſubjicimus Dei Filio, ut calumniatur Celſus, licèt tamen non deſint quidam, qui id docent, Hæretici.*

Sanctus Cyprianus medio hoc ſeculo teſtis eſt omni exceptione major pro conſubſtantialitate Verbi, de quo ſic ſcribit epiſt. 63. tractans de Sacramento Calicis, *quidam in Calice Domini ſanctificando: non hoc faciunt, quod Jeſus-Chriſtus & Dominus Deus noſter fecit.* Et Epiſt. 13. *ſi*, inquit, *baptizari quis apud Hæreticos potuit, utique & remiſſam peccatorum conſecutus eſt, templum Dei factus eſt. Quæ-*

ro cujus Dei: ſi Creatoris? Non potuit, qui in eum non credidit. Si Chriſti? Nec hujus fieri poteſt templum, qui negat Deum Chriſtum.

Sanctus Gregorius Thaumaturgus, qui eadem ætate inſigne Eccleſiæ decus ex Origenis Scholâ effulſit, ſic de Chriſto Domino loquitur in profeſſione fidei apud Sanctum Gregorium Nyſſenum in ejus vitâ, *unus Deus, ſolus ex ſolo, Deus ex Deo, Verbum efficax, potentia univerſa univerſæ creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris... ſempiternus ſempiterni, unuſque Spiritus-ſanctus... Non igitur creatum quid, aut ſervum in Trinitate, neque ſuperinductitium aliquid, aut adventitium quaſi prius non exiſtens, poſteriùs adveniens; non ergo defuit unquàm Filius Patri, neque Filio Spiritus, ſed immutabilis & invariabilis eadem ſemper manet Trinitas.*

Sanctus Dionisius Alexandrinus alter Origenis diſcipulus, cùm acriùs Sabellianos inſectaretur aſtruens perſonarum divinarum diſtinctionem, accuſatus eſt apud ſanctum Dionyſium Romanum Pontificem, quaſi naturam etiam divideret; ſcripſerat enim Filium Dei eſſe opus quoddam factitium, à Deo peregrinum, & ſe habere ad Patrem, quemadmodum agricola comparatur ad vitem, & navis fabricator ad navem; hanc calumniam diluit in epiſtolâ ad ſummum Pontificem, quam refert Sanctus Athanaſius in commentario de Synodis Ariminenſi & Seleucianâ, & in epiſtolâ de ſententiâ Dioniſii & Alexandrini, aitque 1°. ſe iſta ſcripſiſſe de natura humanâ à Verbo aſſumptâ. 2°. ſe ſatis nitidè explicuiſſe Verbum eſſe ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ cum Patre, quamvis non uſus fuiſſet nomine conſubſtantialis, quod in ſacris litteris non legerat. Ex quibus duo colliges, primum eâ ætate univerſalem & conſtantem fuiſſe Eccleſiæ traditionem, Verbum eſſe Patri conſubſtantiale, cùm Præſules

tum Orientis, tum Occidentis commoti fuerint, & ſcandalum paſſi propter verba ſancti Dionyſii Alexandrini, quibus hoc myſterium negare videbatur. Secundum benignam interpretationem exigere ea, quæ duriora leguntur in Veterum ſcriptis, credendumque illos idem præſtituros fuiſſe, quod Dionyſius Alexandrinus, ſi ſimiliter fuiſſent impetiti.

Dices 1o. ſuppoſititia eſt illa Epiſtola Dionyſii Alexandrini ad Dionyſium Romanum Pontificem: tum quia Dionyſius Alexandrinus è vivis exceſſit, antequam alter creatus eſſet ſummus Pontifex: tum quia Gennadius auctor quinti ſeculi lib. de dogmatibus Eccleſiaſticis vocat Dionyſium Alexandrinum fontem Arianorum: Ergo,

Nego anteced. illius enim meminerunt, præter ſanctum Athanaſium, ſanctus Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 29. Euſebius lib. 7. hiſt. cap, 26. & S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, *ejus ſunt*, inquit, *& quatuor libri ad Dionyſium Romanæ urbis Epiſcopum.*

Conſtat autem Euſebium deceptum, dum refert Sixtum, cui ſucceſſit Dionyſius, ſediſſe annis undecim, cùm non ſederit tribus integris, ut probat Valeſius ad cap. 27. lib. 7. Euſebii. Unde ſequitur Gennadium ignoraſſe Dionyſii Apologiam.

Dices 2o. Patres Concilii Antiocheni, in causâ Pauli Samoſateni circa illud tempus proſcripſerunt vocem, *conſubſtantialis*, utpote ab Hæreticis adinventam ad ſuos errores diſſeminandos. Ergo.

Reſpondet Sanctus Hilarius lib. de Synodis, Patres Antiochenos hanc vocem ideo rejeciſſe, quia Sabelliani & Paulianiſtæ unam perſonam divinam confitentes, hac voce ſuum errorem tuebantur. Sed magis ad mentem Synodi reſpon-

dere videtur Sanctus Athanaſius lib. de Decretis Nicæræ Synodi, laudatos Patres hanc vocem, quæ in uſu apud Catholicos erat, ideo ſuſtuliſſe, quia Paulianiſtæ ex ea Catholicis exprobrandi occaſionem ſumebant, quaſi per illam ſignificarent Filium & Spiritum ſanctum procedere ex Patre, tanquam ex præexiſtente ſubſtantiâ & partes deciſas, ſicut in humanis Filiis, ideo dicitur Patri conſubſtantialis, quia cum hujuſmodi imperfectionibus exit à Patre. At verò Patres Nicæni, cùm nulla eſſet loquendi formula, quam Ariani non detorquerent, vocem, *conſubſtantialis*, à veteribus uſurpatam Symbolo inſeruerunt, utpote quæ omnia effugia intercluderet. Ita S. Athanaſius. Quod autem Patres Antiocheni idem de Verbi conſubſtantialitate, quod Nicæni, docuerint, liquet Epiſtolâ ad Paulum Samoſatenum, in quâ teſtantur ſe tradere fidem, quam acceperant per ſucceſſionem ab Apoſtolis, ſcilicet Chriſtum eſſe æqualem Patri, ante ſecula exiſtentem, non ſolùm præſentiâ, ſed naturâ & ſubſtantiâ Deum Dei Filium. Eadem repetunt in Epiſtolâ Synodicâ anno 272. ad Dionyſium Summum Pontificem, & ad univerſi orbis Fideles, quos teſtes adducimus eandem fidem de Verbi divinitate obtinuiſſe uſque ad finem tertii ſeculi; cùm pleri que eorum quartum facilè ingreſſi fuerint.

Idipſum confirmant quotquot inſurrexere adversùs novam Arii Preſbiteri Alexandrini blaſphemiam, quâ Filium Dei creaturam aſſerere auſus eſt. Hos enim Magiſtros & antiquæ fidei defenſores peperit ſeculum tertium. Sed præ ceteris audiendus eſt ſanctus Alexander Alexandrinus, qui ut erat ætate provectus, cum Patribus Antiochenis convivere potuit; ſic autem loquitur adverùs primos Arii aſſeclas in Epiſtolâ ad Alexandrum Conſtantinopolitanum, quam re-

fert Theodoretus lib. 1. cap. 4. *Nullos ex antiquis ſibi comparari volunt, nec eos, quibus nos ab ineunte ætate Magiſtris uſi ſumus coæquari ſibi patiuntur; ſed nec ullum ex omnibus qui hodie ſunt Collegæ noſtri, ad mediocrem ſcientiam perveniſſe cenſent, totos ſapientes, ac nihil poſſidentes: ſolos dogmatum inventores, ſolos ſe eſſe jactantes, ſibique ſolis ea revelata eſſe, quæ nemini mortalium in mentem venerint.* Hîc graviùs feriunt Sociniani, quàm Ariani.

Plura ſubjiceremus teſtimonia pro conſtanti & univerſali Traditione tertii ſeculi; ac duorum priorum, niſi ipſimet Ariani faterentur ſuam doctrinam eſſe novam, teſte S. Athanaſio lib. de Synodis Arimin. & Seleuc. *adeo ut*, inquit, *iſti dicant, nobis primò revelatum eſt, & à nobis Chriſtianorum fides incipit.* Quod quàm iniquiùs à Socinianis hodie vocatur, nemo non videt.

Diutius nos hîc immorari oportuit: tum quia fides in Dominum Jeſum-Chriſtum Filium Dei, & verum Deum, eſt neceſſarium Religionis Chriſtianæ fundamentum, juxta illud Apoſtoli, 1. Cor. 3. *Fundamentum ... aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*: tum quia auctoritatum pondere opprimi debent Sociniani, quorum ſermo ut cancer ſerpit inter Catholicos, præſertim eos, qui ſapientiam hujus ſeculi, præ ſe ferentes, Dei Majeſtatem propriæ mentis acie ſcrutari non verentur.

Caput V.

CAPUT V.

Utrùm Spiritus-Sanctus ſit Patri & Filio conſubſtantialis ?

R. Spiritus-ſanctus eſt perſona diſtincta, Patri, Filioque conſubſtantialis, ac proinde verus Deus. Duæ reſponſionis ſunt partes. Prima, quòd Spiritus ſanctus ſit perſona diſtincta, non verò Patris attributum aut efficacia, ut contendunt Sociniani, probata eſt capite præcedenti. Secunda verò, quòd ſit Deus Patri & Filio conſubſtantialis, præter ea quæ eodem capite momenta attulimus, ulteriùs.

Probatur 1°. ex veteri Teſtamento, 2. Reg. 23. ait David, *Spiritus Domini locutus eſt per me.* Tum exponens quis ſit ille Spiritus, ſubdit : *dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſraël.* Iſaïæ cap. 6. de Domino exercituum, *Jehova*, legitur, *& dixit : vade, & dices populo huic : audite audientes, & nolite intelligere.* Quæ verba Sanctus Paulus Act. 28. v. 25. interpretatur tanquam prolata à Spiritu-ſancto, *bene*, inquit, *Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaïam... dicens, vade*, &c. Denique Heb. 1. Deus locutus eſt, *in Prophetis ;* atqui ille Deus eſt Spiritus-ſanctus. Act. 1. *Oportet*, inquit Petrus, *impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os David de Juda*, &c.

Probatur 2°. ex novo Teſtamento. 1°. Spiritus ſanctus eſt quid unum cum Patre & Filio, Matthæi cap. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti*, 1. Joan. cap. 5. *& hi tres unum ſunt*, quæ loca expendimus cap. præcedenti. 2°. expreſsè appellatur Deus, Act. 5. ubi ſanctus Petrus Ananiam ſic increpat, *cur tentavit Sa-*

tanas cor tuum, mentiri te Spiritui-ſancto ...; non es mentitus hominibus, ſed Deo, 1. Cor. 12. *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto. Diviſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diviſiones miniſtrationum ... idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 3°. Spiritui ſancto tribuuntur, quæ ſunt Dei propria; 1°. templum, in quo intelligitur ſupremus cultus, 1. Cor. 6. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs ſancti?* 2°. omnipotentia, Pſam. 32. *verbo Domini cæli firmati ſunt & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obunbrabit tibi.* Matth 12. *ſi in Spiritu Dei ejicio Dæmones*, &c. Rom. 8. *ſi Spiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis ... vivificabit & mortalia corpora veſtra.* Luc. 4. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me* 1. Cor. 6. *abluti eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Quorum ergo una eſt operatio*, ait Didymus cap. 1. de Spiritu-Sancto, *una eſt ſubſtantia.*

Probatur 3°. ex Traditione, quam quidem Adverſarii prævaluiſſe non diffitentur quarto exeunte ſeculo & deinceps; namque Concilium Conſtantinopolitanum, quod eſt generale II. anno 381. aſſeruit Spiritûs ſancti divinitatem contra Macedonium, & alios Pneumatomachos, ut cap. 1. dictum eſt. Quare probandum nobis ſolummodo incumbit Patres Conſtantinopolitanos nihil in Eccleſiâ innovaſſe, ſed præcedentium ſeculorum traditionem vindicaſſe. Atque hujuſce veritatis teſtes ſunt.

Sanctus Juſtinus Apol. 1. *Filium*, inquit, *& Spiritum propheticum colimus, & adoramus, & Deum ſolum adoramus.*

Athenagoras in Apol. *ut Deum aſſerimus & Filium ejus Verbum, & Spiritum ſanctum.*

Sanctus Irenæus lib. 4. cap 37. *adeſt ei*, (Patri) *Verbum & ſapientia, Filius & Spiritus ſanctus, per quos, & in quibus omnia liberè & ſponte fecit.*

Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 6. *unus quidem eſt univerſorum Pater, unum etiam eſt Verbum univerſorum, & Spiritus ſanctus unus, qui & ipſe eſt ubique.*

Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 2. ubi aſſerit Patrem, & Filium, & Spiritum-ſanctum non eſſe tria nomina duntaxat, ſed tres perſonas; *tres*, inquit... *non ſtatu, ſed gradu, nec ſubſtantiâ, ſed formâ... unius autem ſuſtantiæ... &... poteſtatis; quia unus Deus:* integrum textum protulimus cap. præcedenti.

Sanctus Cyprianus epiſt. 73. ad Judaïanum laudato cap. præcedenti, aſſerit Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unum eſſe. Idem quoque ſanctus Gregorius Thaumaturgus in profeſſione fidei, quam ibidem retulimus.

Dices 1°. Concilium Nicænum non definiit Spiritum-ſanctum eſſe Deum. Ergo Spiritus-ſanctus non eſt Deus.

Nego conſeq. quia in Conſilio Nicæno non erat controverſia, an Spiritus eſſet Deus; quanquam Concilum ſatis per hæc verba, *Credo in Spiritum ſanctum*, notat Spiritum-ſanctum Deum eſſe credendum. Idem reſpondendum ad ſanctum Hilarium, ſcilicet quòd ideo de Spiritu-ſancto ſilet in operibus de Trinitate, quia de ſolo Verbo tractandum ſuſceperat. Nam Commentario in Matth. de formulâ baptiſmi ſcribit, *Baptiſamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, ut quorum una eſt Trinitas, ſit una largitio, nomenque Trinitatis eſt unus Deus.*

Inſtabis: in Concilio Conſtantinopolitano de Spiritu-ſancto agebatur, nuſquam tamen in eo appellatur Deus, imò ſanctus Baſilius hom. 27.

in ſanctum baptiſma ſic loquitur, *neque ipſe Deus eſt, ſed Dei Spiritus, & apud Deum.* Ergo.

Reſpondeo 1o. Etſi Patres Conſtantinopolitani Spiritum-ſanctum Deum non appellaverint, ejus tamen divinitatem, conceptis verbis profeſſi ſunt, *& in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit* (contra Macedonianos, qui volebant eſſe creaturam ex nihilo factam) *qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas.*

Reſpondeo 2o. revera ſanctum Baſilium, propter allata verba apud aliquos malè audiviſſe, ſed illam criminationem ſanctus Gregorius Nazianzenus diluit orat. 20. ubi demonſtrat laudandam eſſe œconomiam ſancti Doctoris, quòd duas hoſtium turmas patronicio Imperatorum formidandas, Arianos dico & Pneumatomachos, non ſimul, ſed ſeparatim aggreſſus fuerit, ne illi conjuctis viribus omnes tandem Orthodoxos Epiſcopos, ſicut ex iis jam plurimos, è ſedibus deturbarent grandi Eccleſiæ malo; ſed exiſtimaverit tantiſper abſtinendum ab illâ voce, *Deus*, modò res ipſa eo nomine ſignificata non deſeretur. At ubi accepit hujuſmodi œconomiam & ſilentium apud nonnullos ſcandalum parere, expreſſis verbis Spiritum ſanctum Deum profeſſus eſt, ut Epiſtolâ 97. & 98.

Dices 2o. Spiritus ſanctus dicitur orare, gemere, & contriſtari. Rom. 8. *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Eph. 4. *nolite contriſtare Spiritum.* Ergo.

Diſtinguo anteced. dicitur metaphoricè, Concedo: propriè, Nego anteced. Spiritus poſtulat, id eſt poſtulare facit, nam ibidem de eo dicitur, *in quo clamamus, Abba* (Pater) Et *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Pœnitet & dolet, qui opera mutat & deſtruit immutabilis ipſe & tranquillus.

Dices 3°. omnia per Verbum facta ſunt, Joan. 1. Ergo & Spiritus ſanctus.

Diſtinguo anteced. omnia per Verbum & Spiritum oris ejus, ut habetur Pſam. 32. verſ. 6. Concedo: per Verbum excludendo Spiritum-ſanctum, Nego anteced. ex hujuſmodi enim argumentis negativis nihil poteſt concludi. Deinde nego conſequentiam; æquè enim ex hoc loco concludere liceret Patrem per Filium eſſe factum. Vult itaque Evangeliſta omnia quæ facta ſunt, eſſe facta per Verbum, & nihil factum eſſe ſine ipſo.

Dices 4°. Matth. 21. habetur, nemo novit Patrem, niſi Filius.

Diſtinguo, nemo ex creatis, Concedo: nemo omnino, Nego; nam. 1. Cor. 2. legitur, *Spiritus ſcrutatur, etiam profunda Dei.*

Inſtabis, Joan. 16. Chriſtus de Spiritu-ſancto perhibet, ipſum per revelationem à Patre accipere, quæ novit, nec omnia ſimul ipſi revelari, *non ... loquetur*, inquit, *à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur.* Ergo:

Nego anteced. ſed ſcientiam accipit ſicut & naturam, ſcilicet procedendo. *Non loquetur à ſemetipſo*, inquit Sanctus Auguſtinus tract. 99. in Joan. *quia non eſt à ſemetipſo* (quo ſenſu Dominus dixit, mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me) *audire illi ſcire eſt, ſcire verò eſſe ... à quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, à quo nihil eſt aliud, quàm ſcientia. Nec moveat quòd verbum futuri temporis poſitum eſt* (*audiet*) *illa quippe audientia ſempiterna eſt, quia ſempiterna eſt ſcientia: in eo autem quod ſempiternum eſt ... cujuſlibet temporis verbum ponatur, ſive præſentis, ſive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat, fuerit & erit, ſed tantùm, eſt ... tamen propter mutabilitatem temporum,*

in quibus verſatur noſtra mortalitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & eſt; fuit, quia nunquam defuit; erit; quia nunquam deerit; eſt, quia ſemper eſt. ſemper itaque audit Spiritus ſanctus, quia ſemper ſcit & ſciet, per hoc & audivit & audit, & audiet.

Porrò Chriſtus utitur verbo futuri temporis, (audiet) potius quàm præſentis aut præteriti, qui conjungitur cum effectu revera futuro, ſcilicet, *loquetur &... annuntiabit vobis.* In eodem ſenſu jam de ſeipſo dixerat Joan. 5. *omnia demonſtrat ei* (Pater) *quæ ipſe facit, & majora his demonſtrabit ei opera.*

Dices 5°. qui mittitur minor eſt mittente: atqui Spiritus-ſanctus mittitur à Filio: Ergo.

Diſtinguo majorem, qui mittitur ut ſervus cum imperio, dependentiâ, Concedo: qui mittitur ſine hujuſmodi imperfectionibus, quomodo Theologi explicant miſſionem in Divinis, & nos ſuo loco expoſituri ſumus, Nego majorem; nam & Filius à Patre mittitur.

CAPUT IV.

Quid eſt myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis?

R. EST unus Deus in tribus perſonis ſubſiſtens. Colligitur ex dictis.

Dicitur, *unus Deus*, unitate numericâ & ſingulari, non verò unitate ſpecificâ, quæ multiplicetur in inferioribus; quemadmodum natura humana in tribus hominibus, v. g. Iſaaco, Jacobo, & Eſaü nuumericè multiplicatur, eſtque in illis numero triplex, & ſpecie una; unde neceſſariò ſequitur, quòd Iſaac, Jacob, & Eſaü, ſint tres homines numero diſtincti. At in hoc myſterio natura divina numero eſt una in tri-

bus perſonis, ac proinde tres perſonæ non ſunt tres Dii, ſed unus numero Deus, nec conſequenter tria divina individua; natura enim in quolibet individuo multiplicatur.

Dices: in hypotheſi quòd eadem numero gratia juſtificans ſit in tribus ſubjectis realiter diſtinctis, conſtituet tres perſonas formaliter juſtas: ergo à pari, licèt eadem numero natura divina ſit in tribus perſonis realiter diſtinctis, nihilominus dicendi erunt tres Dii.

Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quòd ad multiplicationem concretorum adjectivorum ſufficiat multiplicatio ſubjectorum; ad multiplicationem verò concretorum ſubſtantialium requiratur inſuper multiplicatio formarum. Concretum adjectivum ſignificat ſubjectum ſubſtantiale, putà hominem, habens formam accidentalem, v. g. juſtitiam, albedinem, &c. Concretum verò ſubſtantiale eſt aliquod totum conſtans ex ſubjecto & formâ ſubſtantiali, ut homo, Deus. Homo enim eſt ſubſtantia habens animam rationalem tanquam formam ſubſtantialem & eſſentialem, quâ conſtituitur in eſſe hominis. Deus eſt perſona habens divinitatem.

Ratio autem diſparitatis utriuſque concreti ea eſt, quòd in concreto adjectivo forma accidentalis non enuntietur tanquam aliquid conſtituens ſubjectum in ſuo eſſe, ſed ſupponens ſubjectum jam conſtitutum, cui ſolummodo adjacet. Unde in hypotheſi quòd eſſent plures albedines in eodem ſubjecto, non eſſent tria alba, ſed unum habens plures albedines: contra verò ſuppoſitâ unâ albedine in tribus ſubjectis, erunt tria alba; quia revera tres res per ſe ſubſiſtentes habebunt adjacentem unam albedinem, quemadmodum tres homines uno velo cooperti ſunt tres velati.

At in concreto ſubſtantiali forma conſtituit ſubjectum in ſuo eſſe, ideoque ſi ſit una, v. g. una divinitas, concretum, nempe Deus, erit quoque unum: ſi verò multiplex, ut perſonalitas, quæ eſt forma ſubſtantialis perſonæ, plures erunt etiam perſonæ, quamvis una ſit natura; & contra unica erit perſona, etiamſi duæ reperiantur naturæ, ut in Chriſto Domino.

Q. 2°. *Quid eſt perſona?*

R. Definitur, ſubſtantia ſingularis, intelligens, tota in ſe, & incommunicabilis alteri.

Dicitur 1°. *ſubſtantia*, id eſt, ens per ſe ſubſiſtens. Ergo accidens, quod eſt ens alteri inhærens, non poteſt eſſe perſona.

Dicitur 2°. *ſingularis*, quia ſubſtantia univerſalis, v. g. animal in genere, non exiſtit niſi in ſingularibus: perſona autem per ſe exiſtit, & eſt incommunicabilis alteri.

Dicitur 3°. *intelligens*, quia ſubſtantia intellectu carens, v. g. lapis, equus, non dicitur perſona, ſed ſuppoſitum; nomen enim perſonæ, aliquam dignitatem exprimit. Abſque injuriâ tamen perſona nonnunquam vocatur ſuppoſitum.

Dicitur 4°. *tota*, ut excludantur ſubſtantiæ partiales, v. g. anima, quibus non competit ratio perſonæ.

Dicitur 5°. *in ſe*, nam ſi ſit in alio, à quo ulteriùs perficiatur, quemadmodum natura humana in Chriſto, perſona non eſt. Hinc Verbum aſſumpſit naturam humanam totam, non verò perſonam humanam; quia per admirabilem illam aſſumptionem, natura humana non eſt in ſe ultimò terminata, ſed eſt unita Verbo, à quo mirum in modum perficitur. Natura vero divina in Chriſto retinet ſuam perſonalitatem, nempe Verbum; quia per illam unionem perſona-

ſem non acquirit ullam perfectionem, ac proinde non poteſt dici eſſe in alio, ſed eſt revera tota in ſe.

Dicitur 6o. *incommunicabilis alteri*, quia perſonalitas eſt ultimum complementum, ſeu ultimus terminus ſubſtantiæ completæ.

Ergo perſona eſt nomen concretum ſubſtantiale ſignificans ſubjectum & formam, ſeu ſubſtantiam completam habentem perſonalitatem, quæ à Græcis dicitur hypoſtaſis. Liceat itaque dicere tres eſſe in Deo ſive hypoſtaſes, ſive perſonas; ita enim definitum eſt in Concilio Alexandrino ſub ſancto Athanaſio anno 363. ubi ſopita eſt gravis controverſia, quæ erat ſolùm de nomine, cujus vim nonnulli è Latinis non intelligentes contendebant unam tantùm dicendam hypoſtaſim: quia apud eos hypoſtaſis idem erat ac ſubſtantia; *nos*, inquiunt Patres Sardicenſes, *unam eſſe hypoſtaſim* (dicimus) *quam ipſi Hæretici ſubſtantiam appellant.*

Q. 3o. *quid eſt perſonalitas?*

R. Eſt ultimus terminus ſubſtantiæ completæ, quo eſt in ſe tota & incommunicabilis alteri, diciturque ſubſiſtantia & totalitas, quamvis nomen ſubſiſtentiæ aliquando ſumatur in concreto pro ipſâ perſonâ, ſeu hypoſtaſi.

Ergo in Deo non eſt admittenda, ut contendunt Scotiſtæ, ſubſiſtentia aliqua abſoluta, & communis tribus perſonis; quia natura divina per mentem abſtracta à tribus perſonalitatibus non eſt incommunicabilis, imò actu & de facto communicatur: Ergo ut ſic abſtracta non eſt ſubſiſtens.

Dices: ſequitur etiam ex dictis unicam eſſe in Deo perſonam; ſiquidem perſonalitas eſt ultimus terminus naturæ completæ: atqui unus poteſt eſſe ultimus terminus naturæ divinæ, nempe

ſpiratio paſſiva, ſeu perſonalitas Spiritûs-ſancti; quia nec paternitas, nec filiatio ultimò complent & terminant naturam divinam, ſed ſola ſpiratio paſſiva.

Nego ſequelam, ad cujus confirmationem reſpondeo naturam divinam nudè ſpectatam eſſe tribus modis ultimò terminabilem propter infinitam & incomprehenſibilem ejus perfectionem: ut terminatam autem in primâ perſonâ eſſe alteri incommunicabilem; non enim communicatur ſecundæ & tertiæ perſonæ cum perſonalitate ſeu ſubſiſtentiâ & ultimo illo termino; quia ſecunda perſona non habet ſubſiſtentiam primæ, nec tertia ſubſiſtentiam primæ & ſecundæ; ſed unaquæque perſona habet ſuam propriam ſubſiſtentiam. Unde nulla ſequitur contradictio quòd ſint tres ſubſiſtentiæ: eſſet verò, ſi ſecunda primæ adderetur, & tertia duabus prioribus, ut in objectione ſupponitur.

Q. 40. *Quomodo vocantur tres perſonæ?*

R. Prima dicitur Pater, ſecunda Filius, tertia Spiritus ſanctus, ut habetur ex pluribus Scripturæ locis, Matth. 28. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, Spiritûs ſancti.*

CAPUT VII.

De Proceſſionibus Divinis.

Q. 1o. **Q***Uare prima perſona dicitur?*

R. Quia producit ſecundam perveram generationem. Unde ſecunda dicitur Filius; nemo quippe eſt pater niſi habeat filium.

Q. 2°. *Quomodo Pater producit Filium?*

R. Per infinitam & comprehenſivam divinarum ſuarum perfectionum cognitionem; quemadmo-

admodum enim intellectus noſter exprimit in ſe imaginem objecti cogniti, quæ dicitur verbum mentis: ſic Pater æternus, utpote perſona intelligens, producit & exprimit imaginem infinitè perfectam eorum, quæ intellectu comprehendit; unde tria ſunt nomina ſecundæ perſonæ propria. 1°. Dicitur Filius; quia per generationem producitur, juxta illud Pſal. 109. *ex utero ante luciferum genui te.* 2°. Verbum, Joan. 1. *in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum*; quia eſt terminus cognitionis paternæ. 3°. Imago, Col. 1. *Imago Dei inviſibilis* Heb. 1. *ſplendor gloriæ, figura ſubſtantiæ ejus*, ſcilicet Patris.

Enimverò imago definitur, unius ab alio deducta ſimilitudo: atqui ſecunda perſona 1°. deducitur ſeu producitur à Patre, 2°. eſt ejus expreſſa ſimilitudo; quid enim eſt Verbum, niſi expreſſa ſimilitudo, & imago objecti cogniti? *totum in ſe monſtrat genitorem*, inquit ſanctus Baſilius hom. 16. & ſanctus Ambroſius lib. 1. de fide cap. 4. *Iſta imago non eſt falſa; quia veritas eſt: non eſt muta, quia verbum: non eſt mortua, quia vita eſt: non eſt inanis, quia virtus eſt.* Propter hanc ſimilitudinem Verbum dicitur, Sap. 7. *Speculum ſine maculâ Dei Majeſtatis*; quia ſicut ſpeculum puriſſimum intuentis ſe formam & actionem exhibet; ſic perſona ſecunda, quæ eſt naturalis & abſolutiſſima Patris imago, naturam & proprios ejus characteres perfectiſſimè repræſentat, juxta illud Joan. 5. *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.*

Q. 3°. *Quare tertia perſona dicitur Spiritus ſanctus?*

R. Quia procedit per voluntatem, eſtque terminus divini amoris, ſicut Filius eſt terminus divinæ cognitionis. Amor autem eſt quædam voluntatis ſpiratio ſeu impulſio in rem amatam,

à quâ ſpiratione dicitur Spiritus ſanctus: quaſi ſanctè ſpiratus *Nomen Spiritûs*, inquit S. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 18. *in rebus corporeis impulſionem quandam & motionem ſignificat, unde flatum ſeu ventum Scriptura ſæpè Spiritum appellat ut Act. 2.* Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam ſpiritûs *id eſt venti*, vehementis. *Sed proprium amoris eſt, quòd moveat. & impellat amantem in rem amatam:* Ergo cum tertia perſona procedat per modum amoris, convenienter ſpiritus dicitur. Additur *ſanctus*, quo deſignatur puritas ſumma amoris, ex quo procedit tertia perſona, & à creaturis intellectualibus diſtinguitur; hæ nimirum eatenus naturâ ſuâ ſunt peccabiles, quatenus à ſummo bono deficere poſſunt inferiorum amore, qui in ipſis eſt macula; nam juxta ſanctum Auguſtinum, non faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores. Malus autem eſt amor, quo creatura rationalis ſeipsâ, vel alio bono creato fruitur. At tertia perſona non procedit niſi ex amore, quo Deus infinitè & neceſſariò ſeipſum diligit, & cetera propter ſeipſum. Ergo proprium eſt tertiæ perſonæ, quòd ſanctè ſpiretur; quanquam, ſi nomen Spiritûs eſſentialiter accipiatur, quatenus ſignificat rem ab omni materiâ ſeparatam, & puriſſimam, nomen illud eſt commune tribus perſonis, ut notat ſanctus Auguſtinus lib. 5. de Trinitate.

Spiritus ſanctus duobus aliis nominibus propriè inſignitur. 1o. dicitur amor; quia per voluntatem procedit, eſtque terminus productus divinæ volitionis. 2o. dicitur donum, quatenus vi ſuæ proceſſionis eſt amor: amor autem eſt primum donum & principium omnis donationis & beneficii: qui enim gratificatur alteri, primo loco amorem ſuum ei concedit. Hinc. Rom. 5. dicitur, *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus.*

noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: quibus innuit Apoſtolus Spiritum-ſanctum, uti amorem Patris & Filii, eſſe principium omnium donorum.

Dices: 1°. donum definitur, res gratuitò & liberaliter data ſine ſpe retributionis: Ergo Spiritus-ſanctus vi ſuæ proceſſionis, quæ eſt æterna, non poteſt dici donum, cùm non ſit ab æterno datus.

Diſtinguo conſeq. non poteſt dici donum actu datum, Concedo: donabile, Nego conſequentiam; cùm enim vi ſuæ proceſſionis ſit amor, eſt etiam donabilis. Porrò ad rationem doni neceſſe non eſt; ut actu donetur, ſed ſufficit quòd res ſit donabilis, & prima ratio dandi: quod ab æterno competit Spiritui ſancto.

Inſtabis: Ergo Spiritus ſanctus datur creaturis irrationabilibus, cùm amor Dei ſit ratio cur eas producat & conſervet.

Nego ſequelam; namque 1°. donum non dicitur niſi per ordinem ad creaturam intelligentiâ præditam, quæ ſola frui poteſt re datâ; quis enim diceret ſe donum tribuere jumento, cui pabulum ſubminiſtrat? 2°. donum, de quo hîc agitur, non ſpectat effectus naturales, v. g. creationem & conſervationem, ſed ſupernaturales, quibus Deo fruimur ipſi conjuncti.

Dices 2°. res data eſt ſub dominio donatarii: atqui Deus non poteſt tranſire in dominium creaturæ: ergo non poteſt dari.

Diſtinguo majorem, res data eſt ſub dominio donatarii aliquando, Concedo: ſemper, Nego majorem; non enim tranſit amor noſter in dominium amici.

Q. 4°. *Spiritus-ſanctus procedit-ne à Patre, & Filio?*

Vetus eſt Græcorum adverſùs Latinos expo-

ſtulatio, quòd doceant Spiritum-ſanctum à Patre ſimul & à Filio procedere; namque conſtat ex Epiſtolâ S. Maximi ad Marinum, quam citat Patavius lib. 7. cap. 2. ſanctum Martyrem contra populares ſuos cauſam Latinorum propugnaſſe circa annum 640. Cùmque octavo ſeculo pugna actiùs exardeſceret, habitum eſt Concilium Gentiliacenſe ad Lutetiam ſub Pipino Francorum rege anno 767. dehinc Forojulienſe in Italiâ ann. 791 & Francofordienſe ann. 797. Ineunte nono ſeculo, eadem quæſtio ventilata eſt in Concilio Aquiſgranenſi anno. 809. ex Adone in chronico, & in Concilio Arelatenſi anno 813. tandemque diſceptatio ſub ejuſdem ſeculi finem, agente Photio Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitano, in ſchiſma erupit, & utramque Eccleſiam cœpit dividere. Græcos confutarunt eodem ſeculo Odo Bellovacenſis, ex Epiſtolâ 5. Hincmari Remenſis, Æneas Pariſienſis, & Ratramnus Corbeienſis Monachus: opus prioris extat tom. 7°. Spicilegii, & poſterioris tom. 2°. Cœptum ſchiſma Michaël Cærularius Patriarcha Conſtantinopolitanus perfecit undecimo ſeculo, ubique diſſeminans Latinos omnes ab Eccleſiæ Catolicæ ſinu excluſos eſſe, quòd & fidem temerare & voculam (Filioque) in Symbolo inſerere auſi eſſent, ex Leonis IX. Epiſtolâ anno 1054. Ad conciliandos animos varia ſubinde coacta ſunt Concilia, ac 1°. Barenſe in Italiâ ſub Urbano II. anno 1097. in quo ſanctus Anſelmus in defendendâ Spiritûs ſancti à Filio proceſſione, inſigne ſibi peperit nomen. 2°. Lateranenſe quartum generale ſub Innocentio III. anno 1215. in quo Patriarchæ Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus cum aliis non paucis Eccleſiæ Græcæ Præſulibus, ad concordiam cum Latinis redierunt. 3°. Lugdunenſe ſe-

cundùm etiam generale anno 1274. in quo pax redintegrata eſt cum Græcis, qui errorem palàm ejurarunt, Symbolumque cum hâc additione, *Filioque*, inter Miſſarum ſolemnia decantarunt. Sed Græcis ad perverſum dogma reverſis, 4°. celebratum eſt anno 1429. Concilium Florentinum generale, cui interfuerunt Eugenius IV. Summus Pontifex, Joannes Paleologus Græcorum Imperator cum Patriarchâ Conſtantinopolitano, & aliis benemultis Eccleſiæ Græcæ Præſulibus, qui omnes Latinæ Eccleſiæ conſenſerunt, uno ferè excepto Marco Epheſino, qui ad ſuos reverſus, animos ab inito fœdere revocavit. Quare ad propoſitam quæſtionem.

R. De fide eſt Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere; ita enim definierunt tria Concilia œcumenica.

Probatur definitio 1°. ex Scripturâ Joan. 17. Chriſtus Patrem alloquens ſic habet, *mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt*, nempe ſalva paternitate & filiatione, quæ non ſunt communes: atqui Pater vim habet ſpirandi, ergo & Filius: c. 16. *non ... loquetur à ſemetipſo* (Spiritus ſanctus) *ſed quæcunque audiet, loquetur ... ille me clarificavit, quia de meo accipiet ... omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, propter ea dixi, quia de meo accipiet.* Ubi Spiritus ſanctus ſcientiam à Filio accipit: ergo & naturam; ſcientia enim in Deo non diſtinguitur ab ejus naturâ, *ab illo audiet*, inquit ſanctus Auguſtinus Tract. 99. in hunc locum, *à quo procedit; audire illi, ſcire eſt, ſcire verò, eſſe ... cujuſvis autem temporis verbum ponatur, ſive præteriti, ſive præſentis, ſive futuri, non mendaciter ponitur; quia quod æternum eſt, & eſt, & fuit, & erit: fuit, quia nunquam defuit: erit, quia nunquam deerit: & eſt,*

quia ſemper eſt. Cur autem Chriſtus potiùs de tempore futuro dixerit, ratio eſt quia loquitur de Spiritu ſancto, quatenus ab ipſo procedit, ſed quatenus ab ipſo mittendus eſt: *quem ego*, inquit Joan. 15. *mittam vobis à Patre.* Ex quibus verbis aliud argumentum conficitur. Miſſio ex dicendis arguit originem; vel enim fit per imperium, vel per conſilium, vel per originem: duo priora dici non poſſunt: ergo; hinc Pater non mittitur: quia non procedit. Denique Spiritus ſanctus conſtanter in Scripturis dicitur Spiritus Chriſti, & Spiritus Patris: Chriſti quidem Rom. 8. *Si quis... Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Gal. 4. *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra.* Act. 16. *Non permiſit eos Spiritus Jeſu.* Patris verò Matth. 12. *Si... ego in Spiritu Dei ejicio dæmones.* Rom. 8. *Si Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis*, &c. ergo Spiritus-ſanctus procedit à Patre & Filio; quemadmodum enim ſecunda perſona non poteſt dici Filius Spiritûs ſancti, quia ab ipſo non procedit; ſic nec Spiritus-ſanctus diceretur Spiritus Chriſti, in hypotheſi quod ab ipſo non procederet.

Probatur 2°. ex Traditione.

Tertulianus lib. contra Praxeam cap. 6. *Spiritum non aliunde puto*, inquit, *quàm à Patre per Filium.*

S. Hilarius lib. 2. de Trinitate, hæc de Spiritu-ſancto ſcribit, *de Patre & Filio auctoribus confitendus eſt.*

Sanctus Ambroſius libro 1. de Spiritu-ſancto cap. 10. *Spiritus quoque ſanctus, cùm procedit à Patre & Filio, non ſeparatur à Patre, non ſeparatur à Filio.* Similia habet in expoſitione Symboli, cap. 1. & 4.

Sanctus Auguſtinus tract. 99. in Joan. *Cur ergo non credamus*, inquit, *quòd etiam de Filio procedat Spiritus, cùm Filii quoque ipſe ſit Spiritus?* Poſteriores Patres Latini, quam ab antiquoribus hauſerant doctrinam, nobis ſcripto reliquerunt, ut ſanctus Leo epiſt. 95. Patres Concilii I. Toletani anno 400. II. Tolet. anno 589. & IV. Toletani anno 623. Sed illis omiſſis veniendum ad Patres Græcos, quibus Judicibus causâ ſuâ cadunt Adverſarii.

Sanctus Athanaſius Orat 4. contra Arianos Sic habet *neque verò Spiritus Verbum cum Patre copulat, ſed potiùs Spiritus à Verbo accipit; ipſe enim, ut dictum eſt, Spiritum dat, & quæcunque habet Spiritus, hæc habet à Verbo.*

Sanctus Baſilius lib. 2 contra Eunomium contendentem Spiritum ſanctum eſſe creaturam à ſolo Filio productam, probat eſſe ejuſdem naturæ cum Patre & Filio, & ab iis procedere tanquam ab uno principio, lib. 3. aſſerit Spiritum-ſanctum non naturâ, *ſed dignitate* (id eſt ordine) *ſecundum eſſe à Filio, ut qui eſſe ab illo habeat, & ab ipſo accipiat, & annuntiet nobis.* Et lib. 5. refellit Adverſarios colligentes Spiritum ſanctum fore Filium Filii, ſi ab ipſo procederet.

Sanctus Gregorius Nyſſenus lib. 1. contra Eunomium de Spiritu ſancto, *cujus*, inquit, *in ſolo ordine differentia conſtituta eſt; nam ut Patri conjunctus eſt filius, & cùm ex illo eſſe habeat, non tamen poſterius exiſtit; ſic etiam Spiritus ſanctus proximè hæret filio, qui ſolâ cogitatione ſecundùm rationem principii prius conſideratur productione Spiritûs... adeo ut detractâ principii ratione, nullâ re ſancta Trinitas à ſeipſâ diſſideat.*

Sanctus Epiphanius hæreſi 72. *non alienus eſt à Patre & Filio, ſed ex eâdem ſubſtantiâ, ex eâdem divinitate, ex Patre & filio, cum Patre & filio ſubſi-*

ſtens ſemper Spiritus ſanctus. Eadem docet in Ancorato num. 67.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de adoratione Spiritûs ſancti, *Spiritus*, inquit, *eſt Patris & Filii; quia ſubſtantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium, profluit.* Et lib. 1. in Joan. de Spiritu ſancto, *ſcit omnia quæ ſunt ejus* (Filii) *ex quo, & in quo eſt.*

Reſpondent Græci, 1°. per Spiritum intelligenda dona Spiritus ſancti, quæ certè à Patre & Filio procedunt, uti effectus temporales, & toti Trinitati communes. 2°. Laudatos Patres docere Spiritum ſanctum per Filium procedere, non quia ab ipſo eſſe accipit, ſed quia ejus proceſſio à Patre originis ordine poſterior eſt proceſſione Filii; nam amor, ex quo procedit Spiritus ſanctus, præſupponit cognitionem, quâ producitur Filius. Sed hæc mera ſunt effugia, quæ in Concilio Florentio abdicare coacti ſunt.

Enimverò luce clarius eſt in allatis textibus 1°. ſermonem eſſe de proceſſione æternâ, Spiritum ſanctum eſſe ejuſdem ſcientiæ cum Filio, ſolâ principii ratione differre, quæ de donis Spiritûs ſancti dici non poſſunt, utpote quæ ſint effectus temporales, & creati: 2°. apud laudatos Patres idem prorſus eſſe ex filio, & per filium procedere; quemadmodum ubi Scripturæ de Verbo divino referunt, quòd omnia per ipſum facta ſunt, edocemur Verbum cum Patre eſſe rerum omnium principium & cauſam.

Allatis textibus hanc Theologi rationem ſubjungunt, ſcilicet, niſi Spiritus ſanctus ex filio procederet, eſſet una & indiſtincta cum eo perſona Sed id expendetur Capite ſequenti.

Dices: Theodoretus expreſsè negat Spiritum ſanctum procedere ex Filio, ſive per Filium, nam refutans anathematiſmum nonum ſancti

Cyrilli ſic loquitur, *ſi dixit* (Cyrillus) *tanquam ex Filio, aut per Filium exiſtentiam habere, hoc ut impium & blaſphemum rejiciemus.* Et in epiſtolâ ad Monaſteria ſic in ſanctum Cyrillum invehitur, *blaſphemat in Spiritum-ſanctum, dum non ex Patre ſolo illum aſſerit procedere.* Sanctus quoque Joannes Damaſcenus, Theodoreti veſtigiis inhærens, ſic ſcripſit trecentis circiter annis poſt ipſum lib. 1. de fide ortodoxâ cap. 11. *ex Filio autem Spiritum non d cimus, ſed eum Filii Spiritum nominamus.* Ergo conſtans fuit apud Græcos ſententia Spiritum-ſanctum ex Filio aut per Filium non procedere.

Nego conſeq. namque 1o. contra omnes duo prævalere non poſſunt: omnes autem Patres, etiam Græci, ſaltem docent Spiritum ſanctum per Filium procedere, quod tamen negat Theodoretus 2o. in Concilio V. generali accuratè examinata ſunt ſcripta Theodoreti & damnata, ubi aliquid durius in ipſis expreſſum eſt: cùm ergo oppoſiti textus intacti evaſerint, ſignum eſt nihil in eis erroneum deprehenſum. Peccavit quidem Theodoretus, quòd S. Cyrillo inſigni Fidei defenſori contra Neſtorium, Ennomianorum impietatem & blaſphemiam impegerit, quaſi doceret cum illis Hæreticis Spiritum-ſanctum eſſe creaturam Filii, & eatenus proprium ejus Spiritum, quam criminationem refutat ſanctus Doctor in reſponſione ſuâ ad Theodoretum, *procedit*, inquit, *ex Deo & Patre Spiritus-ſanctus ſecundùm ſalvatoris vocem, ſed non eſt alienus à Filio. Non blaſphemavimus igitur, ſicut dicere præſumpſit, qui ſolummodo accuſare novit.* Unde ſanctus Cyrillus non credidit ſe blaſphemiæ accuſatum, quod dixiſſet Spiritum-ſanctum ex Filio procedere, ſed quòd viſus fuiſſet negare eundem ex Patre procedere. Difficilior eſt epiſtola ad Monaſteria, in quâ videtur Theodoretus vel

le Spiritum ſanctum ex ſolo Patre procedere; ſed præterquamquod hæc particula excluſiva (ſolo) in omnibus codicibus non legitur, ut in actis Concilii quinti videre eſt, benignam interpretationem recipere poteſt, nimirum Spiritum ſanctum ex ſolo Patre per Filium procedere, quatenus Pater communicat Filio ſpirationem activam, ſeu virtutem producendi Spiritum ſanctum.

Quod ſpectat S. Joannem Damaſcenum, ſanctus Thomas q. 63. a. 2. & nonnulli alii concedunt illum in hoc errore fuiſſe verſatum. Sed multa ſuadent mentem ejus explanandam eo ſenſu, quo Theodoreti epiſtolam explicuimus. 1o. enim Patrem comparat Soli, Filium radio, Spiritum ſanctum ſplendori, qui ex radio oritur. 2o. cap. 13. ſic ſcribit, *ſed & Filii Spiritus eſt, non tanquam ex ipſo, ſed quòd per ipſum ex Patre procedat; ſolus enim Pater principium eſt*; id eſt, fons & principium ſine principio, à quo Filius accipit vim ſpirandi; unde Spiritus ſanctus dicitur à ſancto Doctore Spiritus Filii. 3o. c. 18. docet Spiritum ſanctum eſſe imaginem Filii, ſicut Filius imago eſt Patris. Imago autem eſt ſimilitudo expreſſa ab eo, cujus eſt imago.

Inſtabis: neque Scriptura, neque Concilia antiquiora, maximè Conſtantinopolitanum, quod eſt generale ſecundum, aliquid tradunt de proceſſione Spiritus ſancti à Filio, quod dogma, ſi eſſet revelatum, non omiſiſſet Concilium Conſtantinopolitanum, cùm ex profeſſo egerit contra Eunomianos de divinitate Spiritûs ſancti, inſerueritque in Symbolo Nicæno, *qui ex Patre procedit*, omiſſo Filii nomine. Ergo Latini circa fidem innovarunt, atque eo præſertim capite, quòd Symbolo Nicæno ſeu Conſtantinopolitano propria auctoritate particulam, *Filio-*

que, addere præſumpſerint contra prohibitionem etiam ſub anathemate Concilii Epheſini, Chalcedonenſis, III. Conſtantinopolitani, quod eſt ſextum generale, & ſecundi Nicæni etiam generalis, cujus hæc ſunt verba, *nos leges Patrum cuſtodimus, nos eos, qui addunt, vel adimunt anathematizamus*, quibus præceptis inhærens Leo III. anno 809. repulit Legatos Caroli Magni poſtulantis, ut Symbolum Conſtantinopolitanum in Eccleſiâ caneretur inſertâ particulâ, *Filioque*, ut conſtat ex actis collationis, quæ habentur apud Baronium ad hunc annum. Addit Photius in Epiſtolâ ad Aquileienſem Patriarcham, Summum Pontificem, ne quid ſimile in poſterum tentaretur, duas tabulas argenteas in Baſilicâ ſancti Petri repoſuiſſe, in quarum altera Symbolum legeretur Latinè ſcriptum, in altera verò Græcè inſculptum abſque illa voce, *Filioque.*

Reſpondeo 1°. negando ant. quoad Scripturas. Satis enim clarè perhibent Spiritum ſanctum ex Filio procedere, ut conſtat ex allatis textibus, & ex communi ſanctorum Patrum ſenſu, quos laudavimus.

Reſpondeo 2°. Concilia in objectione appellata, de Spiritu ſancto nihil dixiſſe, quia de eo non fuit illa controverſia, niſi in Conſtantinopolitano I. ubi agebatur ſolùm de divinitate Spiritûs ſancti, quam Eunomiani, ſeu Macedoniani ita negabant, ut contenderent Spiritumſanctum eſſe creaturam, & Spiritum Filii, qui nullatenus à Patre procederet. Quapropter Patres ad comprimendas hujumodi blaſphemias intenti, definiunt 1°. Spiritum ſanctum ex Patre procedere. 2°. eſſe cum Patre & Filio ſimul adorandum & conglorificandum: de proceſſione vero ex Filio tanquam dogmate conſtanti, omnino ſilent.

Reſpondeo 3o. diſtinguendo, Concilium Epheſinum, & ſequentia prohibent, ne quid addatur aut immutetur, etiam neceſſarium, aut utile in profeſſione fidei, Nego: ne quid addatur aut immutetur in ipſomet Symbolo Nicæno & Conſtantinopolitano, ſubdiſtinguo, propter periculum turbandi Eccleſiam, quod illis temporibus erat timendum; Concedo: quod ſubſequentibus ſeculis fuit timendum, Nego. Itaque ad comprimendas graſſantes hæreſes Concilia identidem novas proferunt fidei explanationes & definitiones: ſic Concilium Toletanum I. anno 400. intracto Symbolo Nicæno, ſic addit in profeſſione fidei contra Priſcillianiſtas, *credimus Spiritum-ſanctum eſſe Paracletum, qui nec Pater eſt, nec Filius, eo quòd ſit à Patre Filioque procedens.* Sic Concilium Epheſinum 3o. annis poſt Toletanum definiit unam eſſe in Chriſto perſonam, Beatam Virginem credendam Deiparam; ſed hujuſmodi explicationes noluerunt Patres inſerere in Symbolo Nicæno propter Arianos, qui hactenus totis conatibus, quâ vi, quâ arte in Symbolum illud inſurrexerunt, & alia benemulta à ſe exarata proponebant ejus loco amplectenda, etiam principum armata manu: contra verò Patres omnem perſecutionem paſſi ſollicitè caverunt, etiam ſub anathemate, ne vel minimum in Symbolo illo immutaretur. At ubi pax Eccleſiæ eſt reddita, extinctis Arianis, liberum fuit præſulibus hanc vocem, *Filioque*, Symbolo adjicere, propter exortam de proceſſione Spiritus ſancti controverſiam, quemadmodum Patres Conſtantinopolitani occaſione erroris Eunomianorum inſeruerunt eodem Symbolo, *qui ex Patre procedit*. Hoc videntur 1o. præſtitiſſe Patres Concilii tertii Toletani anno 589. qui can. 2. ſtatuerunt ut Symbolum Conſtan-

tinopolitanum cum additione, *Filioque*, per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galliæ decantaretur. Habemus autem ex Valfrido Strabone lib. de rebus Eccleſiaſticis cap. 22. idem Symbolum latiùs & crebriùs apud Gallos & Germanos in Miſſarum officiis cœpiſſe iterari damnato Felice in Concilio Ratiſbonenſi anno 792. Si autem latiùs & crebriùs, antea ergo, licèt minùs frequenter, decantabatur. Obſtitit quidem Leo III. anno 809. Attamen ante exitum ejuſdem ſeculi Sedes Apoſtolica amore pacis & unitatis hanc additionem admiſit, ut conſtat ex Photio, qui eodem ſeculo objicit Nicolao I. & Latinis omnibus, quòd ſacrum Symbolum falſare aggreſſi eſſent, tum ex Ratramno Corbeienſi, qui in lib. 2. cap. 2. criminationem diluit, oſtendens Patres Nicænos & Conſtantinopolitanos etiam addidiſſe Symbolo Apoſtolorum, *ſed neque*, inquit, *centum quinquaginta Epiſcoporum* (qui ſedebant in Concilio Conſtantinopolitano) *tanta conſtat auctoritas, ut quòd illis licuit, non liceat tam Romano Pontifici, quàm univerſis Eccleſiis.* Romæ autem idem Symbolum decantari cœpiſſe, ſub Benedicto VIII. inſtigante Imperatore Henrico I. anno 1014. tradunt Baronius ad hunc annum, & Bona cap. 8. ex Bernone Augienſi.

Q. 5°. *Eſt-ne agnoſcendus aliquis ordo inter divinas perſonas, propter quem Pater debeat primo loco nominari, Filius ſecundo, & Spiritus ſanctus tertio?*

R. Eſt ordo originis, non temporis, aut dignitatis propriè dictæ. Tres ſunt reſponſionis partes.

Prima pars ſic oſtenditur. Ordo originis in eo conſiſtit, quòd una perſona reſpectu alterius habeat rationem principii, atque ideo priùs conſideretur: atqui ita ſe habent divinæ perſonæ. Namque Pater eſt ingenitus, & à nullo proce-

dens, & eſt principium Filii, & Spiritûs ſancti, Filius verò eſt à Patre, & unà cum ipſo eſt principium Spiritûs ſancti: ergo ordine originis Pater prior eſt Filio, hoc eſt, priùs conſideratur, Filius verò Spiritu-ſancto. Ita ferè ſancti Baſilius & Gregorius Nyſſenus ſuprà laudati.

Secunda pars demonſtratur ratione duplici. Prima, quia Deus ab æterno neceſſariò eſt intelligens & volens, imò ex dictis in Tractatu de Attributis, realiter eſt intellectio actualis & volitio. Ergo Filius & Spiritus-ſanctus, qui ſunt termini, ille divinæ intellectionis, iſte divinæ volitionis, neceſſariò ſunt ab æterno. Secunda ratio eſt, quia Deus eſt ſubſtantia in ſe ſubſiſtens, & ultimo completa tribus ſubſiſtentiis, nec magis unam exigit, quàm aliam: atqui tres illæ ſubſiſtentiæ ſunt tres proprietates perſonales, nempe Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva. Ergo tres illæ ſubſiſtentiæ neceſſariò & æqualiter ſunt ab æterno.

Tertia pars, quæ eſt de dignitate æquali, probatur: tum quia tres perſonæ ſunt conſubſtantiales, & ejuſdem naturæ: tum quia perfectius & dignius non eſt producere, quàm produci, cùm & principium producens, & terminus productus identificentur cum naturâ divinâ, ſint que realiter infinitæ in omni genere perfectionis, ac proinde omninò æquales, licèt Paternitas nomine tenus ſonet aliquam dignitatem, ut ſupra dicebat S. Baſilius.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat, ut habetur in Symbolo, quod dicitur ſancti Athanaſii, à pluribus ſeculis in Eccleſiâ recepto.

Ex his neceſſariò concluditur eſſe in Deo quinque notiones, proceſſiones duas, nec plures; & quatuor relationes reales, ex quibus

exurgunt relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis. Concluſio exponitur quoad ſingulas ejus partes.

Quoad notiones; definitur enim notio, character, ſeu nota quandam dignitatem exprimens, quâ una perſona diſtinguitur ab aliâ: atqui ſunt quinque hujuſmodi notæ, ſcilicet innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva. Ergo ſterilitas in Spiritu ſancto non eſt notio; quia non ſonat aliquam dignitatem. Per inaſcibilitatem autem deſignatur primum principium à nullo alio procedens; unde primariò innaſcibilitas ſignificat aliquid poſitivum; ſecundariò verò negationem cujuſcunque proceſſionis, ſive generatio ſit, ſive ſpiratio paſſiva. Activa verò ſpiratio, licèt non diſtinguat Filium à Patre, diſtinguit tamen à Spiritu ſancto, quod ſufficit ad rationem notionis. Porrò à notionne deducitur terminus notionalis, id eſt terminus ſignificans proprietatem perſonalem.

Quoad proceſſiones, quia definitur proceſſio, emanatio unius perſonæ ab aliâ: atqui duæ ſunt ejuſmodi emanationes, ſcilicet filiatio, & ſpiratio paſſiva, quibus conſtituuntur ſecunda & tertia perſona, ac proinde duæ perſonæ emanantes. Ergo duæ ſunt in Deo proceſſiones, nec plures eſſe poſſunt; quia tot poſſunt eſſe proceſſiones quot actus immanentes: atqui in natura intelligente duo tantùm poſſunt eſſe actus immanentes; unus per intellectum, alter per voluntatem. Ergo.

Quoad relationes; namque relatio eſt ordo, ſeu reſpectus unius ad alium; atqui in Deo quatuor ſunt reſpectus; ſcilicet paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva; nam Pater ut Pater reſpicit Filium, & viciſſim Filius Patrem;

nemo ſiquidem eſt ſui ipſius pater aut filius. Similiter ſpirans & ſpiratus mutuò ſeſe reſpiciunt; ergo in Deo quatuor ſunt relationes, & quidem reales; nam ad relationem realem tria requiruntur, nempe ſubjectum, fundamentum, & terminus realiter diſtinctus: atqui iſta tria verè ſunt in Deo. 1°. ſubjectum, eſt perſona, in quâ eſt relatio. 2°. fundamentum, cur una perſona referatur, eſt productio ſive proceſſio, Pater realiter producit, Filius producitur, ſeu procedit. 3°. terminus realiter diſtinctus relationis patris eſt filius, & viciſſim. Ex quibus exurgunt relationes identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis: illi enim ſunt unum & idem, æquales & ſimiles; qui habent eandem naturam, æquales & ſimiles perfectiones; atqui tales ſunt divinæ perſonæ inter ſe comparatæ: Ergo.

Dices 1o. in Deo præter intellectum & voluntatem, duo ſunt aliæ potentiæ productivæ actuum immanentium, nempè memoria, & omnipotentia: ergo præter duas recenſitas proceſſiones, aliæ duæ admitti debent, & ita quatuor in Deo numerandæ ſunt proceſſiones.

Nego anteced. tum quia in Deo non eſt memoria propriè dicta; cùm omnia ſint ipſi præſentiſſima per actualem cognitionem, tum quia omnipotentia non operatur immanenter, ſed ſolùm ad extra; Deus enim non dicitur omnipotens, niſi per ordinem ad creaturas, ſive poſſibiles, ſive exiſtentes.

Dices 2°. Filius & Spiritus-ſanctus non minùs intelligunt, quàm Pater: ergo cùm Pater intelligendo producat Verbum, quod eſt ſecunda perſona, Filius & Spiritus ſanctus ſimiliter producunt, ac proinde erunt quatuor proceſſiones.

Diſtinguo anteced. Filius & Spiritus-ſanctus

intelligunt intellectione eſſentiali, quæ eſt cummunis tribus perſonis, ſicut & alia attributa abſoluta, v. g. omnipotentia, æternitas, immenſitas, Concedo: intellectione notionali, quæ includit paternitatem, Nego antecedens. Porrò Pater non producit Verbum per intellectionem eſſentialem, ſed per notionalem.

Dices 3o. proceſſio infinita continet omnem omninò proceſſionem: atqui proceſſio Filii eſt infinita: Ergo in eâ realiter includitur proceſſio Spiritûs-ſancti, ac proinde unica eſt in Deo proceſſio, ſicut unicam eſſe Dei ſcientiam diximus, quæ ſecundùm noſtrum modum concipiendi dividitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis.

Diſtinguo maj. proceſſio infinita in omni genere perfectionis, continet omnem proceſſionem, Concedo: infinita in uno genere perfectionis: nempe in genere intellectionis, ſubdiſtinguo, includit omnem proceſſionem in illo genere, Concedo; neque enim admittimus plures terminos divinæ intellectionis, ſed unicum Verbum: Includit omnem proceſſionem in alio genere, putà amoris, Nego maj. Porrò Spiritus ſanctus non procedit ut terminus intellectionis, ſed ut terminus amoris.

Inſtabis: perſona divina debet eſſe perfecta in omni genere perfectionis: atqui Filius eſt perſona divina: ergo eſt perfectus in omni genere perfectionis, ac proinde habet in ſe proceſſionem Spiritûs-ſancti, nec fingenda eſt altera perſona procedens.

Diſtinguo maj. debet eſſe perfecta in omni genere perfectionis ſimpliciter ſimplicis, Concedo: ſimplicis tantùm, Nego maj nam ex dictis in Tractatu de Attributis omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices ſunt in Deo formaliter,

ſimplices verò nonniſi virtualiter, aut eminenter. Conſule quæ in hanc rem dicta ſunt cap. 8. tract. de Attributis divinis. Porrò paternitas, filiatio, & ſpiratio ſive activa, ſive paſſiva, non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, nec melius aut perfectius eſt habere paternitatem, aut filiationem, quàm non habere. Adde quòd perfectiones illæ relativæ ſunt formaliter in naturâ divinâ, quæ ineſt in ſingulis perſonis, unde exurgit mirabilis illa circuminſeſſio, de quâ Chriſtus Dominus, Joan. 14. verſ. 10. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.*

Circuminſeſſio autem definitur à Theologis, intima exiſtentia unius perſonæ in altera ſine confuſione perſonæ. Cùm ergo paternitas non diſtinguatur realiter à naturâ divinâ, quæ eſt in Filio & Spiritu ſancto, verè ſcripſit ſanctus Fulgentius lib. de Fide cap. 1. *Totus Pater in Filio & Spiritus-ſancto, & totus Filius in Patre & Spiritu-ſancto, & totus Filius & Pater in Spiritu-ſancto eſt.*

Urgebis: beatius eſt dare, quàm accipere, Act. 20. Ergo Pater beatior & perfectior eſt Filio, & Filius Spiritu ſancto.

Diſtinguo anteced. beatius eſt in moralibus; quia magis meritorium eſt dare elemoſynam, quàm accipere, Concedo: in phyſicis, poteſt abſolutè negari; nam ignis ab alio igne productus, eſt ejuſdem cum producente perfectionis, ſubdiſtinguo, beatius eſt dare in phyſicis cum dependentiâ, qualis eſt dependentia effectûs à causâ, Concedo: ſine dependentiâ, Nego anteced.

Urgebis ampliùs: atqui repugnat perſonam divinam quocunque modo ab aliâ procedere. Namque Deus eſt primum principium, ens à ſe, & non ab alio: atqui ſi perſona divina procederet, Deus non eſſet primum principium, eſſet ens ab

alio, & non à ſe: Ergo.

Nego ſubſumptum, cujus confirmationis minorem diſtiguo: ſi perſona divina procederet ab alio, tanquam à causâ efficiente, & cum dependentiâ, Concedo: ſi procederet ab alio tanquam à principio, Nego min. Itaque diſtinguendum eſt inter cauſam efficientem, & principium: cauſa efficiens eſt, ea quæ influit eſſe in aliud per veram actionem, quæ eſt ejus cauſalitas: per vocem autem, *aliud*, intelliguntur res naturæ diverſæ ſaltem numero. Unde ad cauſam propriè dictam duo requiruntur, primum ut cauſa habeat naturam ab effectu diſtinctam, ſic ignis producens, & ignis productus ſunt naturâ numericâ diſtincti. Secundum, ut cauſalitas cauſæ efficientis ſit vera actio, cui reſpondeat in termino producto paſſio propriè dicta, adeo ut fiat mutatio realis in effectu, ſeu termino producto, utpote qui non habeat eſſe neceſſarium, ſed tranſeat à potentiâ ad actum, ac proinde dependeat in fieri à causâ efficiente. At principium ſtrictè ſumptum, & prout à causâ diſtinguitur, (nam aliquando ſumitur generaliùs pro eo omni, à quo aliquid eſt quo ſenſu omnis cauſa eſt principium, & Deus vocatur rerum omnium primum principium id eſt, prima cauſa,) eſt id à quo alius ducit originem.

Dicitur 1°. *alius*, id eſt alia perſona, non verò aliud, id eſt alia natura. Hinc exiſtit effatum illud Theologorum, in Deo eſt alius, & alius, id eſt, alia & alia perſona, non verò aliud & aliud, id eſt, alia & alia natura.

Dicitur 2°. *ducit originem;* hoc eſt, exit ſine verâ paſſione, aut ſui mutatione, & dependentiâ. Porrò in divinis perſona producens non eſt cauſa perſonæ procedentis, ſed principium ſtri-

ctè ſumptum; unde non repugnat perſonam divinam ab aliâ procedere; cùm ejus proceſſio non ſit vera paſſio. aut mutatio à non eſſe ad eſſe, ſicut nec productio ejuſdem vera actio; ipſique conveniant omnia divina attributa; etenim verè eſt primum principium; quia per omnipotentiam, quam habet communem cum perſonâ producente, eſt cauſa rerum omnium: verè eſt ens à ſe & non ab alio, quia ens deſignat eſſentiam, quæ una eſt in tribus perſonis improducta, ſed ſolùm communicata in procedentibus. Ideoque non ſunt dicenda ſimpliciter tria entia in Deo, ſicut rectè dicimus tres perſonas, *te unum eſſe, vivere, & intelligere profitemur*, canit Eccleſia.

Attamen quia ſanctus Auguſtinus lib. 1°. de Doctrinâ Chriſtianâ capite 3. ſcribit tres perſonas divinas eſſe tres res, quibus fruendum eſt nobis, & ſanctus Anſelmus lib. de Incarnatione capite 3. ſic habet, *nihil prohibet duas perſonas, Patrem & Filium, dicere duas res*, cùm ſint quid poſitivum, exiſtantque realiter; nonnulli Theologi concludunt, ergo tria ſunt entia, ſeu tres entitates, ſed relativæ; quia res, ens, & entitas ſunt termini ſynonimi, ergo & tres unitates, tres veritates, tres bonitates relativæ; quia unum, verum, bonum, ſunt proprietates entis: ergo & tres exiſtentiæ; quia tres illæ res, ſeu entitates exiſtunt actu: ergo & tres perfectiones quia bonum, & perfectum non differunt. Perfectiones, inquam, non ſimpliciter ſimplices, ſed ſimplices tantùm & relativæ.

Verùm, juxta illorum Theologorum ratiocinium, dicendæ etiam eſſent tres æternitates, immenſitates, & deitates; quia quælibet perſona ſicut eſt exiſtens, ita quoque eſt æterna immenſa, & divina: hanc tamen conſequentiam nullus admittet, ut potè abſurdam. Cùm ergo quælibet

perſona ſit divina per unicam deitatem, æterna & immenſa per unam æternitatem & immenſitatem, eſt pariter exiſtens per unam exiſtentiam, bona & perfecta per eandem bonitatem & perfectionem.

Confirmatur tum ex ſanctis Patribus, qui conſtanter docent unum eſſe ſummum bonum, unam ſummam veritatem, & bonitatem; tum ex Eccleſiæ regulâ in Symbolo, quod dicitur ſancti Athanaſii, in quo concedit ut dicamus quamlibet perſonam æternam, immenſam, omnipotentem; non verò tres eſſe æternos, immenſos, omnipotentes; quamvis enim illud poſterius abſolutè dici poſſet, quia, ut jam notavimus, ad multiplicationem concretorum adjectivorum, qualia ſunt iſta nomina, æternus, immenſus, omnipotens, non requiritur multiplicatio formæ, ſed ſufficit multiplicatio ſubjecti; Eccleſia tamen prohibet iſtum modum loquendi, tres ſunt æterni, immenſi, ne per hanc vocem, *tres*, deſignari videantur tria individua, ut contingit in creatis, ad quam æquivocationem tollendam dicendum eſt, tres perſonæ ſunt æternæ, immenſæ, omnipotentes.

Urgebis iterum: proceſſio quæcunque, etiamſi ſit ſine dependentiâ, & à principio ejuſdem naturæ cum termino, neceſſariò mutationem includit; vel enim eſt ab eſſe ad eſſe, vel à non eſſe ad eſſe. Primum dici non poteſt, utpote contradictorium; quia ſine proceſſione perſona, quæ ſupponitur procedere, eſſet, & non eſſet: eſſet quidem, quia eſſe illius priùs intelligeretur quàm proceſſio: non eſſet etiam, quia terminus per proceſſionem productus, eſſet perſona procedens. Secundum verò denotat mutationem, ſcilicet à non eſſe perſonæ procedentis ad eſſe illius, quemadmodum in hypoteſi ſecundùm benemultos poſ-

ſibili, quod creatura extiterit ab æterno, creatio illius quamvis æterna, eſſet vera mutatio à non eſſe creaturæ ad eſſe illius.

Nego propoſitionem, & ratiocinium in ejus confirmationem adductum, quod concludit ſolùm in rebus creatis, quarum exiſtentia non eſt neceſſaria, ſed abſolutè contingens; ac proinde earum productio ſeu creatio, etiamſi æterna ſupponatur (quod cum pluribus credimus impoſſibile) eſt tranſitus à non eſſe ad eſſe, à potentiâ ad actum, atque ideo vera mutatio. At in Deo omnia ſunt actus, ſummè neceſſarius, puriſſimus, & ſimplicimus, omnis potentialitatis & compoſitionis realis expers, æqualiter ſubſiſtens. Unde una perſona non procedit à non eſſe ſui, quia nullam potentialitatem aut mutationem admittit, cùm ſit actus infinitè neceſſarius & purus: neque ab eſſe ſui, quia non præſupponitur ſuæ proceſſioni, ſed eſſe illius eſt procedere à principio, cum quo eſt quid unum in naturâ.

Dices 4°. Pater vel eſt perfectus ſine Filio, vel non: ſi primum, ergo fruſtra Filius illi adjungitur: ſi ſecundum, ergo ex Patre & Filio perfectus Deus exurgit.

Reſp. in Patre duo eſſe attenda, nempe divinitatem, & paternitatem. Pater eſt perfectus Deus ſine Filio; quia habet divinitatem in ſuis perfectionibus indiviſibilem, & paternitate ſubſiſtentem. Eſt quoque perfectus Pater ſine aliquo intrinſecùs ſibi adjuncto, non autem ſine alio exteriùs connotato, ſcilicet Filio, namque ſine Filio Pater non eſſet.

Dices 5°. Pater vel volens genuit Filium, vel nolens: ſi nolens; ergo invitus & coactus genuit; ſi volens; ergo contingenter, ac proinde eſt Filius adoptivus, ſicut ceteri, de quibus S. Jacobus, *Voluntariè genuit nos*.

Reſpondeo, nec volens, nec nolens Pater genuit Filium, ſed naturâ; nec coactè, nec liberè, ſed neceſſariò, quemadmodum nec volens, nec nolens, nec liberè nec coactè, ſed naturaliter eſt omnipotens, bonus, &c. Poteſt etiam dici volens concomitanter genuiſſe, quatenus mirabilis illa generatio infinitè ipſi complacuit; non verò principiativè, quaſi voluntas fuerit principium divinæ hujuſce generationis.

CAPUT VIII.

Satisfit nonnullis quæſtionibus circa divinas Proceſſiones.

Q. 1°. *Quodnam eſt Principium divinarum Proceſſionum?*

R. Principium *quod*, ſeu denominationis, eſt perſona producens: principium *quo* remotum, eſt natura divina, & principium *quo* proximum proceſſionis Filii, eſt intellectus notionalis; proceſſionis vero Spiritûs ſancti, eſt voluntas notionalis. Quæ reſponſio explicatur exemplo viſionis humanæ, cujus principium *quod* eſt homo, ab eâ enim denominatur videns: principium *quo* remotum eſt natura humana, quia eſt radix facultatis viſivæ, & conſequenter viſionis: principium *quo* proximum eſt ipſa facultas viſiva, quia per eam homo proximè videt. Sic Pater in divinis eſt principium *quod* generationis Filii: ab eâ enim denominatur generans: natura divina principium *quo* remotum, eſt enim prima radix fœcunditatis paternæ: intellectus verò notionalis, principium *quo* proximum; quia immediatè per intellectum notionalem generat Filium. Similiter per voluntatem notionalem, ſeu

ſpirationem activam, Pater & Filius immediatè ſpirant Spiritum ſanctum. Ergo. Ita omnes Theologi, ſolo Durando refragante. Et ratio eſt, quia nec Filius diceretur Verbum, nec Spiritus-ſanctus amor & donum, niſi ille procederet per intellectum, hic verò per voluntatem. Deide ſi Filius & Spiritus-ſanctus immediate procederent per naturam divinam, unus eorum eſſet modus procedendi, ac proinde unica in Deo eſſet proceſſio.

Dixi, *intellectus notionalis*, hoc eſt, paternitate affectus, & *voluntas notionalis*, id eſt habens ſpirationem adjunctam. Namque facultates illæ, ſi abſolutè & eſſentialiter ſpectentur, non ſunt principia proceſſionum; cùm intellectus eſſentialis ſit in Filio & Spiritu-ſancto & voluntas eſſentialis æquè in Spiritu-ſacto, ac in Patre & Filio, nec tamen intellectus in Filio, aut Spiritu-ſancto producit Verbum, nec voluntas amorem in Spiritu ſancto.

Intellectio & volitio notionaliter ſumptæ, propriis nominibus vocantur, dictio, à verbo, dicere, quod ſignificat, cognoſcendo Verbum exprimere, & ſpiratatio, à verbo ſpirare, quod eſt volendo & amando amorem producere.

Notiones itaque divinæ conferunt ad proceſſiones, cùm ſine illis intellectio & volitio ſint infœcundæ, illa in Filio & Spiritu-ſancto, utraque in Spiritu ſancto

Difficultas autem eſt, quomodo conferant, an velut meræ conditiones, an verò tanquam principia; adeo ut filiatio v. g. emanet ab intellectione & paternitate ſimul, ut à principio *quo* adæquato.

Hic variè opinantur Theologi, ut ſolet in iis, quæ humanum captum effugiunt, non prælucente revelatione.

Alii contendunt Paternitatem cum intellectio-

ne conſtituere principium *quo* adæquatum Filii, & ſpirationem activam cum volitione principium Spiritus-ſancti, tum quia principium *quo* debet realiter diſtingui à termino, namque principium *quo* concipitur ſicut potentia, à quâ eſt influxus in actum realem: Porrò inter potentiam, & actum verè productum eſt oppoſitio, ac proinde diſtinctio. Atqui intellectio & volitio realiter opponuntur terminis productis, nec ab iis realiter diſtinguuntur, bene autem paternitas & ſpiratio activa: ergo principium proceſſionum ſunt ipſæmet notiones, ſcilicet paternitas & ſpiratio activa: tum quia paternitas, & ſpiratio activa non poſſunt intelligi tanquam meræ conditiones, ſine quibus principium non influeret; ſiquidem conditio eſt, vel ad determinandam potentiam, vel ad uniendam illam cum ſubjecto, ſicut approximatio ignis ad lignum: atqui hæc conditionis officia in divinis locum non habent, ubi intellectus & voluntas ſemper ſunt in actu, & objectum præſentiſſimum. Ergo.

Objici poſſet, paternitatem eſſe meram ſubſiſtentiam, & relationem: atqui munus ſubſiſtentiæ non eſt agere, ſeu producere, ſed ſolùm terminare naturam, & ultimò complere. Relationis verò perſonam referre ad alium, tanquam ad terminum; unde tantùm abeſt, ut producat terminum, quin illum ſupponit productum, cùm ex illo exurgat.

Reſpondent hujus ſententiæ Patroni diſtinguendo, ſubſiſtentia genericè ſumpta non eſt activa, Concedunt: ſpecificè ſumpta, Negant: quemadmodum animal genericè ſumptum, rationale non eſt, ſed ſolùm animal ſpecificè; nam ratiocinatur in homine, qui eſt ſpecies animalis; ſic ſubſiſtentia ex ſuâ ratione genericâ neque

eſt paternitas, neque relatio, neque principium; ſed ſi ſpecificè conſideretur in Patre, hæc attributa ipſi conveniunt. Relatio item in genere nihil eſt niſi ordo, & reſpectus ſubjecti ad terminum; ſed in ſpecie, alia eſt accidentalis & categorica, quæ exurgit ex fundamento & termino, ut relatio ſimilitudinis, alia tranſcendens & ſubſtantialis, ut potentiæ activæ ad ſuum actum. Porrò relationes perſonales, v. g. paternitas, ſunt ſubſtantiales & activæ, nec ſupponunt terminum, ſed illum producunt.

Communior eſt tamen opinio, notiones divinas non eſſe activas, ſed ſe habere ad principium *quo*, ut conditiones & quaſdam affectiones divinæ intellectionis & volitionis, quemadmodum Petreïtas non eſt principium *quo* operationum Petri, ſed ſola natura humana in Petro determinata per ejus differentiam numericam, ſcilicet Petreïtatem; Petrus enim non generat, nec operatur per Petreïtatem, ſed per potentias ingenitas naturæ humanæ, quæ eſt in ſententiâ plurium Philoſophorum formaliter una in ſingulis hominibus, ſed non operatur niſi ut contracta per differentiam numericam, quâ ſolâ homines inter ſe diſtinguuntur. Quidni pariter intelligemus Patrem in divinis producere Filium per intellectionem, quæ nudè ſpectata una eſt in tribus perſonis, ſed determinata per paternitatem, ita ut intellectio ſit ratio producendi, paternitas verò ratio diſtinguendi?

Q. 2°. *Quis eſt terminus formalis divinarum proceſſionum?*

R. Terminus *qui* eſt perſona procedens: terminus *quo* duplex eſt, alius productus, & eſt ipſa perſonalitas producta, ſcilicet Filiatio & ſpiratio paſſiva: terminus *quo* communicatus, & eſt natura divina; ipſa enim non producitur,

ſed communicatur. Proceſſio itaque principiativè ſumpta eſt productio & communicatio ſimul, ſicut nutritio in homine fit per productionem novæ ſubſtantiæ, ſeu converſionem alimenti in ſubſtantiam hominis, & per communicationem animæ rationalis, quæ in nutritione non producitur, ſed communicatur ſubſtantiæ adgenitæ. Hinc Pater nonniſi impropriâ & metaphoricâ locutione dicitur à ſanctis Patribus fons & origo totius divinitatis; quia deïtas, ſeu eſſentia divina non procedit, ſicut definitum eſt in Concilio quarto Lateranenſi, can. *Damnamus.*

Dices: terminus formalis cujuſcunque productionis ſubſtantialis eſt natura, in eâ ſiquidem intendit agens ſibi aſſimilare effectum: Ergo.

Nego antecedens, cujus confirmationem diſtinguo, agens intendit ſibi aſſimilare effectum, vel producendo, vel communicando ſuam naturam, tranſeat: producendo ſemper, Nego. Pater enim humanus aſſimilat ſibi filium in naturâ, non producendo animam rationalem, ſed commmunicando. Sic in divinis Pater producit filiationem, Pater & Filius ſpirationem paſſivam, neuter naturam divinam, ſed eam communicant, ſcilicet Pater Filio, Pater & Filius ſimul Spiritui ſancto.

Q. 3°. *Proceſſio ſecundæ perſonæ eſt-ne potiùs generatio, quàm proceſſio tertiæ?*

R. Eſt: ſic enim vocatur in Scripturis, Iſa. 53. *generationem ejus* (qui vulneratus eſt propter peccata noſtra) *quis enarrabit?* Pſalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et Pſal. 109. *ex utero ante luciferum genui te.* Quæ nuſquam dicuntur de proceſſione Spiritûs ſancti, imò conceptis verbis ſecunda perſona dicitur Joan. cap. 3. Filius unigenitus; *ſic... Deus dilexit mundum, ut Filium*

ſuum unigenitum daret. Ergo Spiritus ſanctus nullatenus eſt genitus, ſed procedens, ut habetur in Symbolo S. Athanaſii nuncupato.

Confirmatur: illa proceſſio eſt vera generatio, cui convenit definitio generationis propriè dictæ: atqui definitio generationis proprè dictæ convenit proceſſioni ſecundæ perſonæ: ergo.

Definitur autem generatio, origo viventis à vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ vi productionis.

Dicitur 1o. *origo*, id eſt proceſſio, quâ accipitur eſſe, non de nihilo, ut fit per creationem, ſed de alterius ſubſtantiâ.

Dicitur 2°. *viventis*: quia terminus generationis debet eſſe vivens; unde productio metalli in viſceribus terræ non eſt generatio.

Dicitur 3o. *à vivente:* quia generatio eſt actio vitalis, à principio vitaliter producente; quare productio Evæ ex coſtâ Adami non fuit generatio; quia ad eam Adamus non concurrit vitali modo.

Dicitur 4°. *principio conjuncto*, quo ſignificatur ſubſtantiam Patris per generationem communicari Filio, unde Pater & Filius dicuntur ſubſtantialiter conjuncti.

Dicitur 5o. *in ſimilitudinem naturæ*, quia Pater & Filius debent eſſe ejuſdem ſpeciei.

Dicitur 6o. *vi productionis* ita ut modus procedendi ſit ratio, cur id quod procedit, ſit in naturâ ſimile principio.

Porrò expendenti patebit ſex illas generationis conditiones convenire proceſſioni ſecundæ perſonæ: eſt vivens à principio vivente, habetque eandem cum illo naturam, & quidem vi proceſſionis, quæ cùm ſit per intellectum, efficit ut perſona ſic procedens ſit Verbum, imago Patris, ſapientia, candor lucis æternæ; quæ

nomina exprimunt ſimilitudinem procedentis cum ſuo principio, & veras Filii proprietates, ut ſanctus Auguſtinus, & alii Patres communiter animadvertunt, *eo ipſo Filius* (inquit ſanctus Auguſtinus tract. 44. in Joan.) *quod Verbum:* quin & cap. 1. S. Joannis, Scriptura inferre videtur ſecundam perſonam eſſe Filium unigenitum, ex eo quòd ſit Verbum. *Verbum*, inquit, *caro factum eſt... & vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à Patre.*

Q. 40. *Cur proceſſio, quæ fit per intellectionem, eſt potius generatio, quàm proceſſio, quæ fit per volitionem, cùm amans ſuo modo fiat unum cum objecto amato, ſicut intelligens cum objecto cognito: ille moraliter, & affectivè, hic intentionaliter & repræſentativè, neuter in ſubſtantiâ & naturâ, quantumcunque perfectus, vel etiam infinitus cogitetur; quemadmodum ſi Pictor infinitè perfectus fingeretur, imago non eſſet ab eo expectanda infinita in eſſendo, ſed ſolùm in repræſentando; vel certè ſi intelligens infinitus producit terminum ſimilem in naturâ objecto cognito, quidni & amans infinitus producit terminum, qui unum ſit cum objecto amato.*

R. Hìc recurrit illud Iſaïæ 53. *generationem ejus quis enarrabit? Generatio*, ait ſanctus Gregorius Nazianus orat. 10. *honoretur ſilentio.* Eſt enim myſterium nonniſi in patriâ revelandum. *Diſtinguere inter illam generationem & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. & ſanctus Joannes Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 2. *Generationem à proceſſione differre compertum habemus ſed qui sdifferentiæ modus, ignoramus.* Quin & ſancti Irenæus lib. 2. contra hæreſes cap. 48. & Athanaſius oratione 3°. inſanos pronuntiant, qui divinæ generationis rationem enarrare præſumpſerint; & hæc eſt unica Sanctorum reſponſio adversùs argutias Hæreticorum ex Philoſophiâ

petitas. Enimverò fides noſtra Dei revelationeni-
titur, non ratiocinio humano in enucleandis no-
ſtris myſteriis per ſe non ſatisfirmo, nec ad per-
ſuadendum efficaci.

Verùm iidem ſancti Patres, ubi Catholicis myſterium illud explanare ſtudent, probabilibus conjecturis diſcrimen definiunt divinam generationem inter & proceſſionem, illudque præſertim repetunt ut ſanctus Auguſtinus in Pſal. 44. lib. 9. de Civit. Dei cap. 12. S. Athanaſius orat. 3°. ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 36. alii, ex eo quod ſecunda perſona, non verò tertia, procedat ut Verbum, ſeu terminus cognitionis paternæ, ac proinde ut vivens Patris imago ab eo deducta, & verus Filius; namque proprium eſt intellectûs genericè ſpectati aſſimilare ſibi objectum cognitum, ejuſque imaginem exprimere, Eſto illa objecti imago ab intellectu creato efformata ſit ſolùm intentionalis, id eſt, in repræſentando, non verò in eſſendo ſimilis, nec prudenter ſine revelatione ſic argumentaremur: intellectus creatus & imperfectus cognoſcendo producit imaginem ſolùm intentionalem: ergo intellectus increatus & infinitè perfectus producit imaginem ſubſtantialem, & in naturâ ſimilem. Attamen ex his, & ſimilibus propoſitionibus revelatis, ſecunda perſona procedit ut Verbum, eſt Patris Filius unigenitus, Theologus rectè concludit: ergo intellectus divinus producit Verbum, ſeu terminum objecto cognito ſimilem, non ſolùm in repræſentando, ſed etiam in eſſendo.

Jam verò de voluntate, per quam procedit Spiritus-ſanctus, idem nequit dici: tum quia Scripturæ nullum præbent fundamentum ita ſentiendi: tum quia voluntatis genericè ſpectatæ non eſt aſſimilare objectum, ſed objecto

amantem unire per amorem, qui genericè & ſpecificè eſt unio, duo moraliter & affectivè copulans, amantem ſcilicet & amatum, & ſic utrumque unum morale efficiens. Addo, etiamſi fingeretur voluntatem perfectiſſimam unum phyſicè conſtituere ex amante & amato, illud non fieret per realem productionem, ſed per unionem unius cum alio, nec conſequenter ejus actio eſſet vera generatio.

Dices 10. Spiritus-ſanctus habet naturam divinam ex vi ſuæ proceſſionis: ergo ejus proceſſio eſt generatio.

Probatur anteced. 1°. quia Spiritus-ſanctus non habet naturam divinam à ſe: ergo ab alio: ergo vi ſuæ proceſſionis. 2°. quia omne agens intendit producere ſibi ſimile: ergo Pater & Filius per ſpirationem Spiritum-ſanctum ſibi aſſimilant, ac proinde Spiritus-ſanctus ſimilis eſt Patri & Filio vi ſuæ proceſſionis. 3°. quia Spiritus-ſanctus procedit ut Deus: ergo ut ſimilis in naturâ.

Nego antecedens, & ad ſingula, quæ in ejus confirmationem proferuntur, reſpondeo.

Ad primum, nego poſteriorem conſequentiam; quia ex eo quòd Spiritus ſanctus non habeat naturam divinam à ſe ſed ab alio, non ſequitur illam habere vi proceſſionis. Habet quidem procedendo, ſed non vi proceſſionis; quod explicatur exemplo Euchariſtiæ, in quâ Corpus & Sanguis Chriſti Domini ponuntur quidem ſub ſolis ſpeciebus panis per verba conſecrationis, ſed cum hoc diſcrimine, quòd ſolum corpus vi verborum ponatur, Sanguis verò per concomitantiam, & propter naturalem unionem, quam habet cum Corpore. Sic in Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis cum ſpiratione paſſivâ, quæ vi proceſſionis producitur, etiam natura divina

communicatur, ſed identicè: &, ſi ita loquis fas eſt, materialiter & ratione ſubjecti, quia in Deo omnia ſunt realiter unum.

Ad ſecundum, diſtinguo antecedens, omne agens intendit producere ſibi ſimile, vel in naturâ vel in aliquâ proprietate, Concedo: in natura ſemper, Nego anteced. Sol v. g. non intendit producere Solem, ſed effectum alterius naturæ, qui tamen ſit aliqua expreſſio virtutis, quæ in ipſo eſt. Sic ſpiratio paſſiva reſpondet ſpirationi activæ tanquam amor per ipſam expreſſus.

Ad tertium, Nego anteced. nam Spiritus-ſanctus non procedit ut Deus, ſed ut amor, qui identicè & realiter eſt Deus.

Ergo, inquies, Spiritus-ſanctus eſt Deus per accidens; vel enim eſt Deus per ſe, vel per accidens: non eſt Deus per ſe: ergo per accidens.

Nego conſeq. & probationis minorem. Licèt enim vi proceſſionis Pater non ſit Deus, cùm nullatenus procedat; nihilominus eſt Deus per ſe, quia natura divina exigit ſubſiſtere paternitate. Sic Spiritus-ſanctus eſt Deus per ſe; quia natura divina non minùs neceſſariò ſubſiſtit ſpiratione paſſivâ, quàm paternitate, & filiatione.

Dices 2°. ſi Verbum procederet ut ſimile in naturâ objecto cognito, ſequeretur eſſe ſimile in naturâ rebus creatis; quia procedit ex cognitione tum Patris, tum rerum creatarum.

Nego ſequelam; in hypotheſi enim mox explanandâ, quòd Verbum procedit ex cognitione creaturarum, non ſequitur eis ſimile eſſe in naturâ, ſed habere eandem cum Patre naturam, quæ realiter eſt rerum omnium idea, quatenus eſt participabilis & imitabilis à creaturis, & in quâ Deus cetera videt: ut dictum eſt, ubi de Attributis. Tantùm ergo abeſt ut Verbum ſit

imago rerum creatarum, & ipſis ſimile in naturâ, quin imò ipſæ creaturæ ſunt imperfectæ ejus imagines, quatenus ſunt quædam participationes eſſentiæ divinæ, quæ in ipſo eſt vi ſuæ proceſſionis, & in quâ tam ipſe quàm Spiritus ſanctus ommnia vident, æque ac Pater.

Q. 50. *Ex quarum rerum cognitione procedit Verbum?*

R. Procedit ex cognitione rerum omnium, ſed non uno modo; nam ex cognitione eſſentiæ divinæ, & attributorum, tum abſolutorum, tum relativorum, ac proinde trium perſonarum, & creaturarum poſſibilium, abſolutè & neceſſariò formaliter procedit: ex cognitione verò rerum futurarum non procedit neceſſariò, niſi ex hypotheſi, quòd decreta fuerit earum exiſtentia. Prima pars reſponſionis eſt contra Scotiſtas, qui docent Verbum procedere ex ſolâ notitiâ eſſentiæ divinæ, & attributorum abſolutorum. Secunda verò contra Thomiſtas, qui cenſent Verbum produci ex notitiâ eſſentiæ divinæ, omnium attributorum, & creaturarum poſſibilum, non verò futurarum.

Probatur prima pars; quia una eſt realiter in Deo cognitio, eaque æterna, perfectiſſima, & comprehenſiva rerum omnium cognoſcibilium, unus quoque hujuſce cognitionis terminus, quod Verbum divinum, & ſecundam perſonam dicimus. Ergo Verbum procedit ex cognitione rerum omnium.

Confirmatur ex ſancto Auguſtino, qui lib. 11. Conf. cap. 7. ſic ſcribit, *Verbum ſempiternè dicitur, & eo ſempiternè dicuntur omnia; neque enim finitur, quod dicebatur, nec dicitur aliud, ut dici poſſint omnia, ſed ſimul ac ſempiternè omnia.* Ubi ſanctus Doctor definit Patrem non ſucceſſivè, ſed unico Verbo omnia intelligere etiam futura, ut clariùs ſe ex-

plicat lib. 15. de Trinitate c. 14. *novit omnia Deus Pater in ſe ipſo, novit in Filio: ſed in ſeipſo tanquam ſeipſum, in Filio tanquam Verbum ſuum, quod eſt de iis omnibus, quæ ſunt in ſeipſo.* Et Tract. 29. & 40. in Joan. refert ad divinam proceſſionem illa Domini verba, *mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me, ſicut docuit me Pater, hæc loquor.* De quibus autem loquebatur, certè de myſterio Incarnationis in tempore impleto.

Probatur ſecunda pars; quia cognitio, ex quâ Verbum procedit per ſe & formaliter debet eſſe naturalis & neceſſaria; cùm enim Verbum ſit maximè neceſſarium, habeat neceſſe eſt principium ſimiliter neceſſarium: atqui cognitio rerum futurarum non eſt abſolutè neceſſaria, cùm dependeat à decreto Dei libero, quo non poſito, Verbum idem & immutatum maneret juxta illud ſancti Anſelmi, Monologii cap. 3. *Sive Deus cogitetur nullâ aliâ eſſentiâ exiſtente, ſive aliis exiſtentibus, neceſſe eſt Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.* Enimverò peritia artificis, qui habet ideam diſtinctam & perfectam domûs, nullatenus mutatur, ſive proponat, ſive non proponat domum illam conſtruere. Ergo à fortiori notitia rerum poſſibilium, quæ eſt in Patre perfectiſſima & comprehenſiva, eadem eſt, ac conſequenter idem Verbum ex eâ procedens, ſive decreverit, ſive non decreverit aliquas ex rebus poſſibilibus producere. Unde nonniſi ex hypotheſi decreti divini notitia Patris, & Verbum illius neceſſariò ſe extendunt ad creaturarum exiſtentiam.

Dices 1°. ſi Verbum ex cognitione creaturarum procederet, creaturæ eſſent principium ejus; objectum enim cum intellectu concurrit ad cognitionem & Verbum exprimendum. Falſum conſequens ergo & anteced.

Nego majorem, cujus confirmationem diſtinguo. Objectum motivum, hoc eſt, objectum per ſe, vel ſui ſpeciem movens, & informans intellectum ad cognoſcendum, Concedo: objectum terminativum, ad quod intellectus per ſe inſtructus, & totus in actu, cognoſcendo terminatur, Nego. Porrò intellectus divinus nec accipit ſpecies ab objectis creatis, cùm poſſibilia in eſſentiâ divinâ intueatur tanquam in objecto primario, futura verò in decretis divinis, ut dictum eſt ubi de Attributis; nec ab objectis determinatur ad cognoſcendum, cùm ſit ſummè in actu: ad illa itaque ſolummodo terminatur.

Hinc ſequitur 1°. Verbum non eſſe imaginem rerum creatarum, etiamſi eas repreſentet; quia imago definitur ſimilitudo ab alio deducta: atqui Verbum non procedit ex creaturis, quas repræſentat.

Sequitur 2°. nec Verbum, nec Spiritum-ſanctum eſſe ipſiuſmet Verbi principium, etriamſi procedat ex cognitione tum ſui, tum Spiritûs-ſancti; quia nec Verbum, nec Spiritus-ſanctus ſunt objecta motiva, ſed ſolùm terminativa cognitionis paternæ, ex quâ Verbum procedit. Ad omnia quippe ſcienda, quæ ſcit Pater, ſufficit ſumma ejus perfectio, ait ſanctus Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 13. intellectus enim ejus habet infinitam intelligendi vim, eſtque inſtructiſſimus ad quodlibet cognoſcendum, unde nullum præſidium, nullam ve opem mendicatur ab objectis.

Dices 2°. priùs in aliquo ſigno originis eſt Pater, quàm generet Filium, & producat Spiritum ſanctum: Ergo non producit Verbum ex cognitione ipſiuſmet Verbi, & Spiritûs ſancti, objectum enim præſupponit cognitionem.

Nego anteced. Inſtans enim illud ſive ratio-

nis, ſive originis, non eſt inſtans, in quo ſit Pater nondum exiſtentibus Filio & Spiritu-ſancto; ſed eſt inſtans *à quo*, quatenus Filius & Spiritus ſanctus ita coæterni ſunt Patri, ut ab ipſo procedant, ſed ſine dependentiâ aut prioritate naturæ, quemadmodum in hypotheſi, quòd exiſteret creatura ab æterno, Deus intelligeretur prior naturâ.

Inſtabis: decreta divina neceſſariò præſupponunt generationem Verbi; non enim ſolus Pater, ſed tres perſonæ ſimul decreverunt creaturas procedere: ergo cùm exiſtentia creaturarum ſit quid poſterius decretis divinis, repugnat Verbum procedere ex notitiâ creaturarum futurarum; alioquin Verbum eſſet quid prius & poſterius reſpectu ejuſdem, quod eſt contradictorium: eſſet poſterius, ſi procederet ex notitiâ decretorum: eſt revera prius; quia decreta ab ipſo ſunt, ſicut à Patre: Ergo.

Nego anteced. quamvis enim decreta ſint Filii ac Spiritûs-ſancti, non propterea ſupponunt eorum proceſſiones; quia certum eſt Patrem communicare Filio & Spiritui-ſancto naturam divinam cum voluntate divinâ. Quæro autem ab Adverſariis, utrùm communicet voluntatem, ut meram potentiam ad decreta efformanda, quæ deinde Filius & Spiritus-ſanctus cum Patre efforment. Hoc dici nequit, cùm nulla ſit in Deo potentia, ſed omnia purus actus. Corrigendus eſt itaque imperfectus noſter concipiendi modus, quo priùs divinam voluntatem veluti potentiam, deinde ejus actum concipimus. Pater itaque transfert in Filium & Spiritum-ſanctum volitionem æternam, in quâ intelliguntur divina decreta; & hæc volitio, quamvis per Patrem communicata, æque eſt Filii & Spiritûs ſancti, ac Patris. Eſto origine ſit à Patre, non eſt ta-

men priùs naturâ in Patre, quàm in Filio.

Urgebis: cognitio futurorum abſolutè eſt libera: ergo ſi Verbum ex illâ cognitione procedit, ſequitur quòd procedat liberè.

Diſtinguo conſ. quòd procedat liberè, quoad accidentalem quandam repreſentationem, Concedo: quoad entitatem & ad ea, quæ abſolutè ei neceſſariò competunt, ut diximus, Nego conſequentiam.

Dices 3°. creaturæ poſſibiles non ſunt tam neceſſariæ, quàm Verbum: Ergo Verbum ab illis neceſſariò non procedit.

Diſtinguo anteced. non ſunt tam neceſſariæ, ſi in ſeipſis ſpectentur, tranſeat: ſi in omnipotentiâ, ex quâ habent, ut ſint poſſibiles & producibiles, Nego anteced. æquè enim neceſſarium eſt Deum eſſe omnipotentem, ac Verbum produci.

Inſtabis: ſequeretur Verbum indigere creaturis ad ſui exiſtentiam, & quodammodo ab illis pendere.

Nego ſequelam; quia nec omnipotentia, nec intellectus divinus reſpiciunt creaturas tanquam principium ſui, ſed ut terminum fœcunditatis, quemadmodum fons non indiget rivulo, qui emanat ab illo.

Q. 6°. *Ex quarum rerum amore procedit Spiritusſanctus?*

R. Procedit abſolutè neceſſariò ex amore eſſentiæ divinæ, attributorum, trium perſonarum: ex amore verò creaturarum futurarum non neceſſariò, niſi ex hypotheſi decreti divini.

Probatur: quia Spiritus ſanctus procedit ex amore perfectiſſimo & comprehenſivo omnium amabilium; ſicut enim in Deo eſt una cognitio, quæ ſe extendit ad omnia cognoſcibilia; ita eſt unus amor, qui fertur ad omnia amabilia, &

cujus terminus eſt Spiritus ſanctus. Cùm autem amare ſit bonum velle, nullumque bonum velit Deus creaturis nunquam futuris, quibus nihil daturus eſt, ſequitur nullum eſſe amorem creaturarum merè poſſibilium, ſed earum tantùm, quas vult exiſtere; exiſtentia enim eſt aliquod bonum, & quidem ceteris prævium: amat ergo Deus ea quæ fecit, & conſervat, juxta illud Sap. 11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.*

Porrò cùm amor ille ſit liberrimus, Spiritusſanctus ex illo non procedit neceſſariò, niſi hypotheticè, & ſuppoſito Dei decreto, quemadmodum de cognitione futurorum diximus.

Qui odium mali in Deo propriè dictum agnoſcunt, fateantur neceſſe eſt Spiritum-ſanctum ex odio quoque peccati procedere; odium enim illud eſt maximè neceſſarium, & in amore ſummi boni intelligitur. Unde peccatum ſpeciatim pugnat contra notionem Spiritûs-ſancti, qui procedit ut amor puriſſimus, *nolite contriſtare Spiritum ſanctum*, ait Apoſtolus, Epheſ. 4.

Q. 7°. *Pater & Filius ſunt-ne duo Spiritûs ſancti principia?*

R. Dicendi ſunt unum principium; quia principium eſt concretum ſubſtantivum, ad cujus multiplicationem requiritur multiplicitas formæ, ut jam dictum eſt: atqui unica eſt forma, nempe ſpiratio activa, per quam Pater & Filius ſpirant Spiritum-ſanctum: ergo ſicut Pater & Filius ſunt unus Deus, quia habent unam divinitatem, ſunt quoque unum Spiritûs-ſancti principium; cùm habeant unam ſpirationem. Poſſunt tamen adjectivè dici duo ſpirantes; quia ad multiplicationem concreti adjectivi ſufficit multiplicatio ſubjecti.

Q. 8°. *Si Spiritus-ſanctus à Filio non procederet, eſſet-ne perſona ab eo diſtincta?*

Affirmant

Affirmant non ſolùm Græci; ſed & Scotiſtarum Schola.

R. Juxta communem ſententiam, Spiritus-ſanctus à Filio non diſtingueretur, ſi ab eo non procederet.

Probatur: quia in divinis omnia unum ſunt, ubi non obviat relationis oppoſitio: hinc ſpiratio activa eſt in Patre & Filio, quia in eâ Pater & Filius non opponuntur relativè, cùm Filius per ſpirationem non procedat, ſed ſolus Spiritus ſanctus.

Confirmatur: eo ſolùm fundamento probamus contra Sabellianos & Socinianos, Patrem, Filium, & Spiritum-ſanctum, non eſſe tria duntaxat nomina ejuſdem ſuppoſiti, ſed tres perſonas realiter diſtinctas, quòd inter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum occurrat oppoſitio relativa, in origine fundata, repugnetque unam & eandem perſonam realiter à ſeipsâ procedere. Ergo ſublatâ proceſſione, & relatione originis, nulla erit realis diſtinctio.

Dices: ſubſtantia eſt ultimum naturæ complementum, quo eſt tota in ſe & incommunicabilis alteri: atqui filiatio & ſpiratio paſſiva ſunt ſubſiſtentiæ, ex dicendis capite ſequenti: ergo ultimò terminant naturam divinam, ac proinde ſicut natura divina cum paternitate non poteſt communicari Filio, ſic nec cum filiatione communicari poteſt Spiritui-ſancto, etiamſi nulla intercedat oppoſitio inter filiationem & ſpirationem paſſivam.

Diſtinguo minorem; filiatio qualis nunc eſt; & quatenus juncta cum ſpiratione activâ, eſt ſubſtantia, Concedo: qualis eſſet ſine ſpiratione activâ, Nego minorem; namque in illâ hypotheſi, quòd Spiritus-ſanctus non procederet à Filio, filiatio (cùm non exigeret ſpiratio-

quæ tamen habitâ ratione notionis perſonalis, appropriantur uni perſonæ, potiùs quàm alteri. Sic omnipotentia & creatio appropriantur Patri, quia ex ſuâ notione ita eſt principium aliarum perſonarum, ut ſit ingenitus & nullatenus procedat: ſapientia & doctrina Filio, quia per intellectum procedit: gratiarum dona, ac præſertim charitas Spiritui-ſancto, quia eſt terminus amoris.

Q. 10. *Pater poteſt-ne dici auctor aut cauſa Filii?*

R. Primam appellationem deteſtatur ſanctus Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. quia exiſtimat illud nomen ſignificare quandam excellentiam & auctoritatem reſpectu procedentis; eam tamen uſurpat ſanctus Hilarius lib. 4. de Trinitate. Similiter apud Græcos Pater ſæpius dicitur cauſa, ſed juxta ſignificationem latinæ vocis non poteſt ita dici; quia cauſa eſt principium influens in aliud, hoc eſt in rem diſtinctæ naturæ. Hinc in Symbolo habetur, Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Q. 110. *Quotuplici modo nomen Patris in divinis ſumitur?*

R. Duplici, nempe eſſentialiter, & notionaliter: eſſentialiter nomen illud, *Pater*, dicitur de Deo per ordinem ad creaturas, quo ſenſu convenit tribus perſonis, quæ per omnipotentiam crearunt & conſervant mundum, nobis gratiam adoptionis infundunt, filioſque adoptivos conſtituunt: notionaliter ſumptum, eſt proprium primæ perſonæ, quia ſola generat Filium.

Q. 120. *Paternitas notionalis eſt-ne prior paternitate eſſentiali?*

R. Eſt, quia eſt æterna, & maximè neceſſaria: eſſentialis verò tum advenit Deo, cùm creaturæ exiſtere cœperunt: dicitur autem eſſentialis,

non quòd ad eſſentiam Dei pertineat, ſed quia fundatur in attributo eſſentiali, ſcilicet omnipotentiâ, quæ communis eſt tribus perſonis.

Dices: eſſentialia priora ſunt notionalibus.

Diſtinguo; eſſentialia ad intra, Concedo: eſſentialia ad extra, Nego.

CAPUT IX.

Solvuntur nonnullæ difficultates circa divinas relationes.

Diximus cap. 7. quatuor eſſe in Deo relationes, eaſque reales & ſubſtantiales, ſuperſunt quædam difficultates hîc ſolvendæ.

Q. 10. *Relationes ſunt-ne formæ hypoſtaticæ, quibus conſtituuntur perſonæ divinæ?*

R. Paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva ſunt tres formæ hypoſtaticæ trium perſonarum conſtitutivæ.

Probatur vulgari effato, *idem eſt principium diſtinctivum & conſtitutivum*, hoc eſt, quælibet res per id in ſuo eſſe conſtituitur, per quod primò ab aliis diſtinguitur, v. g. homo conſtituitur per rationalitatem, quia per eam à ceteris eſſentialiter diſtinguitur: atqui per ſolas relationes recenſitas perſonæ divinæ diſtinguuntur ab invicem: quia ex ſancto Anſelmo lib. de proceſſione Spiritûs ſancti, & conſtanti Theologorum doctrinâ, omnia in divinis ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio. Ergo perſonæ divinæ conſtituuntur per relationes.

Confirmatur ex ſanctis Patribus: ſancto Auguſtino Tract. 39. in Joan. *Hoc ſolo*, inquit ſanctus Doctor, *numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt, non quòd ad ſe ſunt:* S. Fulgentio lib. de Trin.

ſuum unigenitum daret. Ergo Spiritus ſanctus nullatenus eſt genitus, ſed procedens, ut habetur in Symbolo S. Athanaſii nuncupato.

Confirmatur: illa proceſſio eſt vera generatio, cui convenit definitio generationis propriè dictæ: atqui definitio generationis proprè dictæ convenit proceſſioni ſecundæ perſonæ: ergo.

Definitur autem generatio, origo viventis à vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ vi productionis.

Dicitur 1o. *origo*, id eſt proceſſio, quâ accipitur eſſe, non de nihilo, ut fit per creationem, ſed de alterius ſubſtantiâ.

Dicitur 2°. *viventis*: quia terminus generationis debet eſſe vivens; unde productio metalli in viſceribus terræ non eſt generatio.

Dicitur 3o. *à vivente:* quia generatio eſt actio vitalis, à principio vitaliter producente; quare productio Evæ ex coſtâ Adami non fuit generatio; quia ad eam Adamus non concurrit vitali modo.

Dicitur 4°. *principio conjuncto*, quo ſignificatur ſubſtantiam Patris per generationem communicari Filio, unde Pater & Filius dicuntur ſubſtantialiter conjuncti.

Dicitur 5o. *in ſimilitudinem naturæ*, quia Pater & Filius debent eſſe ejuſdem ſpeciei.

Dicitur 6o. *vi productionis* ita ut modus procedendi ſit ratio, cur id quod procedit, ſit in naturâ ſimile principio.

Porrò expendenti patebit ſex illas generationis conditiones convenire proceſſioni ſecundæ perſonæ: eſt vivens à principio vivente, habetque eandem cum illo naturam, & quidem vi proceſſionis, quæ cùm ſit per intellectum, efficit ut perſona ſic procedens ſit Verbum, imago Patris, ſapientia, candor lucis æternæ; quæ

nomina exprimunt ſimilitudinem procedentis cum ſuo principio, & veras Filii proprietates, ut ſanctus Auguſtinus, & alii Patres communiter animadvertunt, *eo ipſo Filius* (inquit ſanctus Auguſtinus tract. 44. in Joan.) *quod Verbum :* quin & cap. 1. S. Joannis, Scriptura inferre videtur ſecundam perſonam eſſe Filium unigenitum, ex eo quòd ſit Verbum. *Verbum*, inquit, *caro factum eſt ... & vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à Patre.*

Q. 40. *Cur proceſſio, quæ fit per intellectionem, eſt potius generatio, quàm proceſſio, quæ fit per volitionem, cùm amans ſuo modo fiat unum cum objecto amato, ſicut intelligens cum objecto cognito : ille moraliter, & affectivè, hic intentionaliter & repræſentativè, neuter in ſubſtantiâ & naturâ, quantumcunque perfectus, vel etiam infinitus cogitetur ; quemadmodum ſi Pictor infinitè perfectus fingeretur, imago non eſſet ab eo expectanda infinita in eſſendo, ſed ſolùm in repræſentando ; vel certè ſi intelligens infinitus producit terminum ſimilem in naturâ objecto cognito, quidni & amans infinitus producit terminum, qui unum ſit cum objecto amato.*

R. Hîc recurrit illud Iſaïæ 53. *generationem ejus quis enarrabit ? Generatio*, ait ſanctus Gregorius Nazianus orat. 10. *honoretur ſilentio.* Eſt enim myſterium nonniſi in patriâ revelandum. *Diſtinguere inter illam generationem & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. & ſanctus Joannes Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 2. *Generationem à proceſſione differre compertum habemus ſed qui sdifferentiæ modus, ignoramus.* Quin & ſancti Irenæus lib. 2. contra hæreſes cap. 48. & Athanaſius oratione 3°. inſanos pronuntiant, qui divinæ generationis rationem enarrare præſumpſerint ; & hæc eſt unica Sanctorum reſponſio adversùs argutias Hæreticorum ex Philoſophiâ

petitas. Enimverò fides noſtra Dei revelationeni-titur, non ratiocinio humano in enucleandis noſtris myſteriis per ſe non ſatisfirmo, nec ad perſuadendum efficaci.

Verùm iidem ſancti Patres, ubi Catholicis myſterium illud explanare ſtudent, probabilibus conjecturis diſcrimen definiunt divinam generationem inter & proceſſionem, illudque præſertim repetunt ut ſanctus Auguſtinus in Pſal. 44. lib. 9. de Civit. Dei cap. 12. S. Athanaſius orat. 3°. ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 36. alii, ex eo quod ſecunda perſona, non verò tertia, procedat ut Verbum, ſeu terminus cognitionis paternæ, ac proinde ut vivens Patris imago ab eo deducta, & verus Filius; namque proprium eſt intellectûs genericè ſpectati aſſimilare ſibi objectum cognitum, ejuſque imaginem exprimere. Eſto illa objecti imago ab intellectu creato efformata ſit ſolùm intentionalis, id eſt, in repræſentando, non verò in eſſendo ſimilis, nec prudenter ſine revelatione ſic argumentaremur: intellectus creatus & imperfectus cognoſcendo, producit imaginem ſolùm intentionalem: ergo intellectus increatus & infinitè perfectus producit imaginem ſubſtantialem, & in naturâ ſimilem. Attamen ex his, & ſimilibus propoſitionibus revelatis, ſecunda perſona procedit ut Verbum, eſt Patris Filius unigenitus, Theologus rectè concludit: ergo intellectus divinus producit Verbum, ſeu terminum objecto cognito ſimilem, non ſolùm in repræſentando, ſed etiam in eſſendo.

Jam verò de voluntate, per quam procedit Spiritus-ſanctus, idem nequit dici: tùm quia Scripturæ nullum præbent fundamentum ita ſentiendi: tum quia voluntatis genericè ſpectatæ non eſt aſſimilare objectum, ſed objecto

amantem unire per amorem, qui genericè & ſpecificè eſt unio, duo moraliter & affectivè copulans, amantem ſcilicet & amatum, & ſic utrumque unum morale efficiens. Addo, etiamſi fingeretur voluntatem perfectiſſimam unum phyſicè conſtituere ex amante & amato, illud non fieret per realem productionem, ſed per unionem unius cum alio, nec conſequenter ejus actio eſſet vera generatio.

Dices 10. Spiritus-ſanctus habet naturam divinam ex vi ſuæ proceſſionis: ergo ejus proceſſio eſt generatio.

Probatur anteced. 1°. quia Spiritus-ſanctus non habet naturam divinam à ſe: ergo ab alio: ergo vi ſuæ proceſſionis. 2°. quia omne agens intendit producere ſibi ſimile: ergo Pater & Filius per ſpirationem Spiritum-ſanctum ſibi aſſimilant, ac proinde Spiritus-ſanctus ſimilis eſt Patri & Filio vi ſuæ proceſſionis. 3°. quia Spiritus-ſanctus procedit ut Deus: ergo ut ſimilis in naturâ.

Nego antecedens, & ad ſingula, quæ in ejus confirmationem proferuntur, reſpondeo.

Ad primum, nego poſteriorem conſequentiam; quia ex eo quòd Spiritus ſanctus non habeat naturam divinam à ſe ſed ab alio, non ſequitur illam habere vi proceſſionis. Habet quidem procedendo, ſed non vi proceſſionis; quod explicatur exemplo Euchariſtiæ, in quâ Corpus & Sanguis Chriſti Domini ponuntur quidem ſub ſolis ſpeciebus panis per verba conſecrationis, ſed cum hoc diſcrimine, quòd ſolum corpus vi verborum ponatur, Sanguis verò per concomitantiam, & propter naturalem unionem, quam habet cum Corpore. Sic in Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis cum ſpiratione paſſivâ, quæ vi proceſſionis producitur, etiam natura divina

communicatur, ſed identicè: &, ſi ita loquis fas eſt, materialiter & ratione ſubjecti, quia in Deo omnia ſunt realiter unum.

Ad ſecundum, diſtinguo antecedens, omne agens intendit producere ſibi ſimile, vel in naturâ vel in aliquâ proprietate, Concedo: in natura ſemper, Nego anteced. Sol v. g. non intendit producere Solem, ſed effectum alterius naturæ, qui tamen ſit aliqua expreſſio virtutis, quæ in ipſo eſt. Sic ſpiratio paſſiva reſpondet ſpirationi activæ tanquam amor per ipſam expreſſus.

Ad tertium, Nego anteced. nam Spiritus-ſanctus non procedit ut Deus, ſed ut amor, qui identicè & realiter eſt Deus.

Ergo, inquies, Spiritus-ſanctus eſt Deus per accidens; vel enim eſt Deus per ſe, vel per accidens: non eſt Deus per ſe: ergo per accidens.

Nego conſeq. & probationis minorem. Licèt enim vi proceſſionis Pater non ſit Deus, cùm nullatenus procedat; nihilominus eſt Deus per ſe, quia natura divina exigit ſubſiſtere paternitate. Sic Spiritus-ſanctus eſt Deus per ſe; quia natura divina non minùs neceſſariò ſubſiſtit ſpiratione paſſivâ, quàm paternitate, & filiatione.

Dices 2°. ſi Verbum procederet ut ſimile in naturâ objecto cognito, ſequeretur eſſe ſimile in naturâ rebus creatis; quia procedit ex cognitione tum Patris, tum rerum creatarum.

Nego ſequelam; in hypotheſi enim mox explanandâ, quòd Verbum procedit ex cognitione creaturarum, non ſequitur eis ſimile eſſe in naturâ, ſed habere eandem cum Patre naturam, quæ realiter eſt rerum omnium idea, quatenus eſt participabilis & imitabilis à creaturis, & in quâ Deus cetera videt: ut dictum eſt, ubi de Attributis. Tantùm ergo abeſt ut Verbum ſit

imago rerum creatarum, & ipſis ſimile in naturâ, quin imò ipſæ creaturæ ſunt imperfectæ ejus imagines, quatenus ſunt quædam participationes eſſentiæ divinæ, quæ in ipſo eſt vi ſuæ proceſſionis, & in quâ tam ipſe quàm Spiritus ſanctus omnnia vident, æque ac Pater.

Q. 5°. *Ex quarum rerum cognitione procedit Verbum?*

R. Procedit ex cognitione rerum omnium, ſed non uno modo; nam ex cognitione eſſentiæ divinæ, & attributorum, tum abſolutorum, tum relativorum, ac proinde trium perſonarum, & creaturarum poſſibilium, abſolutè & neceſſariò formaliter procedit: ex cognitione verò rerum futurarum non procedit neceſſariò, niſi ex hypotheſi, quòd decreta fuerit earum exiſtentia. Prima pars reſponſionis eſt contra Scotiſtas, qui docent Verbum procedere ex ſolâ notitiâ eſſentiæ divinæ, & attributorum abſolutorum. Secunda verò contra Thomiſtas, qui cenſent Verbum produci ex notitiâ eſſentiæ divinæ, omnium attributorum, & creaturarum poſſibilum, non verò futurarum.

Probatur prima pars; quia una eſt realiter in Deo cognitio, eaque æterna, perfectiſſima, & comprehenſiva rerum omnium cognoſcibilium, unus quoque hujuſce cognitionis terminus, quod Verbum divinum, & ſecundam perſonam dicimus. Ergo Verbum procedit ex cognitione rerum omnium.

Confirmatur ex ſancto Auguſtino, qui lib. 11. Conf. cap. 7. ſic ſcribit, *Verbum ſempiternè dicitur, & eo ſempiternè dicuntur omnia; neque enim finitur, quod dicebatur, nec dicitur aliud, ut dici poſſint omnia, ſed ſimul ac ſempiternè omnia.* Ubi ſanctus Doctor definit Patrem non ſucceſſivè, ſed unico Verbo omnia intelligere etiam futura, ut clariùs ſe ex-

plicat lib. 15. de Trinitate c. 14. *novit omnia Deus Pater in ſe ipſo, novit in Filio : ſed in ſeipſo tanquam ſeipſum, in Filio tanquam Verbum ſuum, quod eſt de iis omnibus, quæ ſunt in ſeipſo.* Et Tract. 29. & 40. in Joan. refert ad divinam proceſſionem illa Domini verba, *mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me, ſicut docuit me Pater, hæc loquor.* De quibus autem loquebatur, certè de myſterio Incarnationis in tempore impleto.

Probatur ſecunda pars; quia cognitio, ex quâ Verbum procedit per ſe & formaliter debet eſſe naturalis & neceſſaria; cùm enim Verbum ſit maximè neceſſarium, habeat neceſſe eſt principium ſimiliter neceſſarium : atqui cognitio rerum futurarum non eſt abſolutè neceſſaria, cùm dependeat à decreto Dei libero, quo non poſito, Verbum idem & immutatum maneret juxta illud ſancti Anſelmi, Monologii cap. 3. *Sive Deus cogitetur nullâ aliâ eſſentiâ exiſtente, ſive aliis exiſtentibus, neceſſe eſt Verbum illius coæternum illi eſſe cum ipſo.* Enimverò peritia artificis, qui habet ideam diſtinctam & perfectam domûs, nullatenus mutatur, ſive proponat, ſive non proponat domum illam conſtruere. Ergo à fortiori notitia rerum poſſibilium, quæ eſt in Patre perfectiſſima & comprehenſiva, eadem eſt, ac conſequenter idem Verbum ex eâ procedens, ſive decreverit, ſive non decreverit aliquas ex rebus poſſibilibus producere. Unde nonniſi ex hypotheſi decreti divini notitia Patris, & Verbum illius neceſſariò ſe extendunt ad creaturarum exiſtentiam.

Dices 1°. ſi Verbum ex cognitione creaturarum procederet, creaturæ eſſent principium ejus; objectum enim cum intellectu concurrit ad cognitionem & Verbum exprimendum. Falſum conſequens ergo & anteced.

Nego majorem, cujus confirmationem diſtinguo. Objectum motivum, hoc eſt, objectum per ſe, vel ſui ſpeciem movens, & informans intellectum ad cognoſcendum, Concedo: objectum terminativum, ad quod intellectus per ſe inſtructus, & totus in actu, cognoſcendo terminatur, Nego. Porrò intellectus divinus nec accipit ſpecies ab objectis creatis, cùm poſſibilia in eſſentiâ divinâ intueatur tanquam in objecto primario, futura verò in decretis divinis, ut dictum eſt ubi de Attributis; nec ab objectis determinatur ad cognoſcendum, cùm ſit ſummè in actu: ad illa itaque ſolummodo terminatur.

Hinc ſequitur 1°. Verbum non eſſe imaginem rerum creatarum, etiamſi eas repreſentet; quia imago definitur ſimilitudo ab alio deducta: atqui Verbum non procedit ex creaturis, quas repræſentat.

Sequitur 2°. nec Verbum, nec Spiritum-ſanctum eſſe ipſiuſmet Verbi principium, etriamſi procedat ex cognitione tum ſui, tum Spiritûs-ſancti; quia nec Verbum, nec Spiritus-ſanctus ſunt objecta motiva, ſed ſolùm terminativa cognitionis paternæ, ex quâ Verbum procedit. Ad omnia quippe ſcienda, quæ ſcit Pater, ſufficit ſumma ejus perfectio, ait ſanctus Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 13. intellectus enim ejus habet infinitam intelligendi vim, eſtque inſtructiſſimus ad quodlibet cognoſcendum, unde nullum præſidium, nullam ve opem mendicatur ab objectis.

Dices 2°. priùs in aliquo ſigno originis eſt Pater, quàm generet Filium, & producat Spiritum ſanctum: Ergo non producit Verbum ex cognitione ipſiuſmet Verbi, & Spiritûs ſancti, objectum enim præſupponit cognitionem.

Nego antecced. Inſtans enim illud ſive ratio-

nis, ſive originis, non eſt inſtans, in quo ſit Pater nondum exiſtentibus Filio & Spiritu-ſancto; ſed eſt inſtans *à quo*, quatenus Filius & Spiritus ſanctus ita coæterni ſunt Patri, ut ab ipſo procedant, ſed ſine dependentiâ aut prioritate naturæ, quemadmodum in hypotheſi, quòd exiſteret creatura ab æterno, Deus intelligeretur prior naturâ.

Inſtabis: decreta divina neceſſariò præſupponunt generationem Verbi; non enim ſolus Pater, ſed tres perſonæ ſimul decreverunt creaturas procedere: ergo cùm exiſtentia creaturarum ſit quid poſterius decretis divinis, repugnat Verbum procedere ex notitiâ creaturarum futurarum; alioquin Verbum eſſet quid prius & poſterius reſpectu ejuſdem, quod eſt contradictorium: eſſet poſterius, ſi procederet ex notitiâ decretorum: eſt revera prius; quia decreta ab ipſo ſunt, ſicut à Patre: Ergo.

Nego anteced. quamvis enim decreta ſint Filii ac Spiritûs-ſancti, non propterea ſupponunt eorum proceſſiones; quia certum eſt Patrem communicare Filio & Spiritui-ſancto naturam divinam cum voluntate divinâ. Quæro autem ab Adverſariis, utrùm cummunicet voluntatem, ut meram potentiam ad decreta efformanda, quæ deinde Filius & Spiritus-ſanctus cum Patre efforment. Hoc dici nequit, cùm nulla ſit in Deo potentia, ſed omnia purus actus. Corrigendus eſt itaque imperfectus noſter concipiendi modus, quo priùs divinam voluntatem veluti potentiam, deinde ejus actum concipimus. Pater itaque transfert in Filium & Spiritum-ſanctum volitionem æternam, in quâ intelliguntur divina decreta; & hæc volitio, quamvis per Patrem communicata, æque eſt Filii & Spiritûs ſancti, ac Patris. Eſto origine ſit à Patre, non eſt ta-

men priùs naturâ in Patre, quàm in Filio.

Urgebis: cognitio futurorum abſolutè eſt libera: ergo ſi Verbum ex illâ cognitione procedit, ſequitur quòd procedat liberè.

Diſtinguo conſ. quòd procedat liberè, quoad accidentalem quandam repreſentationem, Concedo: quoad entitatem & ad ea, quæ abſolutè ei neceſſariò competunt, ut diximus, Nego conſequentiam.

Dices 3°. creaturæ poſſibiles non ſunt tam neceſſariæ, quàm Verbum: Ergo Verbum ab illis neceſſariò non procedit.

Diſtinguo anteced. non ſunt tam neceſſariæ, ſi in ſeipſis ſpectentur, tranſeat: ſi in omnipotentiâ, ex quâ habent, ut ſint poſſibiles & producibiles, Nego anteced. æquè enim neceſſarium eſt Deum eſſe omnipotentem, ac Verbum produci.

Inſtabis: ſequeretur Verbum indigere creaturis ad ſui exiſtentiam, & quodammodo ab illis pendere.

Nego ſequelam; quia nec omnipotentia, nec intellectus divinus reſpiciunt creaturas tanquam principium ſui, ſed ut terminum fœcunditatis, quemadmodum fons non indiget rivulo, qui emanat ab illo.

Q. 6°. *Ex quarum rerum amore procedit Spiritus-ſanctus?*

R. Procedit abſolutè neceſſariò ex amore eſſentiæ divinæ, attributorum, trium perſonarum: ex amore verò creaturarum futurarum non neceſſariò, niſi ex hypotheſi decreti divini.

Probatur: quia Spiritus ſanctus procedit ex amore perfectiſſimo & comprehenſivo omnium amabilium; ſicut enim in Deo eſt una cognitio, quæ ſe extendit ad omnia cognoſcibilia; ita eſt unus amor, qui fertur ad omnia amabilia, &

cujus terminus eſt Spiritus ſanctus. Cùm autem amare ſit bonum velle, nullumque bonum velit Deus creaturis nunquam futuris, quibus nihil daturus eſt, ſequitur nullum eſſe amorem creaturarum merè poſſibilium, ſed earum tantùm, quas vult exiſtere; exiſtentia enim eſt aliquod bonum, & quidem ceteris prævium: amat ergo Deus ea quæ fecit, & conſervat, juxta illud Sap. 11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.*

Porrò cùm amor ille ſit liberrimus, Spiritus-ſanctus ex illo non procedit neceſſariò, niſi hypotheticè, & ſuppoſito Dei decreto, quemadmodum de cognitione futurorum diximus.

Qui odium mali in Deo propriè dictum agnoſcunt, fateantur neceſſe eſt Spiritum-ſanctum ex odio quoque peccati procedere; odium enim illud eſt maximè neceſſarium, & in amore ſummi boni intelligitur. Unde peccatum ſpeciatim pugnat contra notionem Spiritûs-ſancti, qui procedit ut amor puriſſimus, *nolite contriſtare Spiritum ſanctum*, ait Apoſtolus, Epheſ. 4.

Q. 7°. *Pater & Filius ſunt-ne duo Spiritûs ſancti principia?*

R. Dicendi ſunt unum principium; quia principium eſt concretum ſubſtantivum, ad cujus multiplicationem requiritur multiplicitas formæ, ut jam dictum eſt: atqui unica eſt forma, nempe ſpiratio activa, per quam Pater & Filius ſpirant Spiritum-ſanctum: ergo ſicut Pater & Filius ſunt unus Deus, quia habent unam divinitatem, ſunt quoque unum Spiritûs-ſancti principium; cùm habeant unam ſpirationem. Poſſunt tamen adjectivè dici duo ſpirantes; quia ad multiplicationem concreti adjectivi ſufficit multiplicatio ſubjecti.

Q. 8°. *Si Spiritus-ſanctus à Filio non procederet, eſſet-ne perſona ab eo diſtincta?*

Affirmant

Affirmant non ſolùm Græci; ſed & Scotiſtarum Schola.

R. Juxta communem ſententiam, Spiritus-ſanctus à Filio non diſtingueretur, ſi ab eo non procederet.

Probatur: quia in divinis omnia unum ſunt, ubi non obviat relationis oppoſitio: hinc ſpiratio activa eſt in Patre & Filio, quia in eâ Pater & Filius non opponuntur relativè, cùm Filius per ſpirationem non procedat, ſed ſolus Spiritus ſanctus.

Confirmatur: eo ſolùm fundamento probamus contra Sabellianos & Socinianos, Patrem, Filium, & Spiritum-ſanctum, non eſſe tria duntaxat nomina ejuſdem ſuppoſiti, ſed tres perſonas realiter diſtinctas, quòd inter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum occurrat oppoſitio relativa, in origine fundata, repugnetque unam & eandem perſonam realiter à ſeipsâ procedere. Ergo ſublatâ proceſſione, & relatione originis, nulla erit realis diſtinctio.

Dices: ſubſtantia eſt ultimum naturæ complementum, quo eſt tota in ſe & incommunicabilis alteri: atqui filiatio & ſpiratio paſſiva ſunt ſubſiſtentiæ, ex dicendis capite ſequenti: ergo ultimò terminant naturam divinam, ac proinde ſicut natura divina cum paternitate non poteſt communicari Filio, ſic nec cum filiatione communicari poteſt Spiritui-ſancto, etiamſi nulla intercedat oppoſitio inter filiationem & ſpirationem paſſivam.

Diſtinguo minorem; filiatio qualis nunc eſt; & quatenus juncta cum ſpiratione activâ, eſt ſubſtantia, Concedo: qualis eſſet ſine ſpiratione activâ, Nego minorem; namque in illâ hypotheſi, quòd Spiritus-ſanctus non procederet à Filio, filiatio (cùm non exigeret ſpiratio-

nem activam, ſicut nunc exigit, & eatenus opponitur ſpirationi paſſivæ,) eſſet alterius rationis, atque cùm ſpiratione paſſivâ, cum quâ eſſet unum & idem, ſicut nunc eſt cum ſpiratione activâ, unam & eandem perſonam conſtitueret.

Inſtabis: in illâ hypotheſi Filius & Spiritus-ſanctus diverſo modo procederent, ille per intellectionem, & eſſet Filius; iſte per volitionem, & eſſet Spiritus-ſanctus, amor perſonalis: ergo diverſæ proceſſiones eis competerent, ac proinde eſſent duo termini realiter diſtincti; totuplex enim debet eſſe terminus, quotuplex eſt actio, ſeu proceſſio, cùm in verâ Philoſophiâ actio non diſtinguatur à termino. Hinc ſanctus Anſelmus cap. 3. de proceſſione Spiritûs-ſancti, ex diverſo modo procedendi ſic concludit, *& ideo etſi per aliud non eſſent plures Filius & Spiritus-ſanctus, per hoc ſolum eſſent diverſi.*

Diſtinguo conſeq. duæ proceſſiones virtuales & per mentem diſtinctæ, quemadmodum intellectus & voluntas, ſeu intellectio & volitio eſſentiales diſtinguuntur ſecundùm noſtrum concipiendi modum, Concedo: duæ proceſſiones, duo termini realiter & à parte rei, Nego conſeq. Difficilis quidem eſt S. Anſelmus, & in hâc parte deſerendum putant nonnulli Theologi. Verùm cùm totus ſit in hoc opere ad probandam Spiritûs ſancti proceſſionem eſſe ex Filio, nullam eſſe in divinis diſtinctionem, ubi non obviat relationis oppoſitio, finemque ſuo operi ſic imponat, *hoc itaque, quòd Deus ad Deum dicitur perſonarum admittit pluralitatem:* debet ſecum conciliari, nempe hæc ſcripſit juxta Græcorum mentem, non ſuam.

Inſtabis iterum: ſaltem erunt duæ relationes ad Spiritum-ſanctum, una in Patre, altera in

Filio, quemadmodum in humanis pater & mater, licèt ſint unum filii principium, ad illum tamen duplici relatione referuntur; ſicque erunt quinque relationes in Deo, quod eſt contra communem Theologorum ſententiam, qui quatuor tantùm agnoſcunt. Ergo.

Nego anteced. quia in Patre & Filio non eſt duplex virtus productiva, ſicut in patre & matre, ſed unica tantùm, nempe volitio ſeu ſpiratio activa, quam Pater tribuit Filio, non per productionem, ſed per communicationem; unde ſicut in Patre & Filio una eſt natura, ita & una ſpiratio.

Q. 90. *Pater & Filius diligunt-ne ſe Spiritu ſancto?*

R. Si diligere ſumatur eſſentialiter, Pater & Filius non ſe diligunt Spiritu-ſancto; quia Spiritus ſanctus non eſt forma, quâ conſtituuntur amantes; ſiquidem amor eſſentialiter ſumptus communis eſt tribus perſonis. Eo ſenſu ſanctus Auguſtinus rejicit hanc propoſitionem, *Pater eſt ſapiens ſapientiâ genitâ*; quia ſapientia eſt attributum eſſentiale tribus perſonis commune: rejiciendæ quoque ſunt hæ propoſitiones eodem modo acceptæ, *Pater & Filius omnia diligunt Spiritu-ſancto. Pater omnia Verbo intelligit.*

Sed ſi diligere ſumatur notionaliter, Pater & Filius rectè dicuntur ſe & omnia diligere Spiritu ſancto, ſenſus enim eſt, Pater & Filius amando ſe & creaturas producunt Spiritum ſanctum, quod eſt veriſſimum. Item, Pater omnia Verbo intelligit & facit, ſi ſenſus ſit, Pater ſe & omnia intelligendo producit Verbum, & Deus in tribus perſonis ſubſiſtens, omnia in tempore facit per cognitionem, cujus terminus eſt Verbum, de quo dicitur per appropriationem quòd ſit Dei ſcientia, ſapientia, ars, virtus.

Multa igitur ſunt toti Trinitati communia,

quæ tamen habitâ ratione notionis perſonalis, appropriantur uni perſonæ, potiùs quàm alteri. Sic omnipotentia & creatio appropriantur Patri, quia ex ſuâ notione ita eſt principium aliarum perſonarum, ut ſit ingenitus & nullatenus procedat: ſapientia & doctrina Filio, quia per intellectum procedit: gratiarum dona, ac præſertim charitas Spiritui-ſancto, quia eſt terminus amoris.

Q. 10. *Pater poteſt-ne dici auctor aut cauſa Filii?*

R. Primam appellationem deteſtatur ſanctus Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. quia exiſtimat illud nomen ſignificare quandam excellentiam & auctoritatem reſpectu procedentis; eam tamen uſurpat ſanctus Hilarius lib. 4. de Trinitate. Similiter apud Græcos Pater ſæpius dicitur cauſa, ſed juxta ſignificationem latinæ vocis non poteſt ita dici; quia cauſa eſt principium influens in aliud, hoc eſt in rem diſtinctæ naturæ. Hinc in Symbolo habetur, Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Q. 110. *Quotuplici modo nomen Patris in divinis ſumitur?*

R. Duplici, nempe eſſentialiter, & notionaliter: eſſentialiter nomen illud, *Pater*, dicitur de Deo per ordinem ad creaturas, quo ſenſu convenit tribus perſonis, quæ per omnipotentiam crearunt & conſervant mundum, nobis gratiam adoptionis infundunt, filioſque adoptivos conſtituunt: notionaliter ſumptum, eſt proprium primæ perſonæ, quia ſola generat Filium.

Q. 120. *Paternitas notionalis eſt-ne prior paternitate eſſentiali?*

R. Eſt, quia eſt æterna, & maximè neceſſaria: eſſentialis verò tum advenit Deo, cùm creaturæ exiſtere cœperunt: dicitur autem eſſentialis,

non quòd ad eſſentiam Dei pertineat, ſed quia fundatur in attributo eſſentiali, ſcilicet omnipotentiâ, quæ communis eſt tribus perſonis.

Dices : eſſentialia priora ſunt notionalibus.

Diſtinguo ; eſſentialia ad intra, Concedo : eſſentialia ad extra, Nego.

CAPUT IX.

Solvuntur nonnullæ difficultates circa divinas relationes.

DIximus cap. 7. quatuor eſſe in Deo relationes, eaſque reales & ſubſtantiales, ſuperſunt quædam difficultates hîc ſolvendæ.

Q. 10. *Relationes ſunt-ne formæ hypoſtaticæ, quibus conſtituuntur perſonæ divinæ?*

R. Paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva ſunt tres formæ hypoſtaticæ trium perſonarum conſtitutivæ.

Probatur vulgari effato, *idem eſt principium diſtinctivum & conſtitutivum*, hoc eſt, quælibet res per id in ſuo eſſe conſtituitur, per quod primò ab aliis diſtinguitur, v. g. homo conſtituitur per rationalitatem, quia per eam à ceteris eſſentialiter diſtinguitur : atqui per ſolas relationes recenſitas perſonæ divinæ diſtinguuntur ab invicem : quia ex ſancto Anſelmo lib. de proceſſione Spiritûs ſancti, & conſtanti Theologorum doctrinâ, omnia in divinis ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio. Ergo perſonæ divinæ conſtituuntur per relationes.

Confirmatur ex ſanctis Patribus : ſancto Auguſtino Tract. 39. in Joan. *Hoc ſolo*, inquit ſanctus Doctor, *numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt, non quòd ad ſe ſunt :* S. Fulgentio lib. de Trin.

ubi ſic habet: *Relativa nomina Trinitatem faciunt, eſſentialia verò nullomodo triplicantur*: Boœtio lib. de Trinitate, *Subſtantia*, inquit, *continet unitatem*, *relatio multiplicat unitatem*.

Dices 1°. perſona dicitur ad ſe, non ad aliud: ergo perſonæ non conſtituuntur per relationes.

Diſtinguo anteced. Perſona dicitur ad ſe, non ad aliud, quoad nomen, quatenus ſcilicet perſona ex modo ſignificandi eſt quid abſolutum, Concedo: quoad rem ſignificatam, Nego anteced. Hæc diſtinctio ſuadetur exemplo animæ rationalis, cujus entitas tota eſt ad aliud, nempe corpus humanum informandum, attamen ſi nomine ſubſtantiæ exprimatur, eſt ad ſe quoad illud nomen; nam ſubſtantia dicitur ad ſe, non ad aliud; ſi autem denominetur, anima relativè dicitur: anima enim non eſt reſpectu ſui, ſed alterius, anima. Idem dicito de perſonâ, ſub hoc nomine dicitur ad ſe, ſub nomine verò paternitatis, eſt ad alterum, & eo ſolo numerum inſinuat.

Dices 2°. forma hypoſtatica debet eſſe ſubſtantia, cùm ſit ultimum ſubſtantiæ complementum; ſubſtantia enim compleri non poteſt, niſi per ſubſtantiam: atqui relationes non ſunt ſubſtantiæ, alioquin quatuor aut quinque eſſent in Deo ſubſtantiæ. Ergo.

Diſtinguo maj. debet eſſe ſubſtantia vel ſubſtantiale quid, ſubſtantiæ exiſtendi modus, Concedo: debet eſſe ſubſtantia ſimpliciter, Nego majorem; nam Verbum in incarnatione naturam humanam in ratione ſubſtantiæ totam accepit, ſed illam non accepit cum eo exiſtendi modo, quo naturaliter deberet eſſe in ſe, & incommunicabilis alteri. Porrò relationes divinæ etiamſi non poſſint dici ſimpliciter ſubſtantiæ; quia in Deo una eſt ſubſtantia, ſunt tamen ſub-

ſtantiale quid, non verò accidentale.

Inſtabis: S. Auguſtinus lib. 7. de Trinitate cap. 1. comparat relationem Patris ad Filium cum relatione heri ad famulum: atqui relatio heri ad famulum non eſt ſubſtantialis nec realis: ſed tantùm rationis; Ergo.

Diſtinguo majorem: quoad aliquid, nempe quòd nomina illa pater & herus ſint relativa, Concedo: quoad omnia, quaſi termini illi pater & herus, ſint eodem modo relativi, Nego majorem. Legatur caput & patebit ſolutio; ibi enim ſanctus Doctor præmonet, quædam in Deo relativè dici, alia verò abſolutè, tum ſubjicit exempla, quibus innoteſcat, quid ſit diſcriminis inter relativa & abſoluta.

Dices 3°. quod refertur priùs conſtituitur, quàm referatur: Ergo.

Diſtinguo antecedens: quàm referatur relatione accidentali & categoricâ, Concedo: relatione ſubſtantiali & tranſcendentali, Nego antecedens: namque potentia non conſtituitur in ſuo eſſe potentiæ, niſi per aliquid relativum, quia totum eſſe potentiæ eſt ad aliud. Porrò relationes divinæ non ſunt accidentales, ſed ſubſtantiales.

Inſtabis: omnis relatio ſupponit fundamentum, paternitas v. g. generationem: fundamentum autem eſt prius ipsâ relatione, & perſona generans priùs eſt conſtituta, quàm generet. Ergo paternitas ſupponit generationem Filii, & generatio ipſa perſonalitatem ſeu formam hypoſtaticam, ac proinde forma hypoſtatica non conſtituitur per relationem, ſed eam præcedit.

Confirmatur: paternitas exurgit ex filiatione; nullus enim dici, aut concipi poteſt Pater, niſi habeat Filium; atqui perſona Patris non exurgit ex perſonâ Filii, cùm ſit prior, ſaltem inſtanti

originis, ut dictum eſt, ergo perſona Patris non conſtituitur per paternitatem.

Diſtinguo primam propoſitionem; omnis relatio ſupponit fundamentum, ſi ſit accidentalis & categorica, Concedo, ſi ſit ſubſtantialis & tranſcendens, Nego. Nullum enim eſt fundamentum relationis animæ rationalis ad corpus, & cujuſque potentiæ ad objectum, ſed ex naturâ & eſſentiâ habent talem ordinem & reſpectum.

Diſtinguo quoque ſecundam propoſitionem; perſona generans priùs eſt conſtituta, quàm generet; ſi generare ſit actio ipſi accidentalis, Concedo: ſi generare ſit ipſius eſſe, Nego. Sic intellectus divinus non priùs conſtituitur, quàm intelligat, quia ipſum intelligere eſt ipſius eſſe.

Fatendum tamen eſt ſecundùm noſtrum imperfectum concipiendi modum tria eſſe officia cujuſlibet relationis perſonalis, putà paternitatis, inter quæ eſt quidam ordo prioris & poſterioris. Namque paternitas primo loco concipitur tanquam forma in Patre, per quam ultimò terminatur natura divina, conſtituiturque perſona Patris, & ſub hoc primo repectu relatio dicitur habere eſſe *in*. 2º. Conſideratur paternitas intellectioni conjuncta ut potentia generans, ſeu potiùs ut generatio actualis, quia nihil eſt in Deo potentiale, & ſic ſpectatur juxta ſuum eſſe *ad*; quia ſub illo reſpectu terminatur ad Filium. 3º. attenditur mutuus reſpectus utriuſque perſonæ, qui dicitur in Patre paternitas, & in Filio filiatio. Equidem, ſecundùm diviſos illos conceptus forma hypoſtatica primum locum tenet, & objicitur ut aliquid præſuppoſitum ceteris officiis, generatio, ſeu productio, medium, & mutuus ille reſpectus, ultimum, ac veluti aliquid reſultans, quamvis hæc tria unum ſint à parte rei, ip-

ſaque paternitas terminet naturam divinam, generet, & referat.

Urgebis: nullum eſt munus relationis, niſi referre.

Diſtinguo: relationis accidentalis, Concedo: ſubſtantialis, Nego; namque anima rationalis non ſimpliciter reſpicit corpus ut terminum, ſed inſuper ut ſubjectum informandum.

Dices 4°. relata ſunt ſimul naturâ & cognitione: atqui perſona producens prior eſt perſonâ procedente: ergo non conſtituitur perſona per aliquid relativum.

Diſtinguo majorem, relata ſunt ſimul cognitione, ſi ſpectentur adæquatè, & ſecundùm triplex munus, de quo ſuprà, Concedo: ſi inadæquatè, ſubdiſtinguo, ſecundùm eſſe *ad*, Concedo: ſecundùm eſſe *in*, Nego majorem, priùs enim concipimus perſonam conſtitui per formam hypoſtaticam, quàm aliam producere, & ad eam referri, quamvis eadem relatio perſonam conſtituat & referat.

Diſtinguo etiam minorem, perſona producens prior eſt procedente prioritate originis & inſtanti à quo, Concedo: prioritate temporis, aut naturæ, ſeu inſtanti in quo, Nego minorem, ſolutio patet ex dictis.

Dices 5°. totum eſſe relati eſt ad aliud: atqui perſona divina non eſt tota ad aliud: Ergo.

Diſtinguo majorem: totum eſſe relati formaliter ſumpti, & ut relatum eſt, Concedo: totum eſſe relati materialiter ſumpti, Nego. maj. ſimile v. g. ut ſimile, eſt ad aliud: non verò res ſimilis, puta album, quod eſt abſolutum. Sic perſona divina, ut Pater eſt, alium reſpicit, non verò ut Deus eſt.

Q. 20. *Quomodo relationes diſtinguuntur tum à ſe invicem, tum à naturâ divinâ?*

Reſpondeo 1o. ſpiratio activa non diſtinguitur à paternitate & filiatione, niſi virtualiter; quia in divinis nulla eſt diſtinctio realis, ubi non obviat relationis oppoſitio: atqui nulla eſt relationis oppoſitio inter ſpirationem activam, & paternitatem, & filiationem: Ergo.

Dices 1°. nulla eſt oppoſitio inter ſpirationem paſſivam, filiationem & paternitatem, & tamen illæ relationes realiter diſtinguuntur, Ergo.

Diſtinguo antecedens, nulla eſt oppoſitio immediata, Concedo: mediata, Nego antecedens; namque paternitas & filiatio mediante ſpiratione activâ reſpiciunt ſpirationem paſſivam, quatenus ex ſuo eſſendi modo ſpirationem activam neceſſariò connotant, & per eam conferunt ad proceſſionem Spiritus-ſancti, adeo ut, ſicut cap. præcedenti diximus, filiatio non foret eadem quæ nunc eſt, ſi Spiritus-ſanctus à Filio non procederet.

Dices 2°. relationes, quæ habent diverſos terminos, realiter diſtinguuntur: atqui ſpiratio activa, & filiatio habent diverſos termines, illa Spiritum-ſanctum, hæc Patrem. Ergo.

Nego maj. nam relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis in pariete albo habent diverſos terminos, prior parietem album, poſterior parietem nigrum, & tamen duæ illæ relationes non diſtinguuntur realiter, cùm in eadem albedine fundentur tanquam in fundamento proximo, à quo relatio non diſtinguitur realiter.

Dices 3°. ſpiratio activa in Filio habet Patrem pro principio *quoad*: Ergo realiter diſtinguitur à paternitate.

Diſtinguo anteced. pro principio *quod* communicationis: ſicut & natura divina, quæ eſt in Filio, Concedo: pro principio *quod* productionis, Nego anteced. ſpiratio enim activa non pro-

ducitur, ſed communicatur; unde ſicut natura divina Filio communicata realiter non diſtinguitur à Paternitate, ſic nec ſpiratio activa.

Inſtabis: ergo tres ſunt tantùm relationes; cùm ſpiratio activa ſit quid unum cum paternitate & filiatione.

Reſpondeo 1°. Nego ſequelam; namque ad diſtinctionem relationis ſufficit diſtinctio virtualis, modò termini ſint realiter diſtincti, ut patet ex allato exemplo ſimilitudinis & diſſimilitudinis. Porrò ſpiratio activa virtualiter diſtinguitur à paternitate & filiatione, habetque terminum tum à ſe, tum ab illis realiter diſtinctum, ſcilicet Spiritum-ſanctum, quem alio modo reſpicit, quàm paternitas.

Reſpondeo 2°. paternitatem, filiationem, & ſpirationem paſſivam inter ſe realiter diſtingui, tum quia quælibet ex dictis eſt forma hypoſtatica, per quam unaquæque perſona ab alterâ realiter diſtinguitur: tum quia inter illas relationes eſt realis oppoſitio: ergo & diſtinctio.

Reſpondeo 3°. relationes divinas ab eſſentiâ divinâ non diſtingui realiter, ſed ſolùm virtualiter.

Prima pars, quæ eſt de diſtinctione reali probatur 1°. auctoritate tum Concilii Remenſis an. 1148. in quo Præſide Eugenio III. damnatæ ſunt hæ propoſitiones Gilberti Porretani Epiſcopi Pictavienſis, quas ibi revocavit; prima, *Divinitas Deus non eſt, ſed forma, quâ Deus eſt*; ſecunda, *Tres perſonæ diſtinctæ ſunt tribus proprietatibus, quæ non ſunt ipſæ perſonæ, ſed à divinâ ſubſtantiâ in numero differunt*: tum Concilii Lateranenſis IV. ſub Innocentio III. anno 1215. Can. *Damnamus*, extra de ſummâ Trinitate, ubi definitum eſt non eſſe in Deo quaternitatem, quæ revera ineſſet, ſi natura divina realiter diſtingueretur à relationibus

divinis. Tum denique Concilii Florentini anno 1439. in cujus ſeſſ. 18. Joannes Theologus ſic loquitur, *divina ſubſtantia & perſona re quidem ſunt idem, ſecundùm autem modum intellectionis differunt.*

Probatur 2°. ratione; tum quia in divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relatioins oppoſitio, quæ certè nulla eſt inter eſſentiam divinam, & divinas relationes: tum quia ſi relatio & eſſentia divina realiter diſtinguerentur, Deus eſſet compoſitus, nempe ex divinitate & relatione ſeu perſonalitate, quod repugnat ſummæ ejus ſimplicitati. Ergo Deus & deitas realiter unum ſunt.

Secunda pars probatur; quia ibi eſt diſtinctio virtualis, ubi unum ſimpliciſſimum æquivalet duobus, diſtinctiſque conceptibus apprehenditur: atqui relatio divina & eſſentia, quæ ſunt una ſimpliciſſima entitas, duobus æquivalent, præſtant quod duo realiter diſtincta præſtarent, apprehenduntur que diverſis conceptibus; eſſentia divina eſt communis tribus perſonis, relationes verò ſunt propriæ: illa concipitur ut prima radix, hæ ut attributa, quæ emanant: Ergo.

Confirmatur ex ſanctis Patribus. Sanctus Hilarius lib. 8. de Trinitate ſic ſcribit: *non idem eſt natura quod naturæ eſt, ſicuti non idem eſt homo quod hominis eſt... non idem eſt Deus, quod Dei eſt.* Et ſanctus Auguſtinus lib. 8. de Trinitate cap. 4. *Sunt quidem unum in ſe*, inquit, *paternitas & eſſentia; nefas tamen dictu Patrem paternitate eſſe Deum, & paternitate ſapientem.* Quæ contra ſolent objici, expendentur Cap. 12.

CAPUT X.

De Miſſionibus Divinis.

Q. 1°. QUid eſt Miſſio in divinis?

R. Definitur, unius perſonæ divinæ ab aliâ proceſſio, adjunctum habens effectum temporalem aliquo modo pertinentem ad ordinem gratiæ.

Dicitur 1°. *unius perſonæ divinæ ab aliâ proceſſio*, juxta illud S. Auguſtini lib. 3. contra Maximinum cap. 14. *non enim*, inquit, *genitorem ab eo quem genuit, ſed genitum à genitore, mitti oportebat. Verùm non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ: non quòd alter eſſet prior altero, ſed quòd alter eſſet ex altero.* Et lib. 4. de Trinitate c. 20. de miſſione Filii à Patre ſic loquitur: *Non quia ille major eſt, ille minor, ſed quia ille genitor, ille genitus: ille, à quo eſt, qui mittit; ille, qui eſt ab eo, qui mittitur ... quid ergo mirum, ſi mittitur, non quia inæqualis eſt Patri, ſed quia eſt emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera?*

Dicitur 2°. *adjunctum habens effectum temporalem*, juxta illud Gal. 4. *at ubi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Unde ſic concludit S. Auguſtinus cit. c. 20. lib. 4. de Trinit. *Non ergo*, inquit, *eo ipſo quòd de Patre natus eſt, miſſus dicitur Filius, ſed vel ex eo quòd apparuit huic mundo Verbum caro factum; unde dixit:* Exivi à Patre, & veni in mundum; *vel ex eo quòd cujuſquam mente percipitur, ſicut dictum eſt*, mitte illam (ſapientiam) ut mecum ſit & mecum laboret. Ergo miſſio eſt temporalis, proceſſio verò æterna, ergo duæ tantùm perſonæ propriè mittuntur, ſcilicet Filius, & Spiritus-ſanctus; quia ſolæ procedunt: Pater

non mittitur, ſed ſeipſum dat; S. tamen Auguſtinus dicit Filium miſiſſe ſe, ſed impropriè.

Dicitur 3°. *aliquo modo pertinentem ad ordinem gratiæ:* propriè enim perſona divina non dicitur mitti ad opera naturæ.

Dices: qui mittit, debet determinare, ſi non imperio, ſaltem concilio, voluntatem ejus, qui mittitur: atqui perſona divina non poteſt ſic determinari: ergo nec mitti.

Diſtinguo majorem, qui mittit, debet determinare in creatis, Concedo: in divinis, Nego maj. Namque ex dictis miſſio in divinis eſt proceſſio ſive Filii, ſive Spiritûs-ſancti, in quâ communicatur natura volens perſonæ procedenti, ut explicatum eſt ubi de Proceſſionibus.

Dices 2°. Iſa. 48. Filius dicitur miſſus à Spiritu ſancto: ergo miſſio non eſt proceſſio.

Diſtinguo anteced. Filius ut homo miſſus eſt à Spiritu-ſancto, quatenus accepit ab ipſo gratiarum dona, quæ licèt ſint à tribus perſonis, approprientur tamen Spiritui ſancto, quia procedit ut terminus amoris divini, Concedo: Filius ut Filius, & Verbum Patris, Nego antecedens.

Q. 2°. *Quotuplex eſt miſſio?*

R. Duplex, viſibilis, quæ habet effectum viſibilem, ut miſſio Spiritûs-ſancti ſub ſpecie columbæ, ignis & venti: inviſibilis, quæ conjungitur cum effectu inviſibili, qualis eſt infuſio gratiæ.

Q. 3°. *Quotuplex eſt miſſio inviſibilis?*

R. Duplex, alia quæ habet effectum permanentem, ut miſſio Filii per unionem hypoſtaticam, quæ in perpetuum manet; alia quæ habet effectum tranſeuntem, ut miſſio Spiritûs-ſancti in ſpecie columbæ, & linguarum ignearum, quæ citò evanuerunt.

Q. 4. *Quotuplex eſt Miſſio inviſibilis?*

R. Duplex diſtingui poteſt: alia præcipua &

ſimpliciter dicta, quæ fit per infuſionem gratiæ ſanctificantis: alia minùs præcipua & ſecundùm quid, quæ fit per communicationem aliorum donorum.

Probatur utraque reſponſionis pars, 1°. ex Scripturâ, quæ ſimpliciter & conſtanter docet tum Spiritum-ſanctum ad nos venire, aut à nobis recedere, cùm vel gratia ſanctificans infunditur, vel grave peccatum committitur. Joan. 14. *Si quis diligit me ... ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* 1. Joan. 4. *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Sap. 1. *in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis; Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Matth. 7. *Multi dicent mihi in illâ die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ... & tunc confitèbor illis quia nunquam novi vos.* Ubi Chriſtus Dominus teſtatur ſe abeſſe à peccatoribus, quibus tamen largitus eſt donum fidei, & aliarum gratiarum quæ ſecundùm Patres Tridentinos ſeſſ. 14. cap. 4. ſunt Spiritûs-ſancti impulſus nondum inhabitantis, ſed tantùm moventis.

Probatur 2°. ratione. Miſſio fit; cùm perſona divina incipit novo modo eſſe alicubi: atqui illud fit præcipuè per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ eſt excellentiſſima unio Deum inter & creaturam intellectualem, per quam ſi in hypotheſi impoſſibili Deus non eſſet ubique, fieret tamen præſens homini juſto.

Ex dictis colliges nunquam mitti unam perſonam, quin altera, quæ mitti poteſt, ſimul mittatur; & veniat prima perſona, ſcilicet Pater, juxta illud Joan. 14. *ad eum veniemus;* tum quia tres perſonæ ſunt in ſe invicem per circum

inſeſſionem, ut diximus : tum quia effectus temporalis eſt omnibus communis, cùm omnipotentiâ procedat. Nihilominus ratione effectuum, qui appropriantur perſonæ procedenti, dicitur una perſona potiùs mitti, quàm alia: putà, Filius ratione donorum intellectualium, Spiritus verò ſanctus ratione eorum, quæ voluntatem perficiunt.

Q. 5. *Eſt-ne neceſſe, ut quoties ſit Miſſio viſibilis, fiat quoque inviſibilis?*

R. Neceſſe non eſt, ut tunc fiat; namque miſſio Spiritûs-ſancti in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum baptizatum non ſignificabat tum infundi gratiam, cùm à conceptione fuerit gratiâ pleniſſimus, nec poſtea ejus augmentum acceperit. Sed ſemper denotat miſſionem inviſibilem vel præceſſiſſe, ut in Chriſto baptizato, vel tum fieri, ut in Apoſtolis die Pentecoſtes.

CAPUT XI.

Utrùm exiſtentia, vel poſſibilitas Myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis ratione naturali probari poſſit?

AFfirmarunt, 1°. Claudianus Mammertus Preſbyter Viennenſis quinto ſeculo, *Plato,* inquit lib. 2. de ſtatu animæ cap. 7. tom. 6. Biblioth. Patrum, *unum Deum: & tres in divinitate perſonas, laudabili auſu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quæſivit, invenit, prodidit.* 2°. Abaïlardus duodecimo ſeculo famoſus, gloriatus eſt ſe unâ ingenii ſubtilitate altiſſima quæque fidei myſteria evincere poſſe, ex ſancto Bernardo epiſt. 190. poſtremæ editionis. 3°. idem ſibi

arrogavit decimo tertio ſeculo Raymundus Lullus lib. de articulis fidei, & lib. de demonſtratione æquiparentiæ, ſed quàm infauſto conatu patebit ex objectionum ſolutione. Quare ad propoſitam quæſtionem,

R. Cum Theologorum turbâ. Nec exiſtentia, nec poſſibilitas Myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis ratione naturali etiam ſuppoſitâ revelatione, poſitivè probari poteſt, ſed tantùm negativè.

Prima pars probatur 1°. ex Scripturis, Matth. 11. *Nemo novit Filium, niſi Pater neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et cap. 16. ubi cùm Petrus Chriſtum Dominum Filium Dei profeſſus eſt, reponit Chriſtus, *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis* (hoc eſt, humana ratio) *non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.*

Probatur 2°. ex Patribus; ſanctus Hilarius lib. 3°. de Trinitate ſcribit, *hæc Philoſophia non ſapit*: S. Ambroſius lib. de fide cap. 10. *impoſſibile eſt*, inquit, *generationis Verbi divini ſcire ſecretum, mens deficit; vox ſilet*; ſanctus Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 6. *quæ vivacitas rationis*, inquit, *quæ acies cogitationis oſtendent, quomodo ſit Trinitas?* eadem tradunt Lactantius lib. 4. Inſtitutionum cap. 29. & Sanctus Athanaſius epiſt. 1. ad Serapionem.

Probatur 3°. ratione, quam urget S. Thomas, omnis demonſtratio, vel eſt à priori, ſeu per cauſas, vel à poſteriori, ſeu per effectus: atqui Trinitatis exiſtentia probari non poteſt à priori, cùm nullam ſui cauſam agnoſcat: neque etiam à poſteriori; quia creaturæ non dependent à Deo quatenus trinus eſt, ſed quatenus omnipotens: omnipotentia autem eſt attributum ad naturam divinam pertinens, nec minimam diſtinctionis inter perſonas ſuſpicionem ingerit. Ergo nequi-

dem probabiliter hujus myſterii exiſtentia ratione naturali aſtrui poteſt.

Secunda pars, quæ eſt de poſſibilitate, probatur; quia tum poſitivè probatur rem eſſe poſſibilem, cùm ſuppetit aliquod medium, quod neceſſariam cum illâ habeat connexionem: atqui nullum eſt medium ratione naturali cognitum, quod ſit neceſſariò connexum cum Trinitatis poſſibilitate, imò quæcunque occurrunt, cum illâ pugnare videntur; hinc eſt quòd illud myſterium acriores hoſtes non habuerit, quàm qui rationem audiendam eſſe cenſuerunt.

Tertia pars, nempe quòd, ſuppoſitâ revelatione, hoc myſterium negativè aſtrui poſſit, probatur. Quia illud myſterium probatur negativè, quod aſſeritur verum ſolvendo omnia momenta, quæ contrà proponuntur: atqui ſuppoſitâ revelatione ſolvi poſſunt quæcunque contra myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis objiciuntur, ut patebit ex capite ſequenti: Ergo.

Dices 1°. ratione naturali innoteſcit Deum intelligere & amare: ergo verbum & amorem producere.

Reſpondeo 1°. negando conſequentiam. Cùm enim lumine naturali aſſequamur Deum eſſe actum maximè neceſſarium, puriſſimum, & infinitum in omni genere perfectionis; inde naturaliter colligeremus Deum intelligendo & amando, nec verbum, nec amorem producere quia iſte intelligendi & amandi modus videtur admodum imperfectus, cùm denotet 1°. intellectum & voluntatem eſſe meras potentias, quæ repugnant actui maximè neceſſario, 2°. terminos intellectionis, & amoris eſſe accidentia in Deo immanentia, ac proinde eſſe in Deo compoſitionem realem ex ſubſtantiâ & accidentibus. Quare Philoſophus ſibi derelictus de Deo in-

telligente & volente idipſum affirmaret, quod nos lumine fidei illuſtrati de Spiritu ſancto aſſerimus, nimirum quòd intelligat & amet abſque reali productione verbi & amoris. Igitur intelligere & velle in Deo dupliciter ſumi poſſunt nimirum eſſentialiter & notionaliter. Si ſumantur eſſentialiter, non ſolùm fides, ſed etiam ratio naturalis docet, ſic intelligere & velle in Deo eſſe ipſius eſſe, ut demonſtravimus tractatu præcedenti, ubi de ſimplicitate Dei. Unde diſtinguenda eſt ſequens propoſitio, omnis ſubſtantia cognoſcens & volens producit Verbum, & pondus ſeu amorem, tanquam cognitionis & volitionis terminos; omnis, inquam, ſubſtantia creata, qui non eſt ſuus actus, Concedo: omnis ſubſtantia, etiam increata, Nego, quia eſt actus puriſſimus omnis potentiæ & compoſitionis expers. Si autem intelligere & velle notionaliter ſumantur, revera producunt terminos; & ratio naturalis non colligit ex creaturis, ſed ſolâ fide apprehendit, dari in Deo intellectionem & volitionem notionales.

Reſpondeo 2°. etiamſi ſupponeretur Philoſophum ratiocinando eò devenire poſſe, ut concluderet terminos intellectionis & volitionis divinæ, eſſe ſubſtantias æternas, infinitas, & immutabiles; non detegeret propterea Trinitatis myſteria, ſed in errorem contrarium laberetur, exiſtimans illas ſubſtantias eſſe plures Deos, nec unquam ſuſpicari poſſet producentem & productum eſſe quid realiter unum ſolis ſubſiſtentiis diſtinctum.

Dices 2°. 1ª. eſt boni natura, ut ſeſe diffundat & communicet, & quidem eo ampliùs, quo eſt bonum perfectius: atqui Deus eſt bonum infinitum: Ergo infinitè ſe communicat, ac proinde producit terminum infinitum.

Diſtinguo majorem: bonum eo amplius ſeſe diffundit, quo eſt perfectius, hoc ſenſu quòd plura & majora in infinitum ab eo emanent, adeo ut nunquam exhauriri poſſit, Concedo: hoc ſenſu, quòd ſummum & infinitum bonum neceſſariò producat ſibi ſimile, ſcilicet alium Deum, Nego majorem: cùm enim Philoſophus certò colligat repugnare Deorum pluralitatem, conſequenter concludet Deum non poſſe alium ſibi ſimilem producere.

Dices 3°. demonſtrari poteſt Religionem Chriſtianam eſſe divinam, & nonniſi vera docere. Ergo, cùm doceat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, certò concludetur illud eſſe veriſſimum.

Diſtinguo conſequens, concludetur Theologicè, & ex principiis à Deo revelatis, Concedo: concludetur medio naturali, & evidentiâ intrinſecâ, Nego conſeq.

Dices 4°. non poteſt demonſtrari Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium eſſe impoſſibile: ergo demonſtrari poteſt eſſe poſſibile; nam inter poſſibile & impoſſibile non datur medium.

Nego conſequens, quamvis enim non detur medium inter poſſibile & impoſſibile; quia unum ſe habet ut affirmatio; aliud verò ut negatio, poteſt tamen dari medius hominis ſtatus inter duos de eâdem re diſputantes, unum affirmantem, alterum negantem, ſcilicet dubius hærebit, quia neuter ex diſceptantibus profert efficax argumentum.

Dices 5°. plures è Philoſophis ethnicis ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium agnovêre, ſanctus Auguſtinus lib. 7. Conf. cap. 9. ſic de Platonicorum libris ſcribit, *ibi legi*, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipſum facta ſunt.

Primò, Plato ipſe pluribus in locis, ut epiſtolâ 2. ad Dionyſium, quam Euſebius refert lib. 11. præparationis Evangelicæ cap. 20. & epiſtolâ 6. ad Hermam, tribuit Deo Verbum æternum, per quod omnia creavit, vocatque illud mentem eximiam, ideam, lucem; & à Verbo tertium exiiſſe docet, qui eſt veluti anima mundi, ipſum vegetans & conſervans. Hinc antiqui Patres nonnumquam teſtimonio Platonis revincunt Paganos Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium deridentes.

Secundò Zoroaſtres Bactrianus, quem Semiramidi coævum ferunt, in magicis Deum Patrem & Filium agnovit.

Tertiò, Mercurius Triſmegiſtus, qui circa Moſis tempora floruit, hæc habet apud Pœmandrum: *Monas genuit Monadem, & ipſe ſuum reflexit ardorem.*

Quartò, Sybilla Erythræa prædixit Jeſum Chriſtum Dei Filium Salvatorem, ex S. Auguſtini lib. 18. de Civ. Dei cap. 23.

Reſpondeo 1°. Platonem ipſum diſcendi ſtudio peregrinatum, & ex ſacris Judæorum libris nonnulla potuiſſe deſumere, quæ malè intellecta, & verbo tenus fidei noſtræ affinia ſuis ſcriptis inſeruit; nam tria illa recenſita nomina tanquam tres Deos proponit, quorum primus ſit major, ſecundus minor, tertius infimus, ex Macrobio in Somnio Scipionis cap. 14. Plautino Enneade quintâ lib. 1. cap. 3. & ſeq. Euſebio cit. lib. 11. S. Auguſtino lib. 13. de Civ. Dei cap. 16. & 17. S. Cyrillo Alexandrino lib. 3. in Julianum. Patres revera adversùs Gentiles, qui ipſis Deum prædicantibus Patrem, Filium, & Spiritum-ſanctum, ſcandalum patiebantur, Platonem magni nominis Philoſophum hæc tria in Deo agnoviſſe reponebant. At ubi pugnandum

fuit cum Hæreticis, qui ex Scholâ Platonis Patrem majorem & Filium minorem aſſerebant, iidem Patres Platonis doctrinam & impietatem procul amandarunt.

Reſpondeo 2°. quæ ex Zoroaſtre, Triſmegiſto, & Sybilis afferuntur, ſuppoſititia ſunt, & poſt Chriſti tempora conficta, ut inter alios obſervat Petavius lib. 1. de Trinitate cap. 2. ſed eſto genuina ſint carmina Sybillina, identidem à Catholicis laudata, certè fœtus luminis naturalis dici nequeunt, cùm in illis multa de Chriſto canantur merè contingentia, qualis eſt ejus Paſſio; unde neceſſe eſt Sybillis in præmium caſtitatis, ut nonnulli ſuſpicantur, hæc fuiſſe revelata, quemadmodum legitur Num. 23. Balaam divinitus afflatum prophetaſſe.

CAPUT II.

Utrùm myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis cum ratione naturali pugnet?

R. Non pugnat. Quia quod eſt à Deo, non poteſt determinare ad falſum, nec eſſe erroris principium: atqui ratio naturalis eſt lumen à Deo immiſſum: ergo ratio naturalis non poteſt determinare ad falſum, nec eſſe erroris principium; ac proinde non pugnat cum veritate myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis Deinde, homo creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, Gen. 2. Eſſet autem diſſimilis, ſi ex principiis rationis naturalis cogeretur negare hoc myſterium; nam, *quæ ſocietas*, inquit Apoſtolus 2. Cor. 6. *luci ad tenebras?* aut quæ conventio veritatis ad errorem & falſitatem? Igitur conſtans eſſe debet myſterium Sanctiſſimæ Tri-

nitatis non eſſe rationi contrarium, licèt ſit ei impervium. Conſule dicta cap. 1.

Dices: primum principium totius humani ratiocinii illud eſt, *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: atqui illud principium pugnat cum myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, in quo Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt idem in natura divina, & inter ſe realiter diſtinguntur: Ergo.

Reſpondeo 1°. negando majorem; quia deducitur tanquam concluſio ex alio univerſaliori, & evidentiori, nempe, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*. Enimverò ſi abſolutè & univerſaliter verum eſſet laudatum principium, cur à Philoſophis inventæ ſunt plures regulæ, figuræ & modi figurarum, quibus omiſſis, argumentiones noſtræ falſæ reperiuntur, niſi quia multa poſſunt eſſe eadem in uno tertio, quæ tamen non ſunt eadem inter ſe? Hujuſce reſponſionis veritas magnis eluceſcet ſubjectis exemplis. Aliquod vivens eſt rationale: atqui omne brutum eſt vivens: ergo aliquod brutum eſt rationale. Hic brutum & rationale ſunt quid unum in vivente tanquam in uno tertio, & nihilominus inter ſe ſunt diverſa. Item, omnis homo eſt vivens: atqui omnis planta eſt vivens: ergo omnis homo eſt planta. Ubi homo & planta conveniunt in uno tertio, ſcilicet vivente, & maximè inter ſe differunt. Ergo principium illud, *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*, non eſt ita univerſaliter verum, ut nullas exceptiones admittat, etiam in rebus creatis. Satis itaque non eſt res convenire utcumque in uno tertio, ut ſint quid unum inter ſe, ſed juxta Philoſophorum placita neceſſe eſt, ut conveniant certo quodam modo, & ſecundùm regulas in Scholâ traditas; nempe, inquiunt, debent eſſe adæquatè quid

unum uni tertio; inſuper unum tertium debet eſſe incommunicabile, quemadmodum Petrus & homo ſunt adæquatè quid unum in rationali aliis incommunicabili, ſicque rectum erit illud ratiocinium, omnis homo eſt rationalis: atqui Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt rationalis.

Porrò ſi ratio naturalis tot regulas & modos adinvenit uti neceſſarios, ut verus & certus ſit ejus diſcurſus circa res creatas & finitas, à fortiori auxilio hujuſmodi regularum uti debet, ut poſſit (ſcilicet tamen revelatione divinâ) cum eâdem certitudine, circa ſupernaturalia & divina procedere. Etenim multa effata valent reſpectu creaturarum, quæ ſi ad divina transferantur, falſa ſunt; quale eſt illud, ex nihilo nihil fit: item, nemo poteſt modò unum velle, modò nolle, niſi mutatis actibus; quòd de Deo dici nequit. Itaque,

Reſpondeo 2°. diſtinguendo min. Pater & Filius ſunt quid unum inadæquatè in eſſentiâ divinâ tribus communicabili, Concedo: adæquatè in eſſentiâ divinâ incommunicabili, Nego min. quemadmodum ergo non ſequitur brutum & rationale eſſe unum inter ſe, ex eo quòd conveniant in ratione animalis, quia animal eſt pluribus communicabile; nec rationale eſt omne animal, ſed aliquod; ſic non ſequitur Patrem eſſe Filium, cùm ſint quid unum in naturâ divinâ, quia Pater non eſt id totum, quod eſt natura divina, hinc vitioſus eſt ille Syllogiſmus: hic Deus eſt Pater: atqui hic Deus eſt Filius: ergo Filius eſt Pater; namque terminus (Deus) licèt ſit abſolutè ſingularis, attamen propter communicabilitatem naturæ divinæ tribus perſonis, æquivalet termino univerſali; ac proinde Deus non eſt adæquatè Pater, quare in formâ ſic conficiendus eſt Syllogiſmus: quidquid eſt

Deus

Deus eſt Pater : quidquid eſt Deus eſt Filius: ergo Parer eſt Filius. Sed in hoc Syllogiſmo falſæ ſunt major & minor, ac proinde neganda eſt conſequentia.

Inſtabis : ex eo quòd miſericordia & juſtitia ſint quid unum realiter in naturâ divinâ, rectè colligit humana ratio eas non diſtingui realiter inter ſe : ergo à pari licet ei concludere Patrem & Filium eſſe realiter unam perſonam, cùm ſint quid realiter unum in naturâ divinâ.

Nego conſequentiam & paritatem, quia miſericordia & juſtitia non opponuntur relativè, nec una ab alterâ realiter procedit, ſicut Filius procedit à Patre.

At, inquies, hæc eſt mera petitio principii.

Reſpondeo petitionem principii eſſe vitioſam in arguente, in reſpondente verò laudandam, utpote qui firmiter adhæreat ſuis principiis, nimirum revelationi divinæ, quæ & unicum Deum ſtatuit, & duos Patrem & Filium oſtendi, ait Tertullianus cap. 18. contra Praxeam.

Inſtabis iterum : ex conceſſis primum eſt rationis naturalis principium, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe : atqui admiſſo Trinitatis myſterio, idem ſimul eſſet & non eſſet : Ergo myſterium illud pugnat contra primum rationis principium.

Probatur min. 1°. idem Filius, qui eſt res ſimpliciſſima, & omnis compoſitionis realis expers, eſſet productus, & non eſſet productus, productus ratione perſonalitatis ; non productus verò ratione naturæ, quæ non producitur, ſed communicatur. 2°. Deus eſſet una perſona, & non eſſet : eſſet quidem, quia perſona eſt ſubſtantia ſingularis : atqui Deus eſt ſubſtantia ſingularis : ergo una perſona : non eſſet autem in hypotheſi admittente tres perſonas. 3°. Deus

eſſet ens ſimpliciſſimum & indiviſibile, & ſimul non eſſet; namque Pater producendo Filium partem ſui tribueret, nempe naturam divinam; alteram retineret, ſcilicet paternitatem. 4°. Pater eſſet trinus, & non eſſet: eſſet, quia eſt Deus: Deus autem, ſuppoſito hoc myſterio, trinus eſt; non eſſet verò, quia in illo nullus numerus.

Diſtinguo majorem: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe ſimpliciter & abſolutè, Concedo: eſſe & non eſſe ſecundùm quid, ſubdiſtinguo: Sub eodem reſpectu, Concedo: ſub diverſo reſpectu, Nego maj. Itaque illud primum rationis principium intelligitur de ente ſimpliciter & abſolutè ſumpto; nimirum impoſſibile eſt unum & idem ſimpliciter & abſolutè ſimul eſſe aliquid & nihil, formam & negationem formæ. Sed idem, quod ſimpliciter & abſolutè aliquid eſt, poteſt ſecundùm quid, & ſub uno reſpectu eſſe tale, & ſub alio reſpectu non eſſe tale. Sic v. g. anima rationalis ſub diverſo reſpectu intelligit, & non intelligit: intelligit per intellectum, non intelligit per voluntatem, licèt intellectus & voluntas in probaliori ſententiâ non diſtinguantur realiter. Hinc.

Reſpondeo ad ſingula, quæ in confirmationem allata ſunt.

Ad primum, Filius eſt productus, & non productus, ſub diverſo reſpectu, Concedo: ſub eodem reſpectu, Nego. Equidem natura Filii & ejus ſubſtantia ſunt una & eadem res ſimpliciſſima, ſed virtualiter duplex, quæ ratione ſubſiſtentiæ & filiationis producitur, ratione verò naturæ non producitur, ſed communicatur.

Ad ſecundum, perſona eſt ſubſtantia ſingularis tota in ſe, & incummunicabilis alteri: ſub-

ſtantia autem, ſeu natura divina, licèt ſingularis, tribus eſt communicabilis: ergo ſine ullâ contradictione unus eſt Deus; quia in Deo eſt una natura, quæ nomine Dei directè exprimitur: tres verò perſonæ: quia nomen perſonæ rectè ſignificat perſonalitatem, quæ in Deo triplex eſt, obliquè verò naturam divinam; concreta enim formam expreſsè ſonant, ſubjectum verò confusè.

Ad tertium, Nego Patrem generando Filium partem ſui communicare, aliam verò retinere; cùm enim paternitas identificetur naturæ divinæ, eſt in Filio, non quidem formaliter & relativè, quia ea eſt relationum oppoſitarum natura, ut ſe ab eodem ſubjecto excludant; ſed indenticè & materialiter, ſi ita loqui fas eſt, nec propterea ſequitur Filium eſſe Patrem; non enim Pater eſt, qui per identificationem cum naturâ divinâ paternitatem habet, ſed qui illam habet formaliter quatenus relativa eſt.

Ex conceſſis, inquies, paternitas identicè eſt in Filio. Ergo in Filio duplex eſt ſubſtantia, quod repugnat, conſequenter Filius eſt duplex perſona; nam ex dictis multiplicantur perſonæ pro multiplicatione ſubſtantiarum.

Nego conſequentiam; quia ad conſtituendam perſonam non ſufficit ſubſiſtantiam ineſſe materialiter & identicè, ſed inſuper requiritur ut inſit formaliter, ut videre eſt in myſterio Incarnationis, in quo ſecundùm fidem Catholicam Verbum aſſumpſit naturam humanam, non perſonam; quamvis in probabiliori ſententiâ perſonalitas identicè ſit ipſa natura; formaliter verò modus, quo natura eſtin ſe tota, & non in alio. Cùm autem Verbum non aſſumpſerit naturam humanam ſecundùm hunc modum, utpote quæ ſit ipſi ſubſtantialiter unita, ſequitur non aſſum-

pſiſſe perſonam humanam. Ergo à pari licèt natura divina quæ eſt in Filio, ſit identicè paternitas, Filius non eſt Pater, nec duplex perſona: quia non habet paternitatem formaliter, hoc eſt, ut relativa eſt, & ſecundùm illum ſubſiſtendi modum, qui Patris proprius eſt.

Ad quartum: Deus eſt trinus, ſi ſumatur generatim & confusè, quatenus complectitur tres ſubſiſtentias, Concedo: ſi ſumatur inadæquatè pro una ſingulari perſonâ, Nego. Unde patet ratiocinium, quod in objectione proponitur, meram eſſe cavillationem.

Dices 2°. ſi natura divina ex tribus perſonis conſtat, eſt aggregatum per accidens; coaleſcit enim ex tribus entibus perfectis: abſurdum conſequens, Ergo.

Nego ſequelam; quia ens verè per accidens dicitur, quod conſtat ex entibus ita perfectis, ut nullam habeant inter ſe connexionem. Hinc domus, quæ conſtat ex lapidibus, & lignis, eſt ens per accidens, quia lapides & ligna ſunt entia jam perfecta, nec ſe invincem ſubſtantialiter perficiunt: at Chriſtus Dominus nullatenus dici poteſt ens per accidens, propter duas naturas totales; quia natura humana mirum in modum perficitur per unionem hypoſtaticam. Multò minus id cogitari poteſt de Deo; cùm in eo ſit unica natura tribus perſonalitatibus ab ipsâ realiter indiſtinctis ſubſiſtens.

Dices 3o. ſicut repugnat eſſe tres Deos, ita & tres perſonas divinas.

Probatur paritas. Ideo non poſſunt eſſe tres Dii, quia Deus eſt ens infinitum & maximè neceſſarium: atqui ſi eſſent plures Dii, quilibet vel eſſet finitus careretque perfectionibus, quibus alter gauderet: vel ſi eſſet infinitus in omni genere perfectionis, nullus ex iis eſſet neceſſa-

rius, ſicque nullus ex eis eſſet Deus. Quis autem non videat eandem argumentationem poſſe contorqueri contra pluralitatem perſonarum? Quælibet enim vel eſt infinita, vel finita: ſi primum, plures ſunt ſuperfluæ, ergo nulla eſt Deus: ſi ſecundum, idem à fortiori ſequitur; quia Deus eſt ens infinitum.

Nego ſequelam, & paritatem; quià tres perſonæ ſunt unum eſſe infinitum & maximè neceſſarium, cùm identificentur uni naturæ ſummè neceſſariæ & perfectæ in omni genere perfectionis. Quòd ſi inter ſe comparentur tres illæ perſonalitates, evaneſcet difficultas in quâcunque Theologorum ſententiâ; ſi enim perſonalitates, utpote relationes, non ſunt perfectiones, nulla perſona carebit perfectione alterius: ſi verò dicantur perfectiones ſimplices, nullum abſurdum ſequitur, quòd una perſona illas formaliter non habeat, ſed virtualiter, & æquivalenter tantùm; cùm ex ſæpius dictis ipſa natura divina infinitè perfecta non contineat formaliter omnes perfectiones ſimplices, nec ſit melius ſic eas habere, quàm non habere.

Ad id verò, quod objicitur, tres perſonalitates non eſſe neceſſarias, ſed ſuperfluas, cùm unica ſufficiat,

Reſpondendum eſt, nos ex Scripturis habere tam neceſſarium eſſe naturam divinam tribus modis ſubſiſtere, quàm ſimpliciter exiſtere. Cur autem triplicem ſubſiſtentiam exigat, unicam verò exiſtentiam, ſoli norunt Beati.

CAPUT XIII.

Utrùm notitia myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis ſit ad ſalutem neceſſaria;

NEgant quidem Batavi Remonſtrantes, quos Semi Socinianos meritò dixeris, quia licèt rectè de Trinitate ſentiant, nihilominus cum Socinianis hujuſce adorandi myſterii Fidem abjicientibus communionem retinent, hàc opinione ducti, quòd ille fidei articulus non ſit præcipuus, nec fundamentalis, ſatiſque ſit ad ſalutem Deum unum & Chriſtum tanquam ejus legatum credere, ac eis ſub utroque nomine debitum honorem & obedientiam exhibere. Contra ejuſmodi errorem.

Reſpondeo cum omnibus Catholicis. Notitia myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis eſt ad ſalutem omninò neceſſaria.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Joan. 3. verſ. 18. *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus eſt; quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.* Et v. 36. *qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* 1. Joan. 5. verſ. 20. *ſcimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Ex quibus patet ad ſalutem obtinendam imprimis requiri, ut cognoſcatur Filius Dei, non ſolùm ut legatus Patris, ſed etiam ut unigenitus, ut verus Deus, ut vita æterna, hoc eſt, ut ſummum bonum. Præterea Chriſtus Dominus Matt. 28. alloquens Apoſtolos, ait. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii,*

& Spiritûs ſancti. Addit Marci 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Unde Apoſtolus Act. 19. obſtupeſcens, quòd Epheſii dicerent ſe neſcire, an eſſet Spiritus ſanctus, reſpondit, *in quo ergo baptizati eſtis?* Quæ verba innuunt notitiam trium perſonarum uti neceſſariam baptiſmo præire. Enimverò initiandus Patri, Filio, & Spiritui-ſancto in baptiſmo conſecratur, illis fidem & obſequium pollicetur: noverit ergo neceſſe eſt, quæ ſit cujuſque natura & dignitas, ne cultum divinum ad creaturam transferat, vel debitum honorem vero Deo deneget.

Probatur 2°. ex conſtanti uſu Eccleſiæ, quæ ab initiandis expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis fidem ſemper exegit, *ſi baptizari apud Hæreticos potuit*, inquit ſanctus Cyprianus epiſt. 73. ad Jubaianum, *templum Dei factus eſt, quæro cujus Dei? ſi Creatoris; non potuit, qui in eum non credidit: ſi Chriſti; nec hujus fieri poteſt templum, qui negat Deum Chriſtum: ſi Spiritûs ſancti; cùm tres unum ſint, quomodo Spiritus-ſanctus placatus ei eſſe poteſt, qui aut Patris, aut Filii inimicus eſt?* Denique Innocentius XI. anno 1679. damnavit hanc propoſitionem, *abſolutionis capax eſt homo, etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini.* Præiverat Academia Lovanienſis anno 1653. & ſubſecutus eſt Clerus Gallicanus anno 1700. Porrò ſi incapaces ſunt abſolutionis, qui adorandum illud myſterium ignorant, ergo & Paſtores, quorum ſilentio & incuriâ plures animæ pereunt.

Probatur 3o. ratione. Nullam omninò communionem, nullamve ſocietatem habere licet cum iis, qui vel creaturam pro Deo colunt, eique adhærent tanquam primo principio, & ultimo fini: vel ſupremum cultum vero Deo

impendere detrectant; hæc eſt enim ſumma impietas, ad quam expugnandam primum inſtituta eſt vera Religio: atqui Sociniani, Chriſtum aſſerentes creaturam, vel creaturam pro Deo colunt, vel ſupremum honorem vero Deo abjudicant: ergo cum iis nulla communio, nullave ſocietas eſt habenda.

Confirmatur ex epiſtolâ ſecundâ ſancti Joannis, in quâ Apoſtolus ſcribens de illis qui negant Chriſtum vel eſſe Filium Dei, vel veniſſe in carnem; ſic habet: *Nolite recipere eum in domo, nec Ave ei dixeritis; qui enim dixit illi, Ave, communicat ejus operibus malignis.*

TRACTATUS
DE
CREATIONE.

ORDO doctrinæ poſtulat, ut abſolutis quæ ſpectant proceſſiones divinarum perſonarum, dicamus de proceſſionibus creaturarum à Deo: illæ ſunt immanentes & ad intra: hæ tranſeuntes & ad extra.

Operationes autem Dei ad extra tres omninò numerantur, ſcilicet creatio, conſervatio, & concurſus Dei immediatus ad ſingulas actiones cauſarum ſecundarum, ſeu, ut placet Thomiſtis, præmotio divina applicans cauſas ſecundas ad agendum. In concurſu intelliguntur omnes productiones, quæ fiunt ex & in præjacente ſubjecto, ſaltem poſt peractum mundi opificium; toto enim tempore (ſcilicet ſex dierum ſpatio) per quod Scriptura refert Deum omnia opera ſua compleviſſe, multa ex præjacente materiâ educta ſunt, ut ſidera, plantæ, animalia, &c. ſine miniſterio cauſarum ſecundarum, juxta illud Iſaïæ 44. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.*

Creatio dupliciter ſumitur. 1°. latiùs & im-

propriè pro quâlibet productione, quo ſenſu Sapientia de ſeipsâ dicit Eccli. 24. *Ab initio & ante ſecula creata ſum.* & Epheſ. 4. *Induite novem hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.* 2o. Strictiùs & propriè pro productionis ex nullo præjacente ſubjecto, quo ſenſu hîc accipitur.

Definitur creatio propriè dicta, productio totius entis ex nihilo.

De creatione propriè dictâ, intelligenda ſunt hæc Moſis verba: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, Geneſ. cap. 1. ut conſtat tum ex cap. 7. lib. 2. Machab. *Peto, nate, ut aſpicias ad cœlum & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus:* tum ex Concilio IV. Lateranenſi, Cap. *Firmiter*, his verbis: *utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem.*

Conſervatio eſt continuata rei productio, ſeu continuus influxus in effectum; ſic Sol conſervat lumen à ſe emiſſum.

Quòd autem creaturæ continuo influxu à Deo pendeant, probatur ex Scripturâ, Pſ. 103. *Auferes Spiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur: emittes Spiritum tuum, & creabuntur.* Act. 17. *in ipſo ... vivimus.* Heb. 1. *portans ... omnia verbo virtutis ſuæ.*

Concurſus eſt ipſa creaturæ actio, prout eſt à Deo tanquam primo motore, & causâ univerſali rerum omnium, ſive præmoveat, & applicet cauſas ſecundas ad opus, ſive cum illis ſimultaneè concurrat.

Probatur autem exiſtentia & neceſſitas divini concursûs, 1o. ex Scripturâ, Act. cap. 17. jam laudato, *in ipſo ... vivimus, & movemur, & ſumus.* Luc. 4. verſ. 30. Judæis concurrentibus ut Chriſtum Deum præcipitarent ex ſupercilio montis, ipſe *tranſiens per medium illorum ibat*, ni-

mirum inviſibilis factus, Deo concurſum denegante eorum oculis alioquin apertis.

Probatur 2°. ex celebri Philoſophorum effato, operari ſequitur eſſe: atqui, ex dictis, creaturarum eſſe abſolutè indiget continuo & immediato Dei influxu: ergo & earum operari. Deinde omnis creatura eſſentialiter pendet à Deo immediatè influente: ergo & ejus productio. Probatur conſequentia. Productio creaturæ eſt ipſamet creatura in motu imperfecto, ſeu tranſiens à non eſſe ad eſſe, ergo ſi creatura in nullo ſtatu poſſit eſſe ſine Dei influxu, ſequitur Deum influere ad ejus productionem.

Ceterùm, hæc brevis expoſitio de proceſſione & omnimodâ dependentiâ creaturarum à Deo, præludium eſt neceſſarium ad præſentem Tractatum, in quo de creaturis ſecundùm ſe ſpectatis diſſerendum eſt, ut non tam ipſas, quàm Deum in ipſis operantem, & quidem pleniùs, quàm anima in corpore, quod vivificat, intuentes, illum ſolum miremur, adoremus in operibus ejus, ſive adverſa, ſive proſpera videantur.

Porrò in hoc Tractatu non procedemus Philoſophorum more, qui ducem naturam curioſè ſequuntur; ſed Theologorum, qui juxta Tertullianum plura ſcire non ambiunt, quàm quæ à Deo revelante didicerunt; cùm alia ad ſalutem minimè ſint neceſſaria.

Cùm autem Symbolum fidei noſtræ creaturas in duas claſſes generatim diſtribuat, inviſibiles ſcilicet & viſibiles, ſeu ſpirituales & corporeas, duæ erunt hujuſce Tractatûs partes. In primâ dicemus de angelis: in ſecundâ, de mundi corporei, ac præſertim homnis opificio.

PRIMA PARS,

DE ANGELIS.

CAPUT PRIMUM.

Quid Angelorum nomine intelligitur.

R. Angelus, ſecundùm vim nominis, idem eſt ac nuntius; hinc Evangelium, Latinè eſt bonum nuntium. *Angelorum vocabulum*, inquit ſanctus Gregorius hom. 34. in Evang. *nomen eſt officii, non naturæ... tunc ſolùm ſunt Angeli* (cœleſtes ſpiritus,) *cùm per eos aliqua nuntiantur.*

Generatim ergo dicuntur Angeli, qui à Deo mittuntur ad aliquod munus implendum. *Nec novum eſt Spiritui-ſancto*, inquit Tertulianus lib. contra Judæos cap. 9. *Angelos appellare eos, quos miniſtros ſuæ virtutis Deus præfecit.* Hoc ſenſu Sacerdotes Malach. 2. Angeli vocantur, *labia... Sacerdotis cuſtodient ſcientiam.... quia Angelus Domini exercituum eſt.* Joannes Baptiſta Angelus à Chriſto Domino dicitur, Matth. 11. quin & ipſe Dominus à Patre miſſus, appellatur Angelus Teſtamenti, Malach. 3. magni concilii Angelus, Iſaiæ 9. juxta 70. Interpretes.

Speciatim apud Scriptores ſacros & Eccleſiaſticos, nomine Angeli intelligitur ſubſtantia creata, omnis materiæ expers, completa & intellectualis, cujuſcunque ſit ordinis, in quâ

acceptione diabolus dicitur Angelus, Matth. 25. *Diſcedite ... in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Quanquam Theologi poſt S. Gregorium in ſtrictiori ſignificatione, Angelos vocitare ſolent, qui in ordine cæleſtium Spirituum ultimum locum obtinent, quia frequentiùs ad homines mittuntur.

Tractamus hîc de Angelis juxta ſecundam & tertiam acceptionem.

Dicuntur 1o. *ſubſtantia creata*, ut diſtinguantur à Deo. 2o. *omnis materiæ expers*, quo differunt ab homine, qui eſt ſpiritualis ſimul & corporeus. 3o. *completa*, in quo diſcrepant ab animâ rationali, quæ eſt omnino ſpiritualis, ſed incompleta. 4o. *intellectualis*, & tantâ vi intelligendi prædita, ut Angeli ſimpliciter vocentur Intelligentiæ, vel dæmones, id eſt, ſcientes. Hinc Eudœmon, hoc eſt bonus Angelus; Cacodæmon, malus Angelus. Attamen in Scripturâ dæmon in malam partem ſolet accipi; *in nomine meo dæmonia ejicent*, Marci ultimo.

CAPUT II.

Utrùm exiſtant Angeli?

NEgarunt Sadducæi, quorum hæreſis tempore Machabæorum exorta ſic prævaluit in Judæorum Republicâ, ut quidam ex illis ſummum Sacerdotium, & alias primarias dignitates fuerint adepti. De Saducæis frequens fit mentio in Evangelio, & illorum errorem ſanctus Lucas deſcribit cap. 23. Actuum. *Sadducæi enim*, inquit, *dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*, etiam increatum, ex ſancto Chryſoſtomo in hunc locum, & aliis.

Interpretibus. Nomine autem Angelorum, quod ſæpe in Scripturis occurrit, intelligebant divinas quaſdam inſpirationes & impreſſiones, quibus Deus ſuam voluntatem aut declarat, aut exequitur. Contra hunc errorem.

R. De fide eſt Angelos exiſtere. Sic enim definiit Concilium IV. Lateranenſe anno 1215. cap. *Firmiter*, his verbis: *Unum eſt univerſorum principium, Creator omnium, viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium, qui ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, & ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam quaſi communem, & ſpiritu, & corpore conſtitutam.*

Probatur 1o. ex Scripturâ, Gen. 22. *Angelus Domini de cœlo clamavit dicens: Abraham*: &c. Exaudi. 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te... audi vocem ejus.* Matth. 18. *Angeli eorum... vident faciem Patris.* Quæ ſanè perſonas intelligentes demonſtrant.

Probatur 2°. ex Traditione.

S. Auguſtinus in Pſalm. 102. ſic ſcribit: *Angelos novimus ex fide, & multis apparuiſſe ſcriptum legimus & tenemus, nec inde dubitare fas nobis eſt, Spiritus autem Angeli ſunt; cùm vero mittuntur, fiunt Angeli, Angelus enim officii nomen eſt, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ? Spiritus eſt. Quæris officium? Angelus eſt.*

S. Gregorius hom. 34. in Evang. *Angelos*, inquit, *& Archangelos penè omnes ſacri eloquii paginæ teſtantur.*

Dices: ſi exiſterent Angeli, Moyſes non prætermiſiſſet eorum creationem; cùm præcipuum locum obtineant inter opera Dei, quæ ex profeſſo & ſpeciatim deſcribit Gen. 1. & ſequent.

Reſpondent nonnulli, ideo Moyſem nihil ſcripſiſſe de Angelis, quia hujuſmodi narratio

fuiſſet ſcandalum Judæis ad idololatriam propenſis. Sed ſi hæc ratio valeret, non debuerat etiam Angelorum meminiſſe in decurſu ſui operis. Vera itaque reſponſio eſt Moyſem Angelorum creationem prætermiſiſſe; quia ſolam rerum corporearum originem & ſeriem deſcribendam ſuſceperat.

Q. 2°. *Ratio naturalis demonſtrat-ne Angelorum exiſtentiam?*

R. Affirmant Theologi benemulti; quia, inquiunt, in Energumenis & Magorum incantationibus quædam cernuntur, quæ nec ad Deum referri poſſuut, cùm in iis impia deprehendantur, nec ad animas ſeparatas; cùm anima plus non poſſit ſeparata à corpore, quàm conjuncta, aliàs unio ad corpus non eſſet illi naturalis, ſed violenta, & tanquam aliquod vinculum in pœnam præcedentis peccati, ſomniaverunt Origeniſtæ, teſte ſanctoAuguſtino lib. 11. de Civ. cap. 23. Atqui opera quæ fiunt tum ab Energumenis, tum à Magis, excedunt naturales animæ rationalis vires. Ergo refundenda ſunt in ſubſtantias ſpirituales creatas, homine præſtantiores. Confirmari poteſt Ethnicorum teſtimonio, qui hujuſmodi ſubſtantias inviſibiles, tanquam Deos inferiores, in ſui cuſtodiam vigilantes coluerunt, unde illos genios, lares, ſeu domeſticos & penates, quaſi penès ſe manentes vocitare ſolebant.

Verùm etſi argumentum illud ſit probabiliſſimum, omnino tamen non convincit; namque, ſeclusâ revelatione divinâ, fingi poſſet plures animas corporibus ſolutas illa portenta conjunctim operari, atque per ſpecies à Deo acceptas plura cognoſcere, quàm per ſenſus, & corporis organa.

Q. 3°. *Quando creati ſunt Angeli?*

R. Primò, certum eſt ex Scripturâ non eſſe creatos ab æterno, Prov. 3. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret.* Eccli. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Ergo nihil creatum eſt æternum.

R. Secundò, non fuerunt creati ante mundum corporeum. Ita Concilium Lateranenſe laudato capite *Firmiter; ſimul ab initio temporis*, inquit, *utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem.* Ex quibus verbis concludunt Canus, Molina, & alii, noſtram reſponſionem eſſe de fide: ſed melùs negant S. Thomas q. 61. art. 3. Vaſqueſius, Petavius, & plures alii, quia Concilium non definiendo, ſed narrando illa retulit veluti commmunem Catholicorum ſententiam, à qua recedere non licet.

Probatur tum ex Scripturâ, Exodi 20. *Sex diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt.* Ergo & Angelos, qui in cœlo continentur. Tum ex Sanctis Patribus, Epiphanio hæreſi 65. *illud evidenter*, inquit, *divinus ſermo declarat, neque poſt ſidera productos Angelos, neque ante cœlum terramque conſtitutos; eſt enim certa illa & immutabilis ſententia, ante cœlum & terram nihil omnino conditarum rerum extitiſſe, quoniam in principio creavit Deus cœlum & terram, ut illud ſit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit:* Auguſtino lib. 11. de Civ. capite 6. Gregorio lib. 23. Mor. cap. 9. Beda in Hexameron.

R. Tertiò creati fuerunt ante hominis lapſum; cùm Dæmon ſuggeſtione ſuâ ad illum impulerit.

R. Quarto, probabile eſt primo die fuiſſe creatos, tum ex laudato cap. *Firmiter*, quod ſic habet, *ſimul ab initio temporis utramque condidit crea-*

turam ſpiritualem & corporalem .... deinde humanam. Tum ex cap. 38. Job. v. 7. ubi dicuntur Filii Dei illum laudaſſe, cùm poneret fundamenta terræ: tum denique ex cap. 1. Gen. *in principio creavit Deus cælum & terram, terra autem erat inanis & vacua*, ſcilicet habitatoribus, cœlum verò non ita, quia ſtatim beatiſſimis ſpiritibus repletum eſt; ut argumentatur venerabilis Beda in hunc locum.

Dices 1°. Job. 40. dicitur de Behemoth, id eſt, Lucifero, *ipſe eſt principium viarum Dei.* Ergo conditus eſt ante omnem creaturam.

Nego conſeq. namque 1°. per Behemoth intelligitur elephas, juxta communem Interpretum ſententiam. 2°. Quamvis eo loci figuratè deſignetur Lucifer, dicitur principium viarum Domini ordinis prælatione; non temporis quantitate, ait Venerabilis Bedâ q. 9. ex variis.

Dices 2°. Apoſtolus cap. 1. ad Titum, ſcribit myſterium Incarnationis fuiſſe promiſſum ante tempora ſecularia: Ergo ante tempus erant creaturæ quibus promitteretur.

Nego conſeq. Verbum enim, *promiſit*, uſurpatur pro, *prædefinivit*, ex ſanctis Chryſoſtomo, & Anſelmo in hunc locum.

Dices 3°. plures è Patribus expreſsè docent Angelos fuiſſe creatos ante mundum, ut ſanctus Hieronymus in cap 1. ad Titum, ſanctus Gregorius Nazianzenus or. 38. & 42. Sanctus Joannes Damaſcenus lib. de fide, imò ſanctus Baſilius hom. 1. in hexameron ſcribit Angelos temporis conditione eſſe anteriores, & æternos.

Reſpondeo Patres laudatos fuiſſe revera in illâ ſententiâ, & ſanctum Baſilium benignè eſſe intelligendum de æternitate imperfecta, quæ dicitur ævum, hoc eſt, longiſſima duratio, quæ ſecundùm ſanctum Doctorem cœpit ante tem-

pora ſecularia, ſeu motum corporalis naturæ; & nunquam deſinet.

Q. 4. *Ubi-nam creati ſunt Angeli?*

R. Certum omnino non eſt. S. Thomas qu. 61. art. 4. & plures Theologi exiſtimant creatos fuiſſe in cœlo Empyreo, ſeu ſupremo: alii in cœlo quidem; nam Luc. 10. ait Chriſtus, *videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*, ſed non Empyreo, quod eſt ſedes Beatorum; ſi enim Lucifer in Empyreo fuiſſet conditus, quomodo Iſaïæ 14. dixiſſet ſecundùm communem ſanctorum Patrum interpretationem, *in cœlum conſcendam?* Primus homo conditus eſt extra Paradiſum terreſtrem: Ergo & Angeli extra Paradiſum cœleſtem. Sanctus Auguſtinus lib. 3. cap. 10. de Gen. ad litteram ſcribit creatos fuiſſe in ſuperiori parte aëris; quam opinionem amplexus eſt Rupertus.

CAPUT III.

Utrùm Angeli ſecundùm naturalia ſint hominibus perfectiores?

R. Conſtat Angelos eſſe homine perfectiores. 1°. ex Scripturâ, Pſal. 8. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* Unde Apoſtolus Heb. 2. concludit Filium Dei infra Angelos ſe dejeciſſe, cùm humanam naturam aſſumpſit. *Sic infra Angelos diminutus, dum homo fit*, ait Tertullianus lib. de Carne Chriſti cap. 14. Job quoque cap. 41. de Satanâ ſub figurâ Behemoth dicitur, *non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* 2°. ex ſancto Auguſtino lib. 11. de Civ. cap. 5. *Angelica natura*, inquit, *omnia cetera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit.* Tract. 110. in Joan. hanc ra-

tionem affert, cur Deus Angelos non reparaverit poſt lapſum, *quò tantò damnabilior judicata ſit culpa, quantò erat natura ſublimior.*

Dices: S. Auguſtinus lib. 83. quæſt. 54. hæc habet: *nihil eſt melius anima rationali, niſi Deus:* Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 1. dicit Angelos & animam rationalem eſſe naturâ pares. Eadem ſcribit ſanctus Bernardus lib. 5. de Conſid. cap. 3. *Spiritus eſt Deus*, inquit, *ſunt & Angeli, & hi ſupra te; ſed Deus naturâ, Angeli gratia ſuperiores ſunt.* Ergo.

Reſpondeo ad primum, ſanctus Auguſtinus ſeipſum retractat lib. 1. Retract. cap. 26. his verbis, *magis dici debuit, omni creato Spiritu nihil melius, niſi Deus.*

Ad ſecundum & tertium diſtinguo, pares ſunt naturâ genericè ſumptâ, quia ſcilicet ſunt Spiritus, Concedo: ſpecificè ſumptâ quaſi Spiritus Angelicus non ſit præſtantior, Nego, Aliàs ſanctus Auguſtinus, & Sanctus Bernardus ſibi contradicerent, cùm diſertè alibi doceant Angelos eſſe homine ſuperiores, *Deus quidem natura*, ait ſanctus Bernardus, *quia à ſeipſo eſt, Angeli verò gratiâ, id eſt participatione & creationis beneficio.*

Q. 5°. *In quo Angeli excellunt ſupra homines?*

R. Primò in ſubſtantiâ; Spiritus enim melior eſt corpore. Secundò, in intelligendi virtute, quæ in Angelis adeo eſt perfecta, ut Intelligentiæ ſimpliciter nominentur Tertiò, in exequendi potentiâ, quam Scripturæ paſſim, ut in Machabæorum libris, ſtupendam exhibent. De Angelis malis Patres communiter intelligunt quod cap. 41. Jobi legitur de Behemoth, *non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.*

Q. 6°. *Subſtantia Angelica eſt ne omnino incorporea, an verò compoſita ex Spiritu & corpore ſubtiliori & inviſibili, ſicut natura humana ex Spiritu & corpore craſſiore?*

Reſpondet S. Bernardus Serm. 5. in Cant. ſe id neſcire propter diverſas Patrum ſententias. *Videntur Patres, inquit, de hujuſmodi diverſa ſenſiſſe, nec mihi perſpicuum eſt, unde alterutrum doceam, & neſcire me fateor. Sed & veſtris profectibus non multùm conferre arbitror harum rerum notitiam.* Et cap. 4. lib. 5. de Conſideratione ad Eugenium, tanquam certum aſſerit Angelos intellectu eſſe præditos, *quanquam*, inquit, *de corporibus horum, non modò unde ſint*, (ſcilicet an ex aëre, ut vult Rupertus) *ſed an aliquatenus ſint, hæret ſententia aliquorum. Unde ſi quis inter opinabilia magis ad ponendum cenſuerit; non contendo. Porrò intellectu præditos, non fide, non opinione, ſed intellectu capimus; quia non poſſunt hujus expertes, & Dei ſimul participes eſſe.*

Enimverò ex Antiquis crediderunt aliqui Angelos habere corpora ſubtilia, Origenes Periarchon lib. 1. cap. 7. lib. 2. cap. 2. *neceſſe eſt*, ait, *rationales naturas conjunctas eſſe corporibus.* Tertullianus pluribus in locis, & maximè cap. 6. lib. de carne Chriſti, ubi ſic ſcribit, *conſtat Angelos carnem propriam non geſtaſſe, ut putà naturâ ſubſtantiæ ſpiritualis, etſi corporis alicujus, ſui tamen generis.* Et quotquot è Patribus illud Gen. 6. *Videntes Filii Dei*, (juxta ſeptuaginta Interpretes, Angeli Dei) *filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores*, intellexerunt de Angelis, qui genuerunt gigantes, ut Sanctus Juſtinus Apol. 1. *Victi fœminarum amore, ſuſceperunt ex eis progeniem, quam vulgus genios vocat.* Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 3. ſtromatum, *Angeli, cùm fuiſſent incontinentes, victi cupiditate*, &c. Athenagoras in Apol. Sanctus Cyprianus lib. de habitu Virginum, *ad terrena contagia à cœleſti vigore receſſerunt.* S. Ambroſius lib. de Noë & arcâ c. 4. & lib. 1. de Virginibus c. 8. Euſebius

Præp. l. 5. c. 4. Sulpitius Severus hiſt. Eccleſ. lib. 1. Lactatius lib. 2. inſt. c. 15.

S. Auguſtinus anceps fuit circa præſentem difficultatem. Sæpè tribuit Angelis ſubtiliſſima corpora aërea, ut lib. 83. q. q. 47. lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 18. & lib. 9. de Civ. cap. 13. vocat Angelum, animal rationale & immortale, epiſt. 115. animal aëreum. Libro verò Retract. 1. cap. 26 retractat quod dixerat ſummos Angelos ſpiritualiter vivere, infimos autem animaliter. Et lib. 2. Retract. cap. 14. improbat Angelos à ſe aliquando animal vocatos, cùm dicendi ſint Spiritus. Denique lib. 21. de Civ. cap. 11. dubiam reliquit quæſtionem, an Dæmones habeant corpora, necne.

Nihilominus dicendum eſt Angelos eſſe omnis corporis expertes; hanc enim ſententiam Concilium Lateranenſe laudato cap. *Fimiter*, exponit tanquam inter Catholicos communem. Et quamvis verba Concilii vim definitionis non habeant, ſed explicationis eorum, quæ definiendo præmiſerat, ſcilicet Deum eſſe rerum omnium creatorem, omnes tamen Theologi, pauciſſimis exceptis, hanc deinceps ſententiam progugnarunt.

Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ Angelos, ſive bonos, ſive malos conſtanter vocat Spiritus, Matt. 8. verſ. 16. cap. 10. verſ. 1. Act. 8. verſ. 39. Hebr. 1. verſ. 14. Apocalipſeos 5. verſ. 6. Ex quibus ſic argumentari licet: ſi Angeli compoſiti eſſent ex corpore & ſpiritu, non appellarentur ſimpliciter ſpiritus, ſed dicerentur habere ſpiritus aut corpora: quemadmodum homo nuſquam ſimpliciter dicitur corpus aut ſpiritus, ſed habens corpus, habens ſpiritum aut animam: atqui Scriptura ubique Angelos vocat ſpiritus ſimpliciter, æquè ac Deum, & animam ratio-

nalem. Ergo Angeli nullatenus corpore conſtant, ſicut nec anima rationalis, nec ipſemet Deus.

Probatur 2o. ex Patribus. Euſebius Cæſarienſis libro 4. de Demonſtratione Evangelicâ cap. 10. vocat Angelos incorporeas & intellectuales ſubſtantias, ex omni parte puros ſpiritus. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 34. dicit Angelos eſſe incorporeos, intelligentes virtutes, aut potiùs mentes & puras naturas. Sanctus Baſilius hom. 9. quòd Deus non ſit auctor mali, de Dæmone ſcribit, *natura ejus incorporea eſt ſecundùm Apoſtolum dicentem : Non eſt nobis colluctatio*, &c. Sanctus Gregorius Nycenus, ſancti Baſilii frater lib. de Oratione, *omnis creatura rationalis*, inquit, *partim in incorpoream naturam, partim in corpoream diviſa eſt. Eſt autem Angelica quidem incorporea, altera verò ſpecies nos homines ſumus.* S. Chryſoſtomus hom. 22. in cap. 6. Gen. ſæpiùs repetit Angelorum naturam eſſe incorpoream, quæ corporis complexum non fert ad generandum. Eadem docet ſanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. & lib. 3. in Gen. ubi probat non fuiſſe Angelos, qui fœminas concupierunt. Ejuſdem ſententiæ eſt Theodoretus qu. 20. & 47. in Gen. Auctor de divinis nominibus c. 4. locuples eſt teſtis hanc ſententiam fuiſſe V. ſeculi, Angelos eſſe ſubſtantias *incorporales, atque materiâ carentes*. S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 29. *quis ſanum ſapiens eſſe ſpiritus corporeos dixerit?* Et lib. 2. Moral. cap. 4. *ſpiritualis natura ex mente & corpore dupliciter non eſt.* Et lib. 4. cap. 8. definit Angelos eſſe ſolummodo Spiritus. Sanctus Joannes Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3. Angelum dicit, *naturam corporis expertem.* Hugo à ſancto Victore, ſancto Bernardo coætaneus lib. 4. de Trinitate cap. ultimo,

ex profeſſo inpugnat eos, qui aſſerebant Angelum conſtare ex corpore, & ſpiritu, ſeu animâ.

Dices 1°. ſanctus Hilarius cap. 5. in Matth. & plures ex Patribus docent omne creatum eſſe corporeum; *Nihil*, inquit, *quod non in ſubſtantiâ & creatione corporeum ſit, ſive in cœlo, ſive in terrâ, ſive viſibilium, ſive inviſibilium.* Ergo Patres non Scripturâ ſolâ, ſed & ratione naturali demonſtraverunt immaterialitatem ita Dei eſſe propriam, ut nequidem Angelis convenire poſſit.

Reſpondeo 1°. argumentum illud nimis probare; nempe Angelos ex omni parte eſſe materiales, & animam rationalem eſſe corpoream quod eſt contra fidem; itaque.

Reſpondeo 2°. diſtinguendo anteced. omne creatum eſt corporeum aut materiale, ſi comparetur ſubſtantiæ increatæ quæ eſt expers omnis potentialitatis, & compoſitionis, Concedo; nam nulla creatura eſt ſuus actus, nulla immutabilis, & eo ſenſu quandam ſpeciem materialitatis retinet: ſi ſpectetur abſolutè, Nego anteced. Ita S. Auguſtinus ep. 28. *Si corpus omnis eſt ſubſtantia*, inquit, *corpus eſt anima. Item ſi eam ſolam placet incorpoream appellare naturam, quæ ſummè incommutabilis eſt, & ubique tota eſt, corpus eſt anima, quia tale quid ipſa non eſt. Porrò ſi corpus non eſt, niſi quod per loci ſpatium ita ſiſtitur, ut majori ſui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minùſque ſit in parte, quàm in toto, non eſt corpus anima.* Et infra: *Si anima corpus dicenda eſt, non eſt certè corpus quale terrenum eſt, nec quale humidum, aut aëreum, aut æthereum; omnia quippe talia majora ſunt in majoribus locis, & minora in minoribus.* Atqui Angelus minùs eſt corpus, quàm anima, cùm illa perfectior ſit: ergo abſolutè non eſt dicen-

dum corpus etiam aëreum aut æthereum; ſed ſolùm comparatè ad Deum. Atque hâc explicatione intelliges quo ſenſu ſcripſerint S. Joannes Damaſcenus citato loco, Angelum comparatum ad Deum, craſſum & materiâ conſtantem reperiri; & S. Gregorius Nazianzenus cit. or. 34. Angelos eſſe incorporeos, aut quàm proximè ad hoc accidentes.

Dices 2°. in Concilio generali ſeptimo, act. 5a. comprobata eſt ſententia Joannis Theſſalonicenſis, affirmantis Angelos pingi poſſe; quia non ſunt corporis expertes & inviſibiles. Ergo.

Diſtinguo anteced. vero ſenſu intellecta, Concedo: ſecùs, Nego anteced. approbata eſt eo ſenſu, quo eam reſumpſit, & Patribus propoſuit Taraſius his verbis: *Oſtendit Pater* (Joannes) *quòd Angelos pingere oporteat, quando circunſcribi poſſunt, & ut homines apparuerunt*, ſcilicet in corporibus aſſumptis: reſponderuntque Patres, *etiam Domine.*

Q. 7°. *Subſtantia Angelorum eſt-ne incorruptibilis?*

R. Eſt incorruptibilis ab intrinſeco, cùm non ſit compoſita ex partibus; ſed non ab extrinſeco; quia Deus poteſt Angelos annihilare ſuſpendendo influxum, quo conſervantur. Unde ſolus Deus dicitur, 1. Tim. 6. habere immortalitatem.

Q. 8°. *Quotupliciter excellit Intellectus Angelicus ſupra humanum?*

R. Tripliciter. 1°. activitate; intellectus enim Angelicus ſemper eſt in actu cùm non ſit materiæ & ſenſibus alligatus, quemadmodum humanus. Non attendit tamen ſimul & ſemper ad omnia, ſed traſit ab uno actu ad alium, 2°. capacitate plura colligendi objecta, ut Capite ſequenti dicitur. 3°. cognoſcendi ratione. Namque rerum naturalium naturas non cognoſcit abſtractivè,

abſtractivè, ſicut humanus, ſed eas videt in ſeipſis ſine diſcurſu & compoſitione idearum, quemadmodum contingit in judicio humano, in quo homo conjungens ideam, v. g. Petri cum aliâ ideâ hominis affirmat Petrum eſſe hominem. Neque etiam infert unum ex alio; ſed cognoſcit concluſiones in principiis, cauſas in effectibus, & viciſſim effectus in cauſis. Hinc Angeli vocantur ſimpliciter Intelligentiæ. Repugnare tamen non videtur quin Angeli aliquando diſcurrant, & ex quibuſdam ſignis colligant, quæ ſibi ſunt occulta, qualia ſunt ſecreta cordium, futura contingentia.

Q. 90. *Eſt-ne agnoſcenda in Angelis facultas motrix, ſive exequens diſtincta ab eorum intellectu & voluntate.*

R. Primò, omnes potentiæ Angelicæ ſunt quid unum realiter; quia in probabiliori Philoſophorum ſententiâ potentiæ realiter non diſtinguuntur ab animâ cujus ſunt proprietates.

R. Secundò, agnoſcenda eſt in Angelis potentia motrix, ſive exequens virtualiter diſtincta ab ejus intellectu & voluntate; quia ubi eſt diverſus operandi modus, diverſæ quoque, ſaltem formaliter, diſtiguendæ ſunt potentiæ; ideò enim diſtinguimus intellectum à voluntate; quia ſive Angelus, ſive homo alio modo operatur, cùm intelligit; alio modo, cùm amat: atqui alius eſt operandi modus in Angelo, cùm videt & decernit aliquid faciendum; alius cùm exequitur, quod ſemel decreverit; cognitio enim & volitio ſeu decretum ſunt actus immanentes, executio verò eſt actus tranſiens: Ergo.

Dices: ſpiritus eo ipſo præſens eſt objecto quo de illo cogitat, ad illud accedit per deſiderium, & ab illo recedit per odium, juxta illud

ſancti Auguſtini, *Pondus meum, amor meus, illo feror, quocunque feror.* Ergo potentia motrix Angeli formaliter eſt ejus intellectus & voluntas.

Diſtinguo anteced. eſt præſens intentionaliter, ſeu per repreſentationem affectivè & moraliter, Concedo: eſt præſens ſubſtantialiter & localiter, Nego anteced. alioquin Angelus in inſtanti naturaliter poſſet eſſe præſens in duobus locis remotiſſimis, ſicut poſſet ſimul cognoſcere & amare quæ in illis ſita ſunt; poſſet quoque in inſtanti nullo pertranſito medio moveri à ſupremâ cœli parte ad ſublunaria; quia de his poteſt ſimul cogitare, quod ſanctorum Patrum dictis repugnat. *Fortes & prompti ſunt*, inquit ſanctus Joannes Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3. *eâque naturæ celeritate præditi, ut ubi nutus Dei juſſerit, illic ſtatim inveniantur; neque tamen eodem tempore hîc & ibi eſſe & operari poſſunt; nec enim in terrâ verſantur, cùm in cœlo ſunt, nec cum à Deo in terram mittuntur, in cœlo manent.* Dydimus quoque lib. 1. de Spiritu ſancto, ait, *Angelus qui aderat Apoſtolo in Aſiâ oranti, non poterat ſimul eodem inſtanti adeſſe aliis in ceteris partibus mundi conſtitutis.*

Q. 100. *Poſſunt-ne Angeli producere formas ſubſtantiales?*

R. Primò, poſſunt aliquas, diſponendo materiam, & applicando activa paſſivis; quia ſi homines arte chymicâ nonnulla ſubſtantialiter tranſmutant, à fortiori id poſſunt Angeli.

R. Secundò, non poſſunt omnes, v. g. mortuum ſuſcitare, arborem in equum mutare; quia ad hujuſmodi effectus materiam ſufficienter diſponere nequeunt; nam formas educere, aut ſubſtantialiter unire ſine præviis diſpoſitionibus eſt ſupra ordinem ab auctore naturis inditum, à quo natura non poteſt recedere, niſi Deo imperante & movente, qui, ut ſuis legibus non te-

netur, creaturam movet ad quodcunque voluerit. Hinc agnoſcenda eſt in quâlibet creaturâ potentia obebientialis tanquam ſignum omnimodæ à Deo dependentiæ, quâ, etiam ſupra virtutem acceptam, parata eſt obedire ſuo auctori. Verùm illa potentia nullatenus ſubeſt Angelo, aut alteri naturæ cræatæ. Quare effectus, qui ex illâ prodeunt, dicuntur ſupernaturales, vera miracula, & teſtimonia indubitata veritatis, in cujus confirmationem fiunt, cùm à ſolo Deo procedant, qui nec falli nec fallere poteſt.

Dices: Magi incantationibus ſuis multa ſubſtantialiter mutant ſine præviis diſpoſitionibus, virgas aridas ſubitò in Serpentes transformaverunt, Exod. 7. ranas innumeras ſine præviis diſpoſitionibus eduxerunt, Exod. 8. Sanctus quoque Auguſtinus lib. 18. de Civ. cap. 18. refert homines in jumenta fuiſſe tranſmutatos & onera in illâ ſpecie detuliſſe, quæ homini prorſus ſunt importabilia: *hæc ad nos*, inquit, *non quibuſcunque, qualibus credere putaremus indignum, ſed eis referentibus pervenerunt, quos nobis non exiſtimaremus fuiſſe mentitos*. Ergo.

Reſpondet ſanctus Doctor, 1o. quoad ranas, lib. 3. de Trinit. cap. 7. 8. & 9. *Nec ideo*, inquit, *putandum eſt iſtis trangreſſoribus Angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam... Omnium quippe rerum, quæ corporaliter viſibiliterque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporis mundi elementis latent... ſicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frug m, quamvis eorum extrinſecùs adhibitis motibus iſta creanda Dei virtus interiùs operetur. Ita non ſolùm malos, ſed nec bonos Angelos fas eſt putare creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſenſûs & corporis, ſemina rerum iſtarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter ſpargunt, atque ita gignenda-*

rum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones.

Reſpondet 2°. citato loco, & lib. 18. de Civit. cap. 18. transformationes hominum, & aliorum animalium perfectiorum, fieri phantaſticè tantùm, ſicut nobis ſomniantibus multa apparent, quæ reverà non ſunt. *Nec ſanè*, inquit, *dæmones naturas creant... ſed ſpecie tenus, quæ à vero Deo ſunt creata, commutant, ut videantur eſſe quod non ſunt. Non itaque ſolùm animum, ſed nec corpus quidem ullâ ratione crediderim dæmonum arte vel poteſtate in membra, vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe converti, ſed phantaſticum hominis... & onera, (ſi vera ſunt corpora) portantur à dæmonibus, ut illudatur hominibus.* Idem reſpondendum de virgis Magorum Æhyptiorum, ſcilicet vel fuiſſe phantaſticos Serpentes, vel veros aliunde adductos.

CAPUT IV.

Quænam Angeli naturalìter cognoſcunt?

R. UNa eſt Theologorum ſententia, Angelos conditos fuiſſe cum notitiâ omnium rerum naturalium exiſtentium in aliquâ temporis differentiâ, ſaltem quoad ſpecies. Probatur 1°. ex Scriptura, Ezech. 28. ubi ſub figura Regis Tyri de Lucifero ſic ſcribit Propheta, *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore... perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Heb. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi?* Atqui non implerent ſua miniſteria, niſi ſingulari ſapientiâ eſſent præditi. 2°. Deus formavit primum hominem rerum naturalium ſcientiâ in-

ſtructum, juxta illud Eccli. 17. *creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum :* Ergo à fortiori Angelos : tum quia ſunt naturæ præſtantioris utpote puræ mentes & intelligentiæ, quibus rerum ſcientia non minùs eſt connaturalis, quàm forma materiæ diſpoſitæ, anima rationalis v. g. corpori organizato : tum quia ampliora & ſublimiora exercent miniſteria : ergo ſi primus homo accepit omnium rerum ſcientiam ; quia conſtitutus eſt ceterorum caput & doctor, à fortiori Angeli cæleſtium & terreſtrium adminiſtri, ipſis quoque hominibus præpoſiti cuſtodes : tùm denique quia homines inſtructi ſenſibus, quibus ab objectis corporeis afficiuntur, ſtudio & experientiâ ſcientiam faciliùs comparare poſſunt, quàm Angeli, ut mox dicemus.

Dixi 1°. *rerum naturalium ;* namque objecta ſupernaturalia attingere non poſſunt ſine ſpeciali gratiæ dono, quod utrùm ipſis fuerit conceſſum poſtea expendetur.

Dixi 2°. *exiſtentium in aliquâ temporis differentiâ ;* non enim cognoſcunt omnia poſſibilia ; alioquin omnipotentiam Dei comprehenderent, ut diximus ubi de Viſione beatificâ. Ex poſſibilibus ergo cognoſcunt quantùm requirit eorum ſtatus & miniſterium, ne incautè impoſſibilia aggrediantur tanquam poſſibilia ; aut inutiliter declinent ut impoſſibilia, quæ verè poſſibilia ſunt.

Dixi 3°. *ſaltem quoad ſpecies ;* non quòd intellectus Angelicus ſicut humanus abſtrahat naturas univerſales à ſingularitatibus & differentiis numericis ; videt enim illas intuitivè, & prout ſunt à parte rei ; ſed ſenſus eſt Angelum cognoſcere omnes naturas creatas, non verò omnia ſingularia ; quia primum pertinet ad intellectûs

perfectionem, & ſciendi appetitum, ſecundum verò minimè, quis enim credet ſe minùs ſapientem & felicem, quandiu neſciet numerum foliorum, quæ tempore verno naſcuntur in ſylvis, & herbarum, quæ operiunt terræ ſuperficiem, modò omnium naturas & proprietates perfectè noverit.

Tam clara rerum naturalium cognitio non poteſt eſſe in Angelis ſine abſtractivâ Dei notitiâ; nam ſi inviſibilia Dei, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ut loquitur Apoſtolus Rom. 1. per ea quæ facta ſunt, conſpiciuntur ab hominibus, longè perfectiori modo & ab Angelis, 1°. quia intelligendi virtute & acumine ſuperiores ſunt. Intellectus humanus, præterquamquod comparatus Angelico eſt admodum infirmus, nonnunquam ſenſibus (quibus immerſus eſt) ita obtunditur & hebetatur, ut homo operibus externis, nullâ ratione habitâ cauſæ, à quâ procedunt, prorſus inhæreat, ſimilis factus jumentis inſipientibus, & animalibus domeſticis, quæ figuram & motus exteriores domini ſui ſic percipiunt, ut nullatenus attingant mentem, quæ corpus informat, movet, & regit *de his quæ videntur bona*, inquit Sapiens, Sap. 13. v. 1. *non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes, agnoverunt quis eſſet artifex.* Non potuerunt, ait, non ex verâ impotentiâ, ſed ex merâ ſocordiâ; nam ex dictis exiſtentiam Dei nullus invincibiliter ignorat. Sed illa oblivio ſive inadvertentia in Angelum non cadit, utpote qui rerum naturas non ex effectibus colligat, ſicut homo, ſed illas in ſeipſis intueatur. Videt ergo eſſentialem illarum à Deo dependentiam, influxum continuum in illarum conſervatione, & concurſum in operationibus; alioquin ſequeretur evidens contradicto, quòd intuitivè

videret naturas creatas, & non videret: videret in hypotheſi verâ, & ab omnibus admiſsâ: non videret autem, quia quod illis eſſentiale eſt, nimirum dependentia à Deo conſervante & movente, ſeu concurrente, illius cognitionem effugeret. Non poteſt ergo Angelus videndo creaturam ſicuti eſt, non cognoſcere Creatorem ſaltem indirectè, & quidem longè perfectiori modo, quàm homines: quia de operibus ejus meliùs & ſapientiùs dijudicat. 2°. quia plura & nobiliora cognoſcit; nam ut de ceteris ſileam, Angelus ſeipſum opus Dei preſtantiſſimum intuitivè videt & comprehendit, hoc eſt, cognoſcit ſe quantùm cognoſcibilis eſt, idque tam neceſſariò & tam perſeveranter, ut non poſſit ab illâ cognitione ceſſare ut communiter docent Theologi; quia tale objectum menti Angelicæ eſt præſentiſſimum & conjunctiſſimum, utpote ipſi identificatum, quemadmodum oculi ad videndum diſpoſiti, coloratum ipſis debitè expoſitum neceſſariò conſpiciunt: atqui ex nobiliori effectu cauſa meliùs æſtimatur, ex primordiali tabellâ v. g. & mirâ arte depictâ Pictoris excellentia, aliter quàm ex rudiori colligitur: ergo omnimoda à Deo dependentia tam continuò mentes Angelicas afficit, ut ejus omnino oblivisci nequeant, ſicque auctorem naturæ perfectiùs & conſtantiùs cognoſcunt, quàm intellectus humanus; atque eâ potiſſimùm ratione non præcellunt; nam, juxta S. Auguſtinum, felicior non eſt qui plura novit, ſed qui Deum perfectiùs cognoſcit. *Vani autem ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, Sap. 13. Ceterùm meminiſſe oportet hîc ſpectari Angelos & homines ſecundùm proprias naturæ vires.

Dices: ſequeretur Angelum neceſſariò amare Deum, ac proinde naturaliter eſſe impeccabi-

lem ; non enim peccat qui mentem à Deo non avertit : atqui falſum eſt Angelum eſſe naturaliter impeccabilem , cùm de facto peccaverit : Ergo.

Nego ſequelam majoris. Etenim in cognitione illâ , quam Angelus continuò & neceſſariò habet de ſeipſo , objectum duplex diſtingui debet : aliud directum , nempe ipſa natura Angelica ; aliud indirectum , ſcilicet auctor naturæ tam excellentis , ſed eſſentialiter dependentis. Poteſt autem Angelus inordinatè affici ad propriam excellentiam , quæ directè ipſi objicitur , & minùs attendere ad primum ens , à quo ſe pendere ignorare nequit. Hinc ſanctus Thomas qu. 60. art. 5. ad. 5. ſic ſcribit : *Illi qui non vident eſſentiam ejus* , (Dei) *cognoſcunt eum per aliquos particulares effectus, qui interdum eorum voluntati contrariantur. Et ſic hoc modo dicuntur odio habere Deum. Cùm tamen in quantum eſt bonum commune omnium , unumquodque naturaliter diligat plus Deum , quàm ſeipſum* : quia ut in corpore articuli demonſtraverat , *unumquodque magis inclinatur in id cujus eſt , quàm in ſeipſum , ſicut manus exponitur ictui abſque deliberatione ad conſervationem totius corporis. Et quia ratio imitatur naturam , hujuſmodi imitationem inveniemus in virtutibus politicis ; eſt enim virtuoſi Civis ; ut ſe exponat mortis periculo pro totius Reipublicæ conſervatione : & ſi homo eſſet naturalis pars hujus civitatis , hæc inclinatio eſſet ei naturalis. Quia igitur bonum univerſale eſt ipſe Deus , & ſub hoc bono continetur etiam Angelus , & homo , & omnis creatura : quia omnis creatura naturaliter ſecundùm quod eſt , Dei eſt , ſequitur quòd naturali dilectione etiam Angelus & homo plus & principaliùs diligat Deum , quàm ſeipſum ; alioquin ſi naturaliter plus ſeipſum diligeret , quàm Deum , ſequeretur quòd naturalis dilectio eſſet perverſa , & quòd non perficeretur per charitatem , ſed deſtrueretur.* Ex quibus conclu-

dit Doctor Angelicus, præceptum dilectionis Dei ſuper omnia pertinere ad legem naturalem.

Q 2°. *Angeli cognoſcunt-ne futura?*

R. Primò, cognoſcunt neceſſariò futura ſpectato naturali rerum ordine; quia continentur in ſuis cauſis, quas comprehendunt.

Dixi, *ſpectatò naturali rerum ordine;* nam Deus vel in gratiam electorum, vel in pœnam reproborum nonnunquam immutat naturalem rerum ordinem, quod Angeli præſcire nequeunt: v. g. Solem ſubſtitutum ad orationem Joſue, urbes interdum motibus terræ ſubvertendas.

R. Secundò, non cognoſcunt futura libera & contengentia, niſi conjecturaliter; quia non habent neceſſariam connexionem cum cauſis ſecundis, dependentque à liberis Dei decretis, & determinatione voluntatis humanæ; quare horum præſcientia Dei propria eſt. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum*, ait Dominus ad falſos Gentium deos Iſa. 41. *& ſciemus quia dii eſtis vos.* Unde Tertullianus Apol. 20. *Idoneum, opinor, teſtimonium divinitatis, veritas divinationis.*

Dixi, *conjecturaliter;* nam ex corporis diſpoſitionibus, & paſſionum motibus ſuſpicantur quid veriſimiliter futurum ſit, ſed non certò, quia interdum anima Dei auxilio adjuta propriis affectibus contradicit.

Q. 3°. *Cognoſcunt-ne certò ſecreta cordium?*

R. Minimè, quandiu Deus, aut ipſamet perſona cogitans & decernens, noluerit eis fieri manifeſta. Probatur 1°. ex Scripturâ, 3. Reg. c. 8. verſ. 39. *Tu noſti ſolus cor .... filiorum hominum.* Jer. 17. verſ. 9. *Pravum* (Septuaginta vertunt, profundum) *eſt cor omnium, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Ego dominus ſcrutans cor, & probans renes.* 2°. ex Patribus. S. Hieronymus in c. 17.

Ee v

Jer. ſic habet: *Nullus cogitationum ſecreta cognoſcit, niſi ſolus Deus.* Sanctus Chryſoſtomus hom. 24. in Joan. ait, *quæ in corde hominum inſunt noſſe ſolius eſt Dei.*

Dixi, *quandiu perſona cogitans & decernens nöluerit eis fieri manifeſta;* quia Angelis patent ſecreta noſtra, quando volumus; certumque eſt Angelos ſibi invicem loqui & proferre quid mente gerant. Quid verò Theologi ſentiant de locutione Angelorum, & de modo quo priùs ignota percipiunt, mox referemus.

Q. 4°. *Quare Angeli ignorant cordis ſecreta & futura libera, cùm iſta objecta ſint naturalia, nec excedant naturalem intelligendi virtutem:*

R. Id refundendum eſt in providentiam divinam, quæ cordis arcana ſuo examini & judicio retinuit; conſentaneum quippe videbatur, quemadmodum obſervat ſanctus Thomas, ut voluntas creata, quæ ſoli Deo ſubjacet, quæque, ut pote libera, domina eſt ſuorum conſiliorum, ad nutum aliis claudere poſſet, ſolumque Deum haberet teſtem, & judicem ſuarum cogitationum; ſuarum, inquam; quia illas imperat.

Q. 5°. *Angeli cognoſcunt-ne omnia per ſuam ſubſtantiam?*

R. Minimè; quia natura Angelica non eſt cauſa rerum ſicut divina, nec continet omnes earum perfectiones.

Dicitur tamen Angelus cognoſcere ſeipſum per ſuam ſubſtantiam quatenus nempe ſeipſum intuitivè videt nullâ mediante ſpecie, quæ prorſus inutilis eſt, cùm objectum intellectui eſt proportionatum & præſens, quemadmodum lumen non per ſui ſpeciem, ſed per ſeipſum percipitur oculo, quem perfundit. Porrò ſubſtantia Angeli eodem modo eſt ſpiritualis ac intelle-

ctus ejus, eſtque ipſi præſentiſſima, utpote ei identificata. Hinc quidam Theologi, aliis refragantibus, docent unum Angelum alium ſibi ſimilem aut inferiorem cognoſcere ſine ſpeciei auxilio, ſi ei fiat intimè præſens.

Dices: ſubſtantia animæ rationalis, quamvis intellectui humano identificata, ſine ſpecie ab eodem non cognoſcitur: Ergo à pari.

Nego conſeq. Diſparitas eſt, quòd intellectus humanus non agat niſi dependenter à phantaſmatibus, quæ cùm ſint corporea, repræſentare non poſſunt ſubſtantiam ſpiritualem, qualis eſt anima rationalis; quo fit, ut animam noſtram intuitivè videre non poſſimus, ſed ſolùm abſtractivè; ſcilicet per ejus effectus quos ſpirituales deprehendimus, & ex iis colligimus principium neceſſariò eſſe ſpirituale.

Q. 60. *Quomodo ergo Angelus videt rerum naturas?*

R. Per illarum ſpecies innatas, & ab auctore intellectui ejus ab initio infuſas; quia juxta S. Thomam non minùs ſunt intellectui Angelico connaturales, quàm forma ſubſtantialis materiæ diſpoſitæ, v. g. anima rationalis corpori organico. Quemadmodum igitur homo in ſuâ origine, à Deo accipit ideas primorum principiorum, quæ neceſſariò præſupponuntur ad ratiocinium; ſic intellectus angelicus prodiit è manibus Dei inſtructus ſpeciebus non ſolùm univerſaliſſimis, ſed & omnibus aliis ad rerum naturalium intelligentiam requiſitis; quia non eſt diſcurſivus, nec habet ſenſus & organa, quorum ope multa experiatur, & multarum rerum notitiam acquirat.

Ergo inquies, Angelus habet infinitam propemodum ſpecierum ſupellectilem.

Nego ſequelam, non enim neceſſe eſt ut tot ſpecies habeat, quot cognoſcit objecta; quia

Eevj

per unicam ſpeciem eò plura poteſt apprehendere, quò eſt perfectior; quemadmodum homo ex uno principio multa colligit. Unde ſicut diſcipulus ideam præceptoris non aſſequitur, niſi per varias explicationes fuerit quodammodo diviſa & multiplicata; ſic inferior Angelus pluribus indiget ſpeciebus ad cognoſcenda ea, quæ ſuperior per unicam intelligit.

Q. 70. *Quomodo Angelus acquirit notitiam eorum, quæ priùs non noverat, quales ſunt res ſingulares, ortus & interitus earum, ſecreta cordis ac denique universa quæ in orbe contingunt, quæ, ut ſunt corpora, non poſſunt agere in ſpiritum?*

R. Poſſunt ea noſſe, 1°. per Dei revelationem; credendum enim eſt Deum Angelis beatis concedere, quod Prophetis & aliis Sanctis non negavit, etiam dum in terris agerent. 2°. Per colloquia, quæ habent ad invicem; nam Angelos inter ſe loqui ſæpe teſtantur Prophetarum libri, idque exigit ſocietas, quâ inter ſe colligantur. 3°. denique per manifeſtationem cordium, quæ ipſis reſerantur, cùm voluntas cogitantis conſilia ſua ſecretiora ad eos dirigit.

Vera quidem eſt hæc reſponſio ſed plenè non ſatisfacit; namque explicandum reſtat, 1°. quomodo Angeli inter ſe loquantur? 2°. cùm directio cogitantis ſit actio immanens, non poteſt operari in Angelum, ad quem terminatur. Deinde etiamſi fingatur extra cogitantem effluere, quomodo pervenit ad Angelum remotiſſimum? aut ſi fingendus ſit aliquis diſtantiæ terminus, ultra quem non procedat illa voluntatis directio, quis terminus illo erit, & quæ nobis ſuppetit ratio ut illum fingamus, dicamuſque Angelum naturaliter cognoſcere quæcunque intra illum terminum exiſtunt & fiunt, vel ad illum diriguntur, ſi pertineant ad cordium ſecre-

ta; remotiora verò prorſus ignorare? 3º. ſuppoſito, quamvis nullâ ratione probabili, diſtantiæ termino, extra quem cognitio Angelica non excurrit, quomodo Angelus cognoſcit, quæ intra illum terminum exiſtunt aut fiunt, ſi non ſint ei intimè conjuncta. Non cognoſcit per ſpecies innatas; quia ex dictis Angeli non præſciunt futura contingentia. An per ſpecies quæ emanant ab ipſis objuctis jam exiſtentibus? Sed non videtur id poſſe dici; namque objecta illa vel ſunt ſpiritualia, vel corporea: ſi ſpiritualia, ſpecies ſpirituales non poſſunt tranſire per medium corporeum, quod inter illa intercedit & intellectum Angelicum, quemadmodum lumen Solis per aërem ad oculos noſtros decurrit: ſi corporalia, ab iis non emanant niſi ſpecies corporeæ, quæ in perſonam ſpiritualem agere nequeunt. Nec dicas hujuſmodi ſpecies corporeas, ſi dentur, afficere animam rationalem; namque anima rationalis informat ſenſus corporeos, quibus mediantibus movetur ab objectis corporeis: at Angeli ſunt omnino incorporei.

Reſpondent quidam Theologi Deum revelare Angelis quidquid in recenſitis circunſtantiis de rerum contingentium exiſtentiâ cognoſcunt, docentque novas à Deo ipſis infundi ſpecies, tum ſecretorum cordis, ad nutum tamen cogitantis; tum ceterorum, quæ ad ipſos ſpectant. Sed incommoda, ne dicam abſurda, ſequi videntur ex illâ ſententiâ. Primum, Angelos naturaliter, & ſine novâ Dei revelatione, quæ in Dæmonibus præſumi non debet, omnino cæcutire circa rerum exiſtentias, pejoriſque eſſe conditionis, quàm homines, qui per ſenſus innatos obvia percipiunt objecta. Secundum, Angelos inter ſe non colloqui. Etenim loqui, eſt alteri mentem ſuam manifeſtare: atqui in illâ ſententiâ non

Angeli, ſed ſolus Deus manifeſtat Angelo, quid alter mente gerat: ergo non Angeli, ſed Deus loquitur, quemadmodum ſi herus mitteret famulum, qui amico abſenti nuntiaret, quæ in familiâ ſuâ contigerunt, non ipſe, ſed famulus loqueretur. Rejectâ itaque illâ ſententiâ,

Reſpondent alii, Angelos loqui quibuſdam ſignis exteriùs expreſſis, quemadmodum homines vocibus, ſecundùm quoſdam corporeis, ſecudùm alios ſpiritualibus. Sed hîc recurrunt, quæ ſupra dicebamus contra ſpecies ab objectis emiſſas.

Quidam contendunt Angelum alteri loqui quatenus in ejus mente imprimit ſuum conceptum. Sed vera ſint quæ afferunt, ut ſuadeant id eſſe poſſibile, reſtabit quæſtio ſolvenda & probanda, utrùm actu & de facto ita fiat.

R. Communior eſt opinio, quam amplectitur ſanctus Thomas qu. 57. art 2. Angelos cognoſcere ſingularia per ſpecies connaturales, & ab initio creationis ſuæ inditas. *Sicut igitur*, inquit, *Deus per eſſentiam ſuam, per quam omnia cauſat, eſt ſimilitudo omnium, & per eam omnia cognoſcit, non ſolùm quantùm ad naturas univerſales, ſed etiam quantùm ad ſingularitatem: ita Angeli per ſpecies à Deo inditas res cognoſcunt, non ſolùm quantùm ad naturam univerſalem, ſed etiam ſecundùm earum ſingularitatem in quantùm ſunt quædam repræſentationes multiplicatæ illius unicæ & ſimplicis eſſentiæ.*

Ergo, inquies, Angeli ab initio præſciverunt omnia futura; cùm eorum habuerint ſpecies: falſum conſequens, cùm ex dictis ignorent futura contingentia, & ſecreta cordium: Ergo & anteced.

Nego ſequelam maj. Namque, ſecundùm Patronos illius ſententiæ, ſpecies innatæ non repræſentant ſingularia, niſi modificentur & quo-

dammodo determinentur per illorum præſentiam. Quæ reſponſio explicari poteſt exemplo viſionis corporeæ: quæ ſive per reflexionem luminis, ſive per ſpecies ab objectis emiſſas fiat, requirit certum corporis ſitum, & objecti præſentiam, adeo ut niſi oculus ad objectum, & quidem in debitâ diſtantiâ expoſitum converſus fuerit, potentia viſiva viſionem non eliciat; ſic intellectus Angelicus, quamvis ſpeciebus rerum naturalium inſtructus, earum exiſtentiam non percipiet, niſi cum præſentes aut ſaltem non nimis diſtantes objicientur.

Dixi, *non nimis diſtantes:* quia ſi remotiores fuerint, Angelus illas non cognoſcet, niſi vel ex Dei revelatione, vel ex aliorum Angelorum relatione, qui hoc ipſo loquuntur, quo cogitationes ſuas ad alios dirigunt; quia veluti velum, Deo providente, ſuper corda expanſum retrahunt, ſicque manifeſtant & exponunt conſilia cordis ſui, quæ alii Angeli percipiunt per ſpecies innatas, ſed modificatas & determinatas per hujuſmodi manifeſtationem. Similiter Angelos alloquimur, cùm ad eos cogitationes noſtras dirigimus, & ipſi eas apprehendunt per ſpecies ſibi innatas, & per noſtram intentionem mотificatas.

Hactenus hiſtoricè retulimus, quid alii ſentiant de modo, quo Angeli inte ſe loquuntur, & cognoſcunt ſingularia. Si quis autem curioſè petat, quæ ſit noſtra ſententia, candidè fatebimur nos iſta neſcire, tutiùſque videri judicium ſuſpendere, quàm per ſuſpicionum abrupta præcipitari, ut loquitur ſanctus Auguſtinus lib. 3. de Trin. cap. 11. *ubi nec ſenſus corporis regit, nec perſpicua ratio veritatis elucet, nec ſacra divini eloquii auctoritas firmat.*

Caput V.

Utrum Angeli ſint in magno numero?

R. Conſtat ex Scripturis innumeros eſſe Angelos, Dan. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Apoc. 5. *& erat numerus eorum millia millium.* Quæ indicant tantam eſſe Angelorum multitudinem, ut captum noſtrum ſuperet, juxta illud Job. 1 *numquid eſt numerus militum ejus?*

Q. 2°. *Numerus Angelorum excedit-ne numerum rerum corporearum?*

R. Res eſt admodum incerta. Quidam opinantur plures eſſe homines, quàm Angelos, numerando ab Adam uſque ad finem ſeculi, cui ſententiæ videtur favere ſanctus Gregorius hom. 34. in Evangel. ubi dicit in gloria futurùm eſſe æqualem numerum Angelorum, & hominum. Nec repugnat ſanctus Auguſtinus lib. 22. de Civitate cap. 1. ſic ſcribens, *tantum populum per gratiam ſuam colligit, ut inde ſuppleat & inſtauret partem, quæ lapſa eſt Angelorum*, & quæ minor eſt parte eorum, qui ſteterunt: namque ſubdit ſanctus Doctor, *ut ſic illa dilecta & ſuperna civitas non fraudetur ſuorum numero civium, quin etiam fortaſſis & uberiore lætetur*; quod repetit cap. 29. Enchir.

Sanctus Thomas qu. 50. art. 3. abſolutè definit longè majorem eſſe numerum Angelorum, quàm rerum corporearum: *Corporea*, inquit, *incorruptibilia, quæ ſunt perfectiora inter corpora, excedunt quaſi incorporabiliter ſecundùm magnitudinem corpora corruptibilia: nam tota ſphæra activorum & paſſivorum eſt aliquid modicum reſpectu corporum cæ-*

leſtium : unde rationabile eſt , quòd ſubſtantiæ immateriales excedant ſecundùm multitudinem ſubſtantias materiales quaſi incomparabiliter. Et hanc ſuam ſententiam ſanctus Doctor confirmat auctoritate ſancti Dionyſii , ſive auctoris lib. de cœleſt. hierar, qui ſic habet c. 14, *multi ſunt beati exercitus ſupernarum mentium , infirmam & conſtrictam excedentes noſtrorum materialium numerorum commenſurationem.*

Q. 3°. *Eſt ne ordo in Angelis ?*

R. Eſt, & quidem perfectiſſimus, ſi quæſtio ſit de Angelis , qui in ſuâ integritate permanſerunt ; quia ſolâ ordinis ratione multitudo in unitatem coaleſcit, pacem obtinet , & pulchritudine ſplendeſcit , adeo ut ſi ordinem ex eâ ſuſtuleris, jam diviſione ſcindatur, confuſione turbetur, & deformitate fiat prorſus abjecta. Hinc quo naturæ ſunt perfectiores, eò magis ordinatæ exiſtunt , ut videre eſt in corporibus cæleſtibus , quæ ut præſtant terreſtribus, in eis præcipuus ordo refulget. Cùm ergo Angeli ſint omnium creaturarum præſtantiſſimi , dubium non eſt , quin innumera eorum multitudo ſit ordinatiſſima ; hinc vulgò dicitur exercitus, qui nonniſi in ordine conſiſtit, & chorus , qui propriè eſt ſocietas pſallentium ; in quâ ne minima diſſonantia debet reperiri.

Q. 4°. *Quis eſt Angelorum ordo ?*

R. Non ita certò definiri poteſt. Plures è ſanctis Patribus etiam antiquioribus , ut ſanctus Irenæus lib. 4. cap. 54. S. Athanaſius orat. 3. & 4. contra Arianos, S. Baſilius lib. de Spiritu-ſancto cap. 16. S. Gregorius Nazianzenus orat. 34. in novem Choros ſeu Ordines eos dividunt ; quia totidem nomina Scripturæ ſacræ Spiritibus cœleſtibus adſcribunt, ſcilicet Seraphim ; Cherubim , Throni , Dominationes, Virtutes,

Poteſtates, Principatus, Archangeli, & Angeli, quæ ſynonima non videntur: tum quia Apoſtolus ſatis clarè ea uſurpat quaſi diverſa ſignificent; ut cap. 1. ad Col. & cap. 8. Rom. ubi enumerans plures creaturarum ſpecies, non minùs diſtinguit inter Dominationes, Principatus, & Poteſtates, &c. quàm inter viſibilia & inviſibilia: tum quia multi ex ſanctis Patribus ſingulis illis nominibus propriam ſignificationem tribuunt. Audiamus S. Bernardum l. 3. de Conſid. c. 4. de his Angelorum nominibus ſic opinantem: *Sunt*, inquit, *& nomina quædam* (Angelorum) *nota nobis ſimiliter, ex auditu, per quæ horum Beatitudines, (etiam quæ non liquidò mortalium percepit auditus) officia, merita, gradus, ordines, utcunque à nobis conjici & diſcerni queunt: ſed enim quod ex auditu non eſt, jam non ex fide.... Putemus Angelos dici (niſi tu convenientiùs aliquid conſideraſti) qui ſinguli ſingulis hominibus dati creduntur. Putemus hiſ præeſſe Archangelos, qui conſcii Myſteriorum divinorum, non-niſi ob præcipuas & maximas cauſas mittuntur. E quibus magnus ille Archangelus Gabriel miſſus legitur ad Mariam, ob cauſam utique quâ major eſſe non potuit. Putemus ſuper illos Virtutes eſſe, quarum nutu vel opere ſigna & prodigia in elementis, ſive ex elementis facta apparent ad commonitionem mortalium. Inde eſt fortaſſis quòd cùm in Evangeliis legas*, erunt ſigna in Sole & Lunâ & Stellis, *paulò poſt habes*, nam Virtutes cœlorum movebuntur. *Hi nimirum Spiritus, per quos ſigna fiunt. Putemus Poteſtates ſuperiores iſtis, quarum virtute poteſtas tenebrarum comprimitur, ne, quantùm vult, noceat; ne malignari, niſi ut proſit, poſſit. Putemus Principatus his quoque prælatos, quorum moderamine & ſapientiâ omnis in terris principatus conſtituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. Putemus Dominationes adeò cunctis ſupereminere præfatis Ordinibus, ut reſpectu horum ceteri*

videantur omnes adminiſtratorii Spiritus, & ad iſtos tanquam ad Dominos referri regimina Principatuum, tutamina Poteſtatum, operationes Virtutum, revelationes Archangelorum, curam & providentiam Angelorum. Putemus Thronos alio alto etiam ab his evolaſſe receſſu, qui, ex eo quòd ſedent, Throni dicuntur, & ex eo ſedent, quòd in eis ſedet Deus. Quæris quid illam ſentiam ſeſſionem? Summam tranquillitatem, ſerenitatem, pacem, quæ exuperat omnem intellectum. Talis eſt qui ſedet in Thronis Dominus Sabaoth, judicans omnia cum tranquillitate placidiſſimus, ſereniſſimus, pacatiſſimus. Et tales ſibi conſtituit thronos ſimillimos ſibi. Putemus Cherubim ex ipſo ſapientiæ fonte, ore Altiſſimi, haurientes & refundentes fluenta ſcientiæ univerſis Civibus ſuis. Putemus Seraphim Spiritus totos divino igne ſuccenſos ſuccendere univerſa, ut ſinguli Cives ſingulæ ſint lucernæ ardentes & lucentes.

Auctor libri de cœleſti Hierarchiâ, & alii deinceps communiter novem Angelorum Ordines dividunt in tres Hierarchias, in quarum primâ ſunt Seraphim, Cherubim & Throni: in ſecundâ, Dominationes, Principatus, Poteſtates, juxta S Bernardum; nam ſecundùm alios Virtutes præmittuntur Poteſtatibus, & Poteſtates Principatibus. In tertiâ Virtutes, Archangeli, & Angeli.

Q. 5°. *Angeli differunt-ne ſpecie & naturâ?*

R. Res eſt nobis prorſus incognita; quia omnis noſtra cognitio vel auctoritate, vel ratione innititur: atqui nulla hîc occurit auctoritas ſive Scripturæ, ſive Traditionis, nulla quoque ratio, nulli enim ſunt Angelorum effectus, ex quibus colligamus ipſos inter ſe eſſentialiter differre. Ergo. Cùm itaque Theologi Angelorum differentias per veriſimilia tantùm: quæ nunquam ſunt omnibus eadem, inveſtigent, in varias abeunt opiniones. Aliis omnes Angeli ſunt

unius & ejuſdem naturæ ſpecificæ, differuntque ſolùm accidentaliter, & ratione diverſorum miniſteriorum, quemadmodum in Republicâ civili ſunt Principes, Magiſtratus, alii aliis Superiores, & plebeii: omnes in naturâ ſimiles, gradu diſpares. Aliis, ut ſanctò Thomæ qu. 50. art. 4. ſingulari ſpecie & naturâ differunt, quod repugnare videtur ſocietati, quæ, ut eſt inter Angelos ſaltem ejuſdem ordinis perfectiſſima, nonniſi ex ſimilibus coaleſcit, juxta illud Eccli. 27. *Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt.* Quare veriſimilius videtur Angelos ejuſdem ordinis convenire in naturâ ſpecificâ, differre verò ab aliis præſertim, ſi ſint diſtinctæ Hierarchiæ; quia ſicut pertinet ad pulchitudinem mundi corporei, quòd in eo exiſtant corpora diverſæ ſpeciei; ſic mundus intelligibilis multò præſtantior, & ſecundùm plures Theologos, partibus locupletior, ex intelligentiarum varietate magis ſplendeſcit.

Dixi, *præſertim ſi ſint diſtinctæ Hierarchiæ;* quia Angeli diſtinctæ Hierarchiæ minùs cum aliis communicant. Ergo omnes Angeli ſunt ejuſdem naturæ genericæ, ut docet Auctor cæleſtis Hierarchiæ non verò ſpecificæ.

Q. 6°. *Quid eſt Hierarchia?*

R. Secundùm vim nominis Græci idem eſt ac ſacer principatus; definiturque, collectio perſonarum ſub aliquo Principe ad functiones ſacras deſtinatarum.

Nota autem S. Thomas in omni Hierarchiâ, & regimine etiam politico, tria eſſe attendenda, primum ſcilicet, medium, & infimum. In civitate, v. g. eſt præpoſitus generalis toti civitati, deinde ſunt in diverſo gradu Magiſtratus, qui regunt ſub Principe, denique ſunt plebeii, qui reguntur. Eccleſiaſtica ſimiliter Hierarchia

conſtat Epiſcopis, Preſbyteris, & Miniſtris, qui omnes à primo ad ultimum nempe Oſtiarium principantur, Epiſcopi inferioribus, & alii deinceps juxta gradum ſuum; Oſtiarii enim in ultimo gradu conſtituti cum poteſtate indignos arcent à ſacris liminibus; & incompoſitos comprimunt, & hæc ad ſimilitudinem cœleſtium Hierarchiarum, quarum ſingulæ tribus ordinibus præficiuntur, de quibus poſtea.

Simplices Clerici, hoc eſt, Tonſurâ clericali initiati in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ non numerantur; quia nulla eis competit ſacra functio, per quam principari dicantur; ſed tanquam canditati ad ſacros Ordines probantur, & diſponuntur.

Ex hâc Hierarchiæ notione quatuor colligit Angelicus Doctor. Primum, non eſſe Hierarchiam in divinis; quia in Sanctiſſimâ Trinitate non eſt primum, medium, & infimum, nulla principatur perſona, ſed omnes ſunt æquales, & conſubſtantiales. Secundum, in Dæmonibus non remanere Hierarchiam, quamvis ex diverſis Ordinibus & Hierarchiis ceciderint; quia nullas ſacras obeunt functiones: permanere tamen diſtinctionem graduum eſſentialium, ſecundùm quos nonnulla exiſtit inter eos ſubordinatio, & dependentia in actionibus naturalibus. Hinc Mat. 9. vocatur Princeps Dæmoniorum, & cap. 25. ait Chriſtus Dominus, ignem eſſe paratum Diabolo, & Angelis ejus. Tertium, Angelos ſuperiores plus gratiæ & chariſmatum à Deo accepiſſe quia inferiores illuminant. Quæ ratio accuratè eſt ponderanda iis, quibus via aperitur ad ſacros Ordines vel ad aliquam politicam præfecturam. Quos enim Deus æterno ſuo decreto prærordinavit ad aliquod miniſterium, iis & non aliis gratias, ſine quibus impleri non poteſt,

præparavit, hoc eſt, ampliores, ſi miniſterium ſit præſtantius & univerſalius, quale eſt Epiſcopi miniſterium; minores, ſi depreſſius. Seipſum itaque perdit, juxta ſanctum Bernardum ſerm. 18. in cant. qui nec à Deo vocatus, nec gratiis ejus cumulatus aliena curare aut ambit, aut acquieſcit, carne, vel favore humano, & ut aiunt, proſperâ fortunâ inſtigante. Qui autem ſibi nequam, cui bonus erit? Quartum, ex hominibus poſſe aſſumi ad Ordines, vel etiam ſupra Ordines Angelorum, ut de Matre Dei conſtat; non quidem ratione eſſentialium perfectionum, eſſentiæ enim mutari non poſſunt, ſed ratione ampliorum chariſmatum.

Q. 70. *Quæ functiones competunt ſingulis Hierarchiis cœleſtibus?*

R. Sanctus Auguſtinus lib. contra Priſcillianiſtas cap. 11. ultro fatetur ſe id neſcire: ſic enim ſcribit, *eſſe itaque Sedes, Dominationes, Principatus, & Poteſtates in cœleſtibus apparitibus firmiſſimè, credo, & differre inter ſe aliquid indubitatâ fide teneo; ſed quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio.*

Sanctus Bernadus, cujus verba initio hujus capitis retulimus, conjectat, quæ ſint ſingulorum Ordinum proprietates & officia, ex eorum nominibus. Sed quod leviter attigit, ſanctus Thomas ex libro de cœleſti Hierarchiâ fuſiùs pertractat qu. 108. 110. 112. & 113. Ac primò quidem Angelorum Ordines generatim dividit in Aſſiſtentes, & Adminiſtrantes. *Angeli*, inquit art. 3. qu. 112. *introducuntur Aſſiſtentes & Adminiſtrantes ad ſimilitudinem eorum, qui alicui Regi famulantur: quorum aliqui ſemper ei aſſiſtunt, & ejus præcepta immediatè audiunt: alii vero ſunt, ad quos præcepta regalia per Aſſiſtentes nuntiantur, ſicut illi qui adminiſtrationi civitatum præficiuntur, & hi dicuntur miniſtrantes, ſed non Aſſiſtentes.*

Similiter in curiâ cœleſti alii Angeli continuò Deo aſſiſtunt tanquam ejus familiares, & quidem eo in majori numero, quo ſunt perfectiores; ſicut enim corpora cœleſtia, utpote quæ præſtent magnitudine ſublunaria; ſic Angeli perfectiores multitudine ceteros longè ſuperant. Alii res corporeas, cœleſtes & terreſtres, humanaſque adminiſtrant; conſtans enim eſt doctrina tum Philoſophorum, qui ſubſtantias ſpirituales agnovêre, tum Sanctorum Patrum, mundum corporeum Angelorum miniſterio gubernari. *Omnia corpora*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. *reguntur per Spiritum vitæ rationalem.* Et S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 5. ait, *Nihil in hoc mundo viſibili niſi per creaturam inviſibilem diſponi poteſt.*

Prima igitur Hierarchia conſtat ex Angelis aſſiſtentibus, quibus Deus immediatè ſua conſilia communicat, decreta manifeſtat, principatumque exercent, quatenus ea, quæ à Deo acceperunt, Angelis ſecundæ Hierarchiæ denuntiant, ut eadem ipſa exequantur; effatum ſiquidem eſt ab omnibus receptum, Deum infima ad ſeipſum rerum omnium finem per media adducere. Hunc autem ordinem docet Angelicus Doctor in ſupernaturalibus immutari nunquam, in naturalibus verò aliquando; quia, inquit, ordo naturalium ſubeſt ordini ſupernaturalium, prodeſtque gratiæ ordini & hominum ſaluti, ut contra ordinem naturalem cæcus v.g. illuminetur, mortuus ſuſcitetur: at nulla ratio, nullave utilitas, ut ordo ſupernaturalis ſubvertatur, cùm ſuperiorem ſe non habeat, ſed in Deum immediatè deſinat. Unde concludit Angelos aſſiſtentes nunquam fieri miniſtrantes. Porrò ſicut inter eos, quia aſſiſtunt Regi, plura ſcit de ſecretis Regis unus præ alio, ut obſervat ſanctus Doctor

qu. 112. art. 3. ad 4. ita Deus nonnullis ex Aſſiſtentibus, ſecreta ſua familiariùs declarat. Hinc inter Aſſiſtentes triplex ordo neceſſariò exurgit. In tertio ordine collocantur Throni, ſic dicti, quia in tantum immobiliter Deo adhærent, & Deus in eis firmiſſimè ſedere dicitur, in quantum ſeipſum illis familiariùs communicat, & rationes rerum ab inferioribus Angelis obſervandas patefacit. Licèt autem illud ſit commune tribus ordinibus primæ Hierarchiæ, tertius tamen ordo ita vocatur, quia nomen generis tribuitur ſpeciei minùs nobili; bruta v. g. ſimpliciter vocantur animalia; homo verò, quamvis ſit animal, ſortitur nomen proprium ob rationalitatem, quæ eſt quid præſtantius. Sic Angeli ſecundi ordinis Cherubim, hoc eſt, ſcientiarum Magiſtri appellantur, quia amplius hauriunt ex ipſo luminis fonte. Sed ſupra illos Angeli primi ordinis, potiùs immerguntur, quàm hauriant; & ideo licèt Throni, ac Cherubim dici poſſint, cùm habeant quidquid perfectionis illa nomina ſignificant; tamen ſpecialiter nominantur Seraphim, hoc eſt, incenſi & incendentes; quia intenſiſſimum lumen (quale colligitur in ſpeculo) non ſolùm illos illuſtrat, ſed & incendit: atque in hoc, inquit Angelicus Doctor qu. 108. art. 6. congrua cernitur ordinum diſpoſitio; namque ſummus inferioris ordinis affinitatem habet cum ultimo ſuperioris, homo v. g. convenit cum Angelis. *Primus... ordo*, ait, *eſt divinarum Perſonarum, qui terminatur ad Spiritum-ſanctum, qui eſt amor procedens, cum quo affinitatem habet ſupremus ordo primæ Hierarchiæ, ab incendio amoris denominatus.*

Secunda Hierarchia in tres ordines ſimiliter diſtributa, nempe Dominationes, Virtutes, & Poteſtates, diſponit de miniſteriis divinis ſecundùm

dùm rationes univerſales à primâ Hierarchiâ acceptas: Dominationes quidem tanquam domini in familiâ, inferioribus denuntiant & præcipiunt quid ſit agendum, ſed ad opus externum non exeunt, nec mittuntur. Virtutes verò & Poteſtates, veluti duces in miniſteriis divinis, præſunt tertiæ Hierarchiæ, cui executio demandata eſt: Virtutes quidem, ut fert illud nomen, dant efficaciam inferioribus Spiritibus ad exequenda divina miniſteria, quatenus miracula edunt, quibus confirmatur fides eorum, quæ annuntiant Angeli: Poteſtates ordinant quæ ſunt agenda, & arcent dæmones, ne ea impediant.

Tertia Hierarchia tota incumbit exequendis operibus per ſecundam diſpoſitis & ordinatis. In primo ordine Principatus operibus præſunt, & univerſaliora curant, putà Regna, & alias hominum ſocietates. Ex illis erat Angelus qui dicitur Dan. cap. 10. Princeps Regni Perſarum, juxta interpretationem S. Gregorii lib. 17. Moral. cap. 7. & Michaël, cui credita eſt olim Synagoga, nunc vero Eccleſia. Quare in hâc ſententiâ alium fuiſſe Michaëlem neceſſe eſt, qui cum Angelis ſuis draconem, hoc eſt, Luciferum & Angelos ejus è cœlo dejecit, Apoc. 12. namque Lucifer, qui ad primam Hierarchiam pertinuiſſe vulgò creditur, nonniſi per Angelum ſuperiorem expugnari potuit. Meritò autem uterque vocatur Michaël, hoc eſt, *quis ut Deus?* quia par eſt in utroque ardor pro gloriâ Dei vindicandâ. In ſecundo ordine Archangeli, & in tertio Angeli ſingularia adminiſtrant, illi majora, iſti minora.

Ergo adminiſtratio tertiæ Hierarchiæ ſpectat Eccleſiaſticam Hierarchiam ipſi immediatè ſubordinatam, ſuis quoque ordinibus perfectam; quorum actiones ſunt, perficere, illuminare,

& purgare. Epiſcopi in primo ordine conſtituti per Sacramenta Confirmationis & Ordinis perficiunt : preſbiteri in ſecundo ordine illuminant per Sacramenta, quorum adminiſtrationem habent, & quorum virtute gratiæ lumen conferunt. Miniſtri in tertio ordine purgant, quatenus Fideles præparant ad Sacramenta. Denique Laïci paſſivè tantùm ſe habent in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, ſcilicet ut purgentur, illuminentur, & perficiantur. Adminiſtrant quidem naturalem rerum ordinem à Deo præpoſiti; *non eſt enim poteſtas niſi à Deo*, inquit Apoſtolus Rom. 13. Sed adminiſtrationes illæ non ſunt Hierarchicæ, utpote quæ non ſint ſacræ per ſe, ſed per Hierarchiam Eccleſiaſticam quatenus Præpoſiti Eccleſiaſtici laïcos purgant, illuminant & perficiunt.

Atque hæc ex Angelico Doctore ſummatim exſcripta ſunt, ut quiſque uno intuitu conſpiciat Deum ubique operantem, & omnia ad ſe reducentem, infima per media, & media per prima ſibi immediatè aſſiſtentia, mireturque illum ordinem longè pulcherrimum, in quo tam varia ſuis gradibus diſtincta per juncturam ſubminiſtrationis, ut loquitur Apoſtolus Epheſ. 4. in unum veluti corpus coaleſcunt, cujus caput eſt Chriſtus Dominus: cùm enim functiones Hierarchicæ omnes ad gratiam pertineant, proculdubio à gratiarum fonte, qui eſt Chriſtus, omnes ſcaturiunt, & per adminiſtratorios Spiritus tanquam per ejus organa ad ſingulos derivantur. Intelligant quoque viri Eccleſiaſtici ſe cœleſti Hierarchiæ eſſe ſubordinatos, priùſque ab eâ illuminandos, quàm inferiores illuminent.

Objicit ſibi Angelicus Doctor nonnullos Scripturæ textus, qui pugnare videntur contra cœleſtium ordinum diſpoſitionem à ſe exaratam. Primus petitur ex Tobiæ cap. 12. ubi Angelus

Raphaël ad Tobiam miſſus dicit ſe unum ex Angelis aſſiſtentibus : ergo Angeli aſſiſtentes in miniſterium mittuntur. Secundus habetur Iſaïæ 6. ubi unus Seraphim miſſus eſt ad purganda Prophetæ labia. Et Gen. 3. Cherubim collocatur ante Paradiſum terreſtrem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Tertius ſic legitur Heb. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi?* Enim verò Angelus nomen eſt officii, & idem ſonat ac nuntius ſeu miſſus : atqui omnes Spiritus beati ſunt Angeli : ergo omnes ad annuntiandum mittuntur.

Reſpondet ad ſingulos.

Ad primum ; omnes Angeli dici poſſunt aſſiſtentes, quatenus ſemper vident faciem Patris, ut notat ſanctus Gregorius lib. 2. Moral. cap. 3. Sed ſoli Superiores ſecreta divinorum Myſteriorum in claritate divinæ eſſentiæ percipiunt, quæ aliis manifeſtent.

Ad ſecundum, Angeli in allatis textibus ſunt infimæ Hierarchiæ, ex cap. 13. cœleſtis Hierarchiæ ; ſed ab officio denominantur, alter Seraphim, id eſt, incendens ; quia ad incendenda Prophetæ labia venerat ; alter Cherubim, id eſt Magiſter, quia conſtitutus eſt cuſtos ligni ſcientiæ.

Fatendum tamen eſt hujuſmodi interpretationem non videri ſatis cohærere cum doctrinâ ſanctorum Gregorii, Bernardi, & auctoris lib. de celeſt. Hierarch. qui ex diſtinctis Angelorum nominibus, eorum quoque ordines proprietateſque diſtingui colligunt ; quæ ſanè conſequentia nulla eſt, ſi Angeli ejuſdem ordinis pro diſpoſitis miniſteriis dici poſſunt Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, &c. Unde multi Theologi cenſent Angelos aſſiſtentes non quidem ordinariè, ſed extraordinariè mitti, quemadmodùm Rex negotium magni momenti nonnun-

quam familiariſſimo ex iis qui ſibi aſſiſtunt tractandum committit.

Ad tertium, omnes Spiritus beati ſunt Angeli & nuntii, quia divina ſecreta omnes annuntiant; ſuprema enim Hierarchia illuminat ſecundam, ſecunda tertiam; tertia verò homines, ex quibus Eccleſiaſtica conflatur Hierarchia omnium infima.

Q. 8°. *Quid eſt illuminatio?*

R. Eſt locutio, per quam veritas antè ignorata manifeſtatur inferiori per Angelum ſuperiorem modo aliquatenus ſupernaturali.

Dicitur 1°. *locutio;* quia illuminatio eſt manifeſtatio & expreſſio conceptûs Angelici directa ad alterum.

Dicitur 2°. *per quam veritas antè ignorata*, &c. quibus verbis ſignificatur illuminationem pertinere ad doctrinam, quod de ſimplici locutione dici non poteſt; nam diſcipulus alloquitur Magiſtrum, & creatura rationalis Deum, non ut ipſum illuminet, ſed ut ab eo diſcat. Ergo Angeli, cùm ſuperioribus loquuntur, eiſque ſuos conceptus manifeſtant, illos non illuminant, quia illorum intellectum minimè roborant ad percipiendam veritatem priùs incognitam, quemadmodum Præceptor juvat diſcipuli intellectum.

Dices: in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, quæ derivata eſt à cœleſti, & eam repræſentat, Superiores ab inferioribus illuminantur, ſecundùm illud Apoſtoli 1. Cor. 14. *Poteſtis... omnes per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant.* Ergo.

Reſpondet S. Thomas qu. 106. art. 3. ad primum, negando conſequentiam, diſparitatemque affert, quòd in cœleſti Hierarchiâ tota ratio ordinis ſit ex propinquitate ad Deum. Et ideo illi qui ſunt Deo propinquiores, ſunt & gradu

ſublimiores, & ſcientiâ clariores. Sed in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, qui Deo ſunt per ſanctitatem propinquiores, interdum ſunt gradu infimi: Et quidam in uno ſcientiâ eminent, & in alio deficiunt, *& propter hoc ſuperiores ab inferioribus doceri poſſunt.*

Dicitur 3°. *modo aliquaterus ſupernaturali;* quia quoad objecta naturalia & neceſſaria non illuminantur inferiores Angeli à ſuperioribus, cùm eorum ſcientiam habeânt, ut dictum eſt. Illuminantur ergo circa illa objecta, quæ nonniſi divinâ revelatione cognoſci poſſunt, qualia ſunt futura contingentia. Unde Deus eſt ſemper præcipuus illuminans, & ejus revelatio eſt ratio aſſentiendi veritati per illuminationem propoſitæ.

Q. 9°. *Datur-ne illuminatio in Angelis?*

R. Negat Durandus contra communem Patrum & Theologorum doctrinam. *Ubi indultum ſibi ſacratiſſimum jubar affatim hauſerint*, inquit Auctor de cœleſti Hierarchiâ cap. 3. *hoc ipſum poſtmodum abſque invidiâ ſequentibus fundunt.* Sanctus Sophronius in encomio de Angelis ſic Seraphim alloquitur, *ſplendorem, quantùm fas eſt, abſque medio excipitis, exceptumque ceteris mentibus, & intelligentiis communem facitis.* S. Bernardus laudato c. 4. lib. 5. de Conſid. de Cherubinis ſic ſcribit, *ex ipſo ſapientiæ fonte ore Altiſſimi haurientes & refundentes fluenta ſcientiæ univerſis civibus ſuis.*

Q. 10°. *Poteſt-ne immediatè fieri revelatio inferiori ordini, prætermiſſo ſuperiore?*

R. S. Bernardus ſerm. 1. ſuper Evang. *Miſſus eſt* putat multa circa Incarnationem revelata Archangelo Gabrieli, quæ alios Angelos latuerunt, *miſſus eſt à Deo* (Gabriel) *ne cui*, inquit, *vel beatorum Spirituum, ſuum Deus, antequam Virgini, revelaſſe putetur conſilium, excepto duntaxat Archan-*

gelo Gabriele. Cùm autem Hugo à ſancto Victore ſcripſiſſet ad S. Bernardum, nonnullos ex prolatis verbis commoveri: Reſpondet ſanctus Doctor cap. 5. ſuæ reſponſionis ad quæſtiones Hugonis, 1°. ſe iſta dubitanter protuliſſe. 2°. verba ſua non eſſe intelligenda de ſubſtantiâ Incarnationis, quam dicit præſciram non ſolùm ab Angelis, ſed & à ſanctis Prophetis; verùm de quibuſdam circunſtantiis, nempe de tempore, & loco Conceptionis Chriſti, & de electione perſonæ virginalis, quas hîc aſſerit non fuiſſe revelatas niſi Gabrieli.

S. Thomas verò negat revelationem fieri inferiori, omiſſo intermedio: tum quia ſecundùm auctorem lib. de Eccleſ. Hierarc. cap. 5. hæc eſt lex divinitatis immobiliter firmata, ut inferiora reducantur in Deum per ſuperiora, & infima per media: tum quia de ratione boni eſt, ut aliis ſe communicet. *Inde eſt*, inquit, *quòd agentia corporalia ſimilitudinem ſuam aliis tradunt, quantùm poſſibile eſt. Quantò igitur aliqua agentia magis in participatione divinæ bonitatis conſtituuntur, tantò magis perfectiones ſuas nituntur in alios transfundere, quantùm poſſibile eſt. Unde 1. Petri 4. unuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Multò igitur magis ſancti Angeli, qui ſunt in pleniſſimâ participatione divinæ bonitatis, quidquid à Deo percipiunt, ſubjectis impertiuntur.* Sed ſicut unam & eandem rem pleniùs intelligit Magiſter, quàm diſcipulus ab eo edoctus; ſic & Angeli illuminantes, quàm illuminati. Alii tamen Theologi hæc intelligenda cenſent ſecundùm legem ordinariam, poſſeque fieri ut Deus, vel Angelus ſuperior, omiſſis intermediis, illuminet inferiorem.

Q. 110. *Eſt-ne de fide homines ab Angelis illuminari?*

R. Ita eſt, probaturque tum ex Scripturâ, tum ex Traditione. Dan. 8. *Et ait ad me* (Gabriel,) *intellige fili hominis.* Cap. 9. *docuit me* Angelus, Zach. 1. *Dixit ad me Angelus.* Matth. 2. *Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph .... dicens.* Act. 8. *Angelus .... Domini locutus eſt ad Philippum*, &c. Sanctus Auguſtinus conc. 18. in Pſalm. 118. circa finem ad illa verba, *da mihi intellectum*, docet Deum id præſtare per Angelos, ſed cum hoc diſcrimine: *Deus*, inquit, *per ſeipſum, quia lux eſt quæ illuminat pias mentes, ut ea quæ divina dicuntur, intelligant. Sed ſi ad hoc miniſtro utitur Angelo, poteſt quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, ut capiat lucem Dei, & per hanc intelligat. Sed ita dicitur intellectum dare homini, & quaſi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quiſquam dicitur dare lucem domui, vel illuminare domum, cui feneſtras facit, cùm eam non ſuâ luce penetret, & illuſtret*, &c.

Q. 120. *Illuminant-ne Angeli immediatè imprimendo ſpeciem in intellectu hominis?*

R. Minimè, quia anima, quandiu juncta eſt corpori, non poteſt intelligere, niſi per converſionem ad phantaſmata, & dependenter à ſenſibus. Ergo mediatè tantùm agunt in intellectum humanum, quatenus ſcilicet ſenſus afficiunt, & movent ſpiritus animales. *Illud ſcitote*, inquit ſanctus Bernardus Serm. 5 in Cant. *nullum creatorum ſpirituum per ſe noſtris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante noſtri ſui-ve corporis inſtrumento, ita nobis miſceatur & infundatur, quò ejus participatione, docti, ſive doctiores, vel boni, ſive meliores efficiamur.*

Multò remotiùs Angeli movent voluntatem humanam, utpote quæ non agat niſi mediante intellectu, *animam & mentem hominis nulla creatura juxta ſubſtantiam poteſt implere*, ait Beda in cap. 5.

Act. Ergo illapſus in mentem humanam nulli competit Angelo.

Q. 130. *Quid eſt illapſus?*

R. Illapſus 1°. latiſſimè ſumitur pro ingreſſu unius in aliud, quo ſenſu flumen dicitur mari illabi. 2°. minùs latè pro ſagaci ſuggeſtione, quæ alterius voluntatis conſenſum obtinet, unde ſanctus Gregorius lib. 17. Mor. cap. 20. ſic ſcribit, *Dæmon, ſi ſuggeſtioni primò non reſiſtitur, repentè totus ad interiora cordis illabitur.* 3°. propriè pro intimâ præſentiâ rei aliam in ſuo eſſe continentis, quo ſenſu anima poteſt dici illabi corpori, cui vitam tribuit. Porrò ſolus Deus illabitur menti humanæ; nam etſi Angelus poſſit eſſe intimè præſens animæ rationali; non ineſt tamen tribuens illi eſſe, & vim intelligendi. *Ineſt Angelus,* inquit ſanctus Bernardus c. 5. lib. 5. de Conſid. *ſuggerens bona, non ingerens, ineſt hortans ad bonum, non bonum creans; Deus ſic ineſt, ut efficiat, ut infundat, vel potiùs ut infundatur & participetur, ita ut unum proinde cum noſtro ſpiritu eſſe dicere quis non timuerit, etſi non unam perſonam, unam-ve ſubſtantiam. Habes enim,* qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt. *Angelus ergo cum animâ; Deus in animâ; Ille ut contubernalis animæ ineſt: Deus ut vita. Itaque ſicut anima videt in oculis, audit in auribus,* &c. *ſic Deus diverſa in diverſis ſpiritibus operatur.*

CAPUT VI.

Utrùm Angeli ſint in hominum cuſtodiam deputati?

R. Primò, de fide eſt homines viatores à ſanctis Angelis cuſtodiri, Probatur 1°. ex Scripturâ, Pſalm. 33. *Immittet Angelus Domini in*

circuitu timentium eum, Pſam. 90. *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te.* Licèt autem Pſalmus iſte principaliter de Chriſto Domino intelligatur ſecundùm ſanctum Auguſtinum & Bedam, extendendus tamen eſt ad omnes juſtos, & ita illum communiter exponunt Sancti Patres. Matth. 18. *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis; dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris.*

Probatur 2°. ex Traditione.

Origenes hom. 8. in Gen. ait, *Angeli tenent curam animarum noſtrarum, & eis ab infantiâ tanquam tutoribus & curatoribus committuntur.*

S. Baſilius hom. 8 in Iſaïam, *Angelis*, inquit, *tanquam providis tutoribus humani generis curam demandavit Deus.*

S. Ambroſius lib. de viduitate, poſt medium, ſic ſcribit, *obſecrandi ſunt Angeli, qui nobis ad præſidium dati ſunt.*

S. Auguſtinus Soliloquiorum capite 17. *magnâ curâ*, inquit, *& ſollicitudine adſunt nobis.*

Calvinus lib. 1. Inſtitut. cap. 14. fatetur Angelos invigilare hominum ſaluti: ſed contendit incertum eſſe, an ſingulis ſinguli deputentur, & in Pſalm. 90. longiùs progreſſus rejicit hanc ſententiam, tanquam falſum commentum. Sed quamvis non ita expreſsè habeatur in Scripturis, nec ab Eccleſiâ fuerit definita; nihilominus tam unanimi Catholicorum conſenſu recepta eſt ut ab eâ deflectere non liceat. Quare

R. Secundò. Singulis hominibus ſinguli Angeli deputati ſunt.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Matth. 18. Chriſtus monens non contemnendos parvulos, hanc affert rationem, *quia Angeli eorum ... vident faciem Patris*, ubi duo advertenda: primum, non dicit ſingulariter, *Angelus*, ſed *Angeli*, ſignificans non

unum, ſed plures pluribus præfici: ſecundum, non dicit ſimpliciter, *Angeli*, ſed, *Angeli eorum*, hoc eſt, Angeli veluti proprii, ſeu cuilibet aſcripti: ſic Act. 12. de Angelo cuſtode ſancti Petri dicitur, *Angelus ejus eſt*. Et ita intellexêre Patres, quos impudenter irridet Calvinus.

Probatur 2°. ex Patribus tum Græcis, tum Latinis.

E Græcis, Euſebius Cæſarienſis lib. 13. de Præparatione Evangelicâ cap. 7. ait *Angelum unicuique ad cuſtodiam divinitus datum nos ex Scripturâ didicimus*. S. Baſilius eadem tradit lib. 3. contra Eunomium, & lib. de vera virginitate. S. Chryſoſtomus hom. 59. in Matth. expendens illa verba, *Angeli eorum ... vident faciem Patris*, ſic ſcribit, *noli ergo dicere ferrarium eſſe aliquem fabrum, aut agricolam, ac ideo quaſi rudem atque indoctum eſſe contemnendum. Angelorum, qui hos tenues fratres tutantur, auctoritas ut eos veneremur, impellit*.

Ex Latinis, ſanctus Hilarius in cap. 18. Matth. Sanctus Hieronymus in idem cap. ita loquitur, *magna eſt dignitas animarum, ut unaquæque ab ortu nativitatis habeat in cuſtodiam ſui Angelum delegatum*.

S. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 10. Beda lib. variarum quæſt. 9. Sanctus Anſelmus in elucidario, *unaquæque anima*, inquit, *dum in corpus mittitur, Angelo committitur*. Ubi ſanctus Doctor non ſolùm à nativitate, ſed etiam à conceptione vult Angelum delegari. Sed S. Thomas qu. 113. art. 5. ad tertium probat Angelum matris eſſe quoque cuſtodem filii nondum nati; quia filius in utero exiſtens eſt veluti pars matris, ſicut fructus eſt pars arboris, quandiu ex eâ pendet. Unde concludit juxta ſententiam S. Hieronymi, in ortu tantum hominibus deputari Angelos cuſtodes. Enimverò Angelus matrem in utero habentem cuſtodiens, nihil relinquit alterius Angeli vigilantiæ.

Q. 2°. *Angelus unius hominis cuſtos ſuſcipit-ne curam alterius priore defuncto ?*

R. Videtur Origenes ita ſenſuiſſe ; nam hom. 11. in lib. Numerorum ſcribit Angelum in conſummatione ſeculi educturum eos, quos adjuvit & inſtruxit. Multi tamen Theologi negant eundem Angelum unius hominis cuſtodia functum, aliorum poſtmodùm curam ſuſcipere.. In his autem, quæ non ſunt revelata, unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat.

Q. 3°. *Deſinit-ne omninò in morte Angelorum cuſtodia ?*

R. Quando ad terminum viæ pervenerit homo, inquit ſanctus Thomas qu. 113. art. 4. non habebit Angelum cuſtodem, ſed habebit in regno Angelum conregnantem, aut in inferno Angelum punientem. An autem in Purgatorio conſolantem, ita multi exiſtimant, & videtur poſſe concludi ex verbis Angelici Doctoris.

Q. 4°. *Homines in ſtatu innocentiæ habuiſſent-ne Angelos Cuſtodes ?*

R. Affirmat Angelicus Doctor qu. 113. art. 4. ad ſecundum ; quia etſi non paterentur periculum ab interiori, cùm omnia in eis eſſent ordinata, exponerentur tamen Dæmonum inſidiis.

Q. 5. *Reprobi habent-ne Angelos cuſtodes ?*

R. Negarunt aliqui propter illud Apoſtoli, Heb. 1. *nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis ?* Communis tamen eſt ſententia omnibus & ſingulis hominibus, etiam Antichriſto, deputatos eſſe Angelos. Rationem affert ſanctus Thomas cit. art. 4. ad tertium ; quia etiamſi non juventur, ut actu & de facto vitam æternam conſequantur, à quibuſdam tamen malis operibus retrahuntur, quibus & ſibi ipſis, & aliis nocere poſſunt.

Habuit ergo Mater Dei Angelum, qui illam cuſtodiret ad infeſtantibus Dæmonibus: & ita docet S. Bernardus in Reſponſione ad Hugonem c. 5. non habuit verò Chriſtus Dominus cuſtodem Angelum, ſed plures ſibi miniſtrantes; tum quia Pater omnia in manus ejus dedit; tum quia erat abſolutè impeccabilis, fruebaturque viſione beatificâ.

Q. 6°. *Deputantur-ne ſpeciales Angeli pro ſingulis Communitatibus, Regnis, & Eccleſiis?*

R. Conſtans eſt Patrum doctrinâ deputari. Ita Origenes lib. 1. Periarchon, S. Clemens Alexandrinus, lib. 6. Stromatum, S. Hilarius in Pſalm. 129. ſanctus Baſilius lib. 3. contra Eunomium, ſanctus Epiphanius hæreſi 51. ſanctus Ambroſius lib. 1. de pœnitentiâ c. 21. & lib. 2. in Lucam, ſic ſcribit, *non ſolùm ad tuendum gregem Dominus Epiſcopos ordinavit, ſed etiam Angelos deſtinavit.* Colligunt autem hanc doctrinam ex variis locis Scripturæ, ut Dan. 10. ubi Cuſtos regni Perſarum reſtitit Cuſtodi Judæorum ſatagenti pro eorum libertate, nimirum videbat ille Judæorum peregrinationem in Perſide Perſis eſſe utilem ex ſancto Gregorio lib. 17. Mor. cap. 7. Apoc. quoque 2. & 3. S. Joannes ſcribit ad Angelos ſeptem Eccleſiarum, quæ ſunt in Aſiâ: Angeli autem illi licèt ad litteram ſint Epiſcopi, Patres tamen extendunt illos textus ad Angelos iiſdem Eccleſiis præpoſitos.

Q. 7°. *Poteſt-ne eſſe pugna inter Angelos cuſtodes?*

R. Nunquam poteſt eſſe voluntatum diſcordia; quia uniuntur inter ſe perfectiſſima charitate. Poteſt tamen in eis eſſe contrarietas petitionum conditionatarum, quandiu eis de voluntate Dei non conſtat.

Q. 8°. *Delegantur-ne duo Angeli Pontificibus, Regibus, & aliis Præpoſitis, unus tanquam privatis per-*

ſonis, alter tanquam capitibus communitatis?

R. Quibuſdam probabile videtur, ſed multò veriſimilius eſt eundem Angelum, qui toti ſocietati præeſt, curam gerere Principis, tanquam capitis, & membri præcipui corporis myſtici.

Q. 9°. *Angeli cuſtodes deſerunt-ne ſuos alumnos in peccatis obduratos.*

R. Cùm toti ex voluntate Dei pendeant, qui peccatorem, quandiu ſuperſtes eſt, omnino non deſerit, ſed ex parte tantùm, ut diximus ubi de Attributis; idem de Angelis cuſtodibus ſentiendum eſt, & ita conciliantur oppoſitæ ſententiæ. Alii enim docent peccatum fugare Angelos cuſtodes, de quibus intelligunt illud Jerem. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamus eam.* Sanctus Baſilius in cap. 5. Iſaïæ ſcribit ſepem, quam Deus minatur ſe ablaturum, eſſe cuſtodiam Angelicam, quâ quis ſpoliatur, ſi in peccatis deprehendatur: *dicunt ergo Sancti illi & Beati Spiritus*, inquit Sanctus Bernardus Serm. 1. de ſancto Michaële, *non permaneamus cum hominibus iſtis in æternum, quia caro ſunt. Væ nobis, ſi quando provocati peccatis & negligentiis noſtris, indignos nos judicaverint præſentiâ, & viſitatione ſuâ ut jam neceſſe habeamus, & nos plangere cum Prophetâ*, & qui juxta me erant, de longè ſteterunt. *Pro certo enim*, ut ait idem ſanctus Doctor Ser. 7. in Cant. *ſi ſe à nobis boni Spiritus elongaverint, impetus malignorum quis ſuſtinebit?* Alii contrà contendunt multis rationibus nequidem Antichriſto cuſtodiam Angelorum defuturam. Vera utraque ſententia, ſi temperetur. Deſerunt Angeli, quia remittunt curam, vexati peccatis alumnorum. Non deſerunt omnino; quia prorſus non deſperant. *Angelus*, inquit S. Ambroſius in Pſalm. 38. *in circuitu eſt hominis; ne quis noceat ei*,

non diſcedit Angelus, niſi juſſus à Domino.

Q. 10°. *Quænam miniſteria circa nos exercent Angeli cuſtodes?*

R. Primò, avertunt exteriora pericula tam corporis quàm animæ nobis incognita, cogitationeſque immittunt, quibus vel aliò divertamur, vel tentationem declinemus.

Secundò, animam excitant ad operandum bonum, & fugiendum malum, quod præſtant illuminando mentem, ſuadendo voluntati.

Tertiò, Dæmones arcent, ne acriùs tentent.

Quartò, orationes alumnorum ſuorum offerunt Deo, ut habetur Tobiæ 12. *Ego* (Raphaël) *obtuli orationem tuam Domino.* Apoc. 8. *Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli.* Sanctus Hilarius Can. 18. in Matth. ſcribit Angelos præeſſe Fidelium orationibus, quod ſanctus Bernardus aſſerit ſer. 7. in Cant. non eſſe in dubium revocandum.

Quintò orant & intercedunt pro ſuis alumnis, ex S. Bernardo lib. de Conſid. cap. 4. & 5. & ſerm. 31. in Cant.

Sextò, corrigunt & puniunt pœnis medicinalibus, ex ſancto Auguſtino lib. 9. de Civ. cap. 5.

Dixi, *medicinalibus;* nam quæ ſunt in meram vindictam, per Angelos malos infliguntur, *miſit in eos iram indignationis ſuæ... immiſſiones per Angelos malos*, Pſalm. 77.

Septimò, ſuſcipiunt è corpore egredientem juſti animam, deducuntque vel ad cœlum, vel ad purgatorium, Luc. 16. *Factum eſt... ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Portabatur*, inquit S. Chryſoſtomus hom. de Lazaro, *in humeris Angelorum, ne ſaltem ambulans laboraret. Gaudet unuſquiſque Angelorum tale onus tangere.*

CAPUT VII.

De gratiâ & lapſu Angelorum.

Q. 1°. *Ngeli fuerunt-ne in gratiâ conditi?* R. Fuerunt. Eſt contra nonnullos, qui docuerunt Angelos primò in puris naturalibus creatos, deinde per gratiam prævenientem ad Deum converſos, & ex congruo gratiam ſanctificantem promeruiſſe.

Probatur ex Scripturâ. Ezech. 28. ſub figurâ Regis Tyriorum de Lucifero dicitur: *tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore, in deliciis Paradiſi Dei fuiſti...in medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Hunc locum de Lucifero interpretantur ſanctus Hieronymus in cap. 28. Ezech. S. Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 2. S. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 18. *Quid*, inquit, *doni non habuit, ſi ſignaculum Dei ſimilitudinis fuit?* S. Auguſtinus lib. 11. de Civit. cap. 15. ubi per lapides ignitos intelligit Angelos charitate flagrantes. Joan. 8. de diabolo ait Chriſtus, *ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* Ergo priùs fuit in veritate, hoc eſt in juſtitiâ, quàm mortem primis parentibus inferret. Unde S. Auguſtinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. ſcribit: *Simul ut facti ſunt, ei, à quo facti ſunt, amore, cum quo facti ſunt adhæſerunt: eoque ſunt iſti* (dæmones) *ab illorum ſocietate diſcreti, quòd hi in bonâ voluntate manſerunt, illi ab eâ deficiendo mutati ſunt.* Ergo Deus Angelos creavit ſimul in eis condendo naturam, & largiendo gratiam, ut loquitur S. Auguſtinus

laudato cap. 9. de Civit. eſtque communis Sanctorum Patrum ſententia: quæ verò ex illis contrà proferuntur, intelligenda ſunt de gratiâ conſummatâ quam deinceps Angeli perſeverantes promeriti ſunt. Utrum autem gratia actualis tanquam diſpoſitio habitualem ſeu ſanctificantem præceſſerit, diſputant Theologi: affirmat ſanctus Thomas qu. 62. art. 2. ad 3.

Q. 20. *Omnes Angeli acceperunt-ne inæqualem gratiam juxta majorem aut minorem naturæ ſuæ perfectionem?*

R. Communis eſt Theologorum ſententia accepiſſe inæqualem.

Probatur ex ſanctis Patribus. S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 16. de illis ſic ſcribit: *Cœlorum virtutes, non ſuapte naturâ ſanctæ ſunt, ſed juxta proportionem, quâ ſe invicem ſuperant, à ſpiritu habent ſanctificationis menſuram.* S. Joannes Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3. *pro ſuæ dignitatis & ordinis ratione*, inquit, *illuminationem & gratiam participantes circumſcripti ſunt.* Idipſum fusè proſequitur Auctor lib. cœleſtis Hierarchiæ cap. 6.

Rationem affert ſanctus Thomas qu. 62. art. 6. quia Deus Angelos alios aliis perfectiores condidit in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem: ergo plus gratiæ ſuperioribus, per quam illam conſequerentur, quàm inferioribus contulit, *ut puta, ſi ædificator*, inquit, *lapides polit ad conſtruendam domum, ex hoc ipſo, quòd aliquos pulchriùs & decentiùs aptat, videtur eos ad honoratiorem partem domûs ordinare.*

Objicit ſibi ſanctus Doctor: gratia non eſt ex operibus, ſed ex merâ Dei voluntate datur. Ergo multò minùs gratia uberior reſpondet naturæ perfectiori: quia actus perfectior magis diſponere videtur ad gratiam; quàm ipſa præcisè natura, aut ejus munera, de quibus Apoſto-

lus 1. Cor. 1. *non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes...ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus*, &c.

Reſpondet actus creaturæ rationalis, cùm ſint ab ipsâ, nullatenus poſſe ab eâ ordinari ad finem ſupernaturalem: at natura immediatè eſt à Deo illam dirigente ad finem quemcunque voluerit. Ex eo autem non ſequitur potiorem gradum ſive gratiæ, ſive beatitudinis deberi naturæ præſtantiori, quemadmodum nec locus eminentior in ædificio debetur lapidi, qui propter illum exciſus & politus eſt, ſed utrumque debetur ſapientiæ opificis.

Comparatio verò ducta ex hominibus, nulla eſt; quia Angeli ſunt diverſæ ſpeciei & naturæ, homines verò ejuſdem: atqui ea quæ ſunt diverſæ ſpeciei, ordinata ſunt ad diverſos fines; quæ verò unius & ejuſdem ſpeciei unum & eundem finem ſpectant. Ergo non natura, quæ pares homines effecit, ſed mera Dei electio alios aliis præpoſuit, atque ad retundendam innatam filiis Adæ ſuperbiam rudes piſcatores gratiâ & ſapientiâ ſupra ceteros exaltavit. At verò, cùm Angeli naturaliter alii aliis ſint ſubordinati, & ſuperiores ſint conditi ad inferiores illuminandos perficiendoſque, divinæ ſapientiæ & providentiæ erat, ut illi potioribus gratiæ donis excellerent.

Q. 30. *Angeli fuerunt ne beati à primo inſtanti ſuæ conditionis?*

R. Minimè, aliàs fuiſſent impeccabiles. *Saluberrimè confitemur*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. de cor. & grat. cap. 10. *Deum...ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in eâ priùs oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium. Denique Angeli quidam, quorum Princeps eſt qui dicitur*

Diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ effecti ſunt. Refugientes tamen ejus bonitatem, quâ beati fuerunt (Beatitudine inchoatâ) *non potuerunt effugere judicium, per quod miſerrimi effecti ſunt.*

Ergo dæmones mali ſunt, non naturâ, ſed propriâ voluntate. Et ita definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, his verbis, *Diabolus, & alii dæmones à Deo quidem naturâ creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali.*

Q. 4°. *Poſſibilis-ne eſt creatura tam perfecta, ut naturâ ſuâ ſit abſolutè impeccabilis?*

R. Minimè, probaturque ex ſanctis Patribus. S. Hieronymus epiſt. 146. ad Damaſum, ponderans illud Pſalmi 142. *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, ſic ſcribit: *Non dicit, omnis homo, ſed omnis vivens, id eſt, non Evangeliſta, non Apoſtolus, non Propheta; ad majora conſcendo, non Angeli, non Throni, non Dominationes, ceteræque Virtutes: ſolus Deus eſt, in quem peccatum non cadit, cetera, cùm ſint liberi arbitrii, in utramque partem ſuam flectere poſſunt voluntatem.* Sanctus Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 23. id colligit ex his verbis Luc. 18. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*, & cap. 12. *cuicunque*, inquit, *creaturæ rationali præſtatur, ut peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed gratiæ:* S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 27. ait: *Natura Angelica, etiamſi contemplationi auctoris ſui inhærendo, in ſtatu ſuo immobiliter permanet, eo tamen ipſo, quo creatura eſt, in ſemetipsâ viciſſitudinem mutabilitatis habet.*

Q. 5°. *Quandiu Angeli fuerunt in ſtatu viæ?*

R. Communior eſt ſententia, primo creationis die alios cecidiſſe, alios qui perſeverarunt beatitudine fuiſſe donatos, & ita omnes terminum attigiſſe, atque in iis fuiſſe impletum, ſaltem in ſenſu myſtico, quod legitur cap. 1.

Gen. *diviſit lucem à tenebris.* Ita ſanctus Auguſtinus, & alii plures.

Q. 6°. *Angeli ceciderunt-ne in magno numero?*

R. Communis eſt Patrum & Theologorum ſententia, Angelos cecidiſſe in magno numero, minori tamen, quàm eorum qui ſteterunt.

Q. 7°. *Ceciderunt-ne ex omnibus ordinibus?*

R. Nonnulli, ut S. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 4. volunt Angelos ex infimo tantùm ordine cecidiſſe, & Luciferum fuiſſe primum illius ordinis, vel potiùs ex primo ordine tertiæ Hierarchiæ. Sed communior ſententia eſt, Luciferum ex ordine Seraphinorum cecidiſſe, nec Angelum ſe ſuperiorem habuiſſe, Angeloſque, ſaltem ex pluribus, ſi non ex ſingulis ordinibus ei adhæſiſſe.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Matth. 25. *Diſcedite... maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Luc. 11. Beelzebub vocatur Princeps Dæmoniorum. Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs Principes & Poteſtates...contra ſpiritualia nequitiæ.*

Probatur 2°. ex Patribus. Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 10. vocat Luciferum eminentiſſimum Angelorum, & ſapientiſſimum. Sanctus Chryſoſtomus hom. de Adam & Evâ, dicit illum fuiſſe primum, & de culmine Angelico præcipitatum. S. Auguſtinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 26. rejicit priorem ſententiam, & huic poſteriori adhæret. S. Gregorius lib. 23. Mor. cap. 18. per Behemoth, qui dicitur principium viarum Domini, Luciferum intelligit, *hunc primum condidit, quia reliquis Angelis eminentiorem fecit.* Sanctus Hieronymus lib. 2. contra Jovin. Luciferum appellat altiſſimam ſublimitatem.

Objicit ſibi ſanctus Thomas qu. 63. art 7. Ezech. cap. 28. ubi Lucifer dicitur Cherubim. Ergo non fuit ex ordine Seraphinorum.

Reſpondet Luciferum non retinuiſſe nomen Seraphim, quo ſignificatur ardor charitatis, quæ cum peccato mortali non conſiſtit; propter eamdem rationem Dæmones non nominantur Throni, in quibus Deus ſedet; neque Dominationes, quæ quandam excellentiam denotant Dæmonibus non tribuendam.

Q. 8°. *Lucifer fuit-ne aliis Angelis cauſa ruinæ?*

R. Affirmant communiter Patres & Theologi, nonnullis exceptis, colliguntque ex Matth. c. 25. ubi dicitur ignis paratus Diabolo, & Angelis ejus: quæ verba innuunt Luciferum fuiſſe auctorem defectionis Angelicæ.

Dices 1°. Lucifer abſque morâ pœnam tulit peccati, quæ alios deterrere debuit; ergo omnes ſimul peccarunt, nec alius aliis fuit peccati auctor.

Nego ſecundam partem conſequentiæ, cùm enim Angelus ſine morâ alterius cogitationem percipiat, omnes eodem tempore peccare potuerunt, Lucifer tamen naturâ priùs.

Dices 2°. omnes Angeli ex dicendis per ſuperbiam ceciderunt; atqui ſuperbiæ repugnat, quòd Angeli maluerint ſubdi Lucifero, quàm Deo: Ergo.

Reſpondet ſanctus Thomas qu. 63. att. 8. ad 1. diſtinguendo minorem; ſi non ſperaverint ſe ſub Lucifero conſecuturos quod inordinatè appetebant, Concedit: ſecus, Negat. Namque in politicis cives perduelles unum inter ſe eligunt in ducem, cui lubentiùs parent, quàm ſupremo Principi.

Q. 9°. *Lucifer deputat-ne ſingulis hominibus Angelum malum?*

Sic docuit Magiſter Sententiarum in 2. diſt. 6. & poſt eum Sanctus Thomas qu. 114. art. 1. Cùm enim Lucifer per ſuperbiam ambiat Dei ſimilitudinem, deputat ſibi miniſtros determinatos ad hominum impugnationem. *Omnibus*, inquit Tertullianus lib. de anima cap. 39. *genii deputantur, quod Dæmonum nomen eſt.* Ordo tamen impugnationis non eſt à Dæmone, ſed à Deo, qui novit malis ordinatè uti ad bonum.

Q. 10°. *Quod-nam fuit peccatum Luciferi?*

R. Certum eſt fuiſſe ſuperbiam, colliguntque Patres communiter ex cap. 14. Iſaïæ, ubi Propheta ſub parabolâ Nabuchodonoſoris ſic loquitur, *quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?... qui dicebas... in cœlum conſcendam... ſimilis ero Altiſſimo. Sive in lapſu Diaboli*, inquit ſanctus Ambroſius lib. 4. epiſtolarum epiſtola 33. *ſive in prævaricatione hominis, initium peccati ſuperbia eſt.* Et ſanctus Auguſtinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 4. ait, *hinc Diabolus cecidit, qui non amavit pecuniam, ſed propriam poteſtatem.* Et cap. 3. lib. 14. de Civ. Dei, *Diabolus non eſt fornicator, aut ebrioſus, neque aliquid hujuſmodi. Eſt tamen ſuperbus & invidus.* Spiritus enim peccare non poteſt, niſi inordinatè appetendo propriam excellentiam, & conſequenter invidendo aliis, qui ſibi præponuntur. Non afficiuntur ergo Dæmones obſcœnitatibus carnalium peccatorum, ut loquitur Sanctus Doctor citato cap. ſed ex invidiâ delectantur, ſi in iis volutentur homines.

Q. 11. *Quod-nam fuit illud ſuperbiæ peccatum?*

R. Primò, non fuit nimia ſui complacentia, namque ex laudatis Iſaïæ verbis peccavit appetendo quod non erat, *ſimilis ero Altiſſimo.*

Secundò, neque fuit appetitus aliis dominandi; quia ex dictis Luciferi peccatum inferiores traxit in ruinam, hujuſmodi autem ambitio

illos abalienaſſet, nedum attraxiſſet.

Tertiò, non peccavit Lucifer appetendo æqualitatem cum Deo; quia talis appetitus, utpote rei evidenter impoſſiblis, in hominem, niſi amens ſit, nedum in Angelum, cadere nequit.

Quartò, neque peccavit Lucifer ambiendo unionem hypoſtaticam, quâ à dextris Dei ſederet, nec conſequenter invidendo naturæ humanæ tantam excellentiam; quia unio hypoſtatica, utpote ſupernaturalis, naturaliter non cognoſcitur ab Angelo, nec ſine Dei revelatione apprehendi poteſt tanquam poſſibilis. Ex eo autem colligitur Incarnationem Lucifero non fuiſſe revelatam, quòd Incarnatio peccatum Luciferi præſupponat, juxta illud Joan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei ut diſſolvat opera Diaboli.*

Quintò, probabilior eſt ſententia ſancti Thomæ qu. 63. art. 3. & in Scholis communior, in eo ſuperbum fuiſſe Luciferum, quod inordinatè, hoc eſt, propriis viribus voluerit acquirere ſuam beatitudinem, in quâ ſeipſo frueretur, tanquam ſibi ſufficiens, & eatenus ſimilis Altiſſimo; ſolus enim Deus ſibi eſt beatitudo.

Probatur ex ſanctis Patribus, Ambroſio in Pſal. 118. *ipſe ſibi ad beatam vitam ſufficere voluit.* Auguſtino lib. 18. de Civ. cap. 1. *ſe ſibi ſufficere judicavit.* Sancto Bernardo Serm. 3. de verbis Iſaïæ, *ſeipſo voluit eſſe contentus.*

CAPUT VIII.

Quæ pœna conſecuta eſt peccatum Angelorum?

R. Quadruplex : 1°. cæcitas mentis, propter quam Dæmones ſimpliciter dicuntur tenebræ, Luc. 22. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Epheſ. 6. *Mundi rectores tenebrarum harum.* 2°. obſtinatio voluntatis in malo, à quâ denominantur ſpiritus mali, ſpiritus nequam. 1. Reg. 16. *Spiritus Domini malus arripiebat Saül*, Pſal. 77. *Immiſſiones per Angelos malos.* 3°. excluſio à gloriâ. 4°. tormentum ignis, Matth. 25. *diſcedite... maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* In quibus verbis intelligitur etiam excluſio à gloriâ.

Q. 2°. *Quæ & quanta eſt Dæmonum cæcitas?*

R. Carent omni prorſus lumine ſupernaturali, non verò naturali. Ita ſanctus Bernardus epiſtolâ 77. ad Hugonem, *Reprobi Spiritus*, inquit : *etſi deſtituti ſunt participatione gratiæ ſpiritualis, non tamen vivacitate induſtriæ naturalis.*

Prima pars probatur; quia lumen gratiæ eſt ordinatio quædam ad vitam æternam : atqui Dæmonum ſtatus nullum habet ordinem ad vitam æternam : Ergo nullum gratiæ lumen in ipſis remanet.

Dices : Jacobi 2. Dæmones credunt, comparanturque peccatoribus, in quibus remanet lumen fidei ; Ergo.

Diſtinguo anteced. credunt fide naturali, & latiùs ſumptâ pro perſuaſione ex effectibus, Prophetiis adimpletis, & miraculis editis in confir-

marionem myſteriorum Religionis Chriſtianæ, Concedo: credunt fide divinâ & ſupernaturali, Nego anteced. Textus igitur Apoſtoli ſolùm probat lumen naturale in Dæmonibus non fuiſſe extinctum, imò minùs obnubilatum, quàm in peccatoribus, hi ſiquidem nonnunquam ita Deum obliviſcuntur, ut abſque timore mala perpetrent: contrà verò illi Deum in effectis & in propriis pœnis præſentem & operantem continuò percipientes ſub omnipotenti manu ejus contremiſcunt, non ad ſapientiam; cùm charitate, ex quâ procedit, careant; ſed ad inſipientiam, & majoris odii incitamentum.

Inſtabis: fidem non amittunt peccatores, niſi peccato infidelitatis: atqui Dæmones non peccarunt peccato infidelitatis: ergo fidem non amiſerunt.

Diſtinguo maj. fidem non amittunt, quandiu ſunt in viâ. Concedo: quando ad terminum pervenerunt, Nego majorem. Equidem Deus, durante ſtatu viæ, in peccatoribus fidem conſervat, niſi per actum contrarium eam repulerint, quia benignitas ejus ad pœnitentiam illos adducit, Rom. 2. ad quam fides imprimis neceſſaria eſt. Sed in ipſo mortis inſtanti, ubi in termino conſtituuntur, abſque ullâ ſpe veniæ ſpoliantur omnibus gratiæ donis, Deo ſuſpendente concurſum. Porrò hoc in Angelis eſt caſus, quod in hominibus mors, ex ſancto Joanne Damaſceno lib. 2. ortodoxæ fidei cap. 4.

Secunda pars, nempe Dæmones non amiſiſſe lumen naturale, ſequitur ex dictis, ulteriuſque probatur; quia peccatum nec deſtruxit, nec immutavit eſſentialiter naturam Angelicam, ſed tantùm accidentaliter: atqui Spiritus, qualis eſt natura Angelica, eſſentialiter eſt intellectivus, & eo magis, quo eſt perfectior: ergo in Dæmonibus

nibus dona naturalia integra & ſplendidiſſima manent, ait Auctor libri de divinis nominibus capite 4.

Nihilominus Dæmones, propter inordinationem voluntatis circa ultimum finem peſſimè affectæ, nunquam rectâ intentione operantur, ac proinde judicium eorum practicum, quo judicant ita ſibi agendum, ſemper eſt falſum, ſicque celebre illud effatum, *omnis peccans eſt ignorans, & errans*, non minùs in ipſos cadit, quàm in ceteros peccatores. Præterea ubi veritas non apparet, non ſemper ſuſpendunt judicium, ſicut viri juſti ut plurimùm, & ſemper Angeli beati: ſed ex levibus conjecturis temerè judicant, & ita falluntur & fallunt.

Q. 3°. *Tantane eſt in Dæmonibus obſtinatio, ut nunquam benè operentur?*

R. Affirmant omnes Theologi, paucis exceptis.

Probatur tum ex Scripturâ, Joan. 9. *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Pſalm. 6. *Non eſt in morte qui memor ſit tui.* Tum ex ſanctis Patribus. Sancto Ignatio ad Philip. *Sapiens eſt* (Dæmon) *ad malè faciendum, bonum autem, quid ſit, ignorat.* Sancto Fulgentio lib. de Fide cap. 3. *In quo* (igne) *omnes illi prævaricatores Angeli nec malâ unquam poſſunt voluntate carere, nec pœnâ.*

Q. 4. *Quænam eſt cauſa tantæ obſtinationis in Dæmonibus?*

R. 1°. Non una eſt in Scholis opinio. Alii volunt ideo Dæmones non poſſe benè operari; quia Deus eis denegat concurſum. Sed repugnare videtur divinæ bonitati & ſapientiæ, quòd concurſum præbeat, ubi creatura malè operatura eſt, neget vero ubi bene. Alii hanc obſtinationem repetunt ex naturâ Angelicâ, quæ immobiliter adhæret objecto quod ſemel elegerit. Ita

ſanctus Thomas. Sed illa ratio plenè non ſatiſfacit : tum quia nihil concludit reſpectu hominum damnatorum , qui non ſunt minùs obſtinati in malo, quàm Dæmones : tum quia ex dictis peccarunt Angeli ex defectu attentionis ad ea , quæ ab agendo illos deterruiſſent : ergo cùm poſt factum cuncta accuratiùs perpenderint , tum facilè conſilium mutare potuerunt.

R. 2o. Veriſimilius eſt obſtinationem in omnibus damnatis , ſive Angelis , ſive hominibus , oriri ex graviſſimâ & continuâ tentatione , nempe ex acerbiſſimâ triſtitia ob amiſſam beatitudinem , ex acutiſſimis conſcientiæ ſtimulis , quibus ſemper lacerantur , juxta illud Marci 9. *Vermis eorum non moritur* , ex intolerando ignis tormento : denique ex deſperatione veluti rabida, quòd tot & tanti cruciatus longè acerbiſſimi nullum finem habituri ſint , ex quibus reprobi ſic in odium Dei commoventur , ut voluntas eorum malè affecta , & omni gratiæ auxilio deſtituta neceſſitate quâdam , ſemper ad peccatum determinetur.

Sed quæſtio eſt , utrùm illa neceſſitas ſit phyſica & abſoluta , an moralis duntaxat. Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 3. & 5. & Janſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 24. & 25. & l. 3. de gr. ſalv. cap. 5. affirmant neceſſitatem malè agendi , & impotentiam benè agendi in damnatis eſſe æquè abſolutam & ſimpliciter dictam , ac neceſſitatem amandi Deum & impotentiam peccandi in Beatis. Hunc errorem amplecti non erubuit Delator in 1o. ſuo libello famoſo pag. 50. ubi me fœdè proſcendit quòd in 1a. operis mei editione adversùs Calvinum & Janſenium aſſeruerim , ſicut hîc aſſero cum Catholicis ejuſmodi neceſſitatem & impotentiam damnatorum eſſe moralem duntaxat ; nullus crederet

eum, qui ſe Antijanſenianum profitetur, erroris Janſeniani patrocinium ſuſcipere adverſùs Theologos Catholicos, niſi ipſiſſima ejus verba referrem, *Peut-on n'être pas allarmé*, inquit, *quand on ſçait qu'il donne* (de me loquitur) *le nom radouci de neceſſité morale à la plus effroyable de toutes les neceſſitez qui peuvent tomber ſur la volonté, ſçavoir à celle qui accable les damnez dans les enfers?* Sed omnes Theologi adverſùs hujuſmodi declamatorem conſpirant.

Bellarminus lib. 5. de lib. arbit. cap. 14. hanc Calvini objectionem, *Diabolus neceſſariò ſemper malè agit, & tamen verè peccat*, ſic ſolvit, *reſpondet tam Angelos Sanctos quàm malos Dæmones reſpectu finis ultimi non habere liberum arbitrium à neceſſitate; ſed ſolùm à coactione: tamen reſpectu mediorum liberum arbitrium etiam à neceſſitate habere... & ideo* NON NECESSITATE, *ſed voluntate peccata committunt.*

M. Grandin Tract. de grat. pag. 61. ſic ſcribit: *Dæmones & animæ damnatæ vires quidem phyſicas habent ad bonum opus (cùm ſit inter illud & eorum voluntates proportio) non morales propter obſtinationem*, &c. Mirum quod Delator iſta ignoraverit, cùm opus illud Theologicum Pariſiis omnium teratur manibus & valdè commendatum ſit à Patribus Societatis in Diario Trevoltienſi. Sed præ cæteris Theologis audiendi ſunt ejuſdem Societatis Theologi, utpote qui pro libero arbitrio adverſùs Calvinum & Janſenium acriùs pugnaverint.

Suareſius lib. 8. de Angelis cap. 8. 9. 10. & 11. innumeros ex veteribus laudat Theologos qui adverſùs errorem Calvini docent damnatos peccare neceſſitate duntaxat morali, quibus adſtipulatur cap. 11. num. 22. & 23. his verbis, *Reſpondeo concedendo iſtam impoſſibilitatem non eſſe per caren-*

tiam phyſicæ potentiæ activæ ex parte voluntatis Dæmonis... Dico tamen hanc moralem impoſſibilitatem ſufficere ad obſtinationem ſimpliciter; quia tanta eſt ut infallibiliter nunquam, nec etiam rarò contingat oppoſitum, id eſt, ut damnatus ſimpliciter bene operetur. Quòd enim moralis impoſſibilitas tanta eſſe poſſit, exemplis demonſtratur ex materiâ de gratiâ ſumptis. Homo enim lapſus, & ſpeciali privilegio gratiæ carens, non poteſt dici omnia venialia peccata vitare, quæ impotentia, non phyſica, ſed moralis eſt, quoniam ad SINGULOS ACTUS *potentia phyſica non deeſt. Et nihilominus tanta eſt illa impotentia moralis, ut nunquam oppoſitum evenire contingat. Et ſimili modo non poteſt homo lapſus ſolis viribus liberi arbitrii graviſſimam tentationem vincere, quæ impotentia moralis eſt, & nihilominus tanta eſt naturæ fragilitas, ut nunquam contraria potentia phyſica effectum ſuum conſequatur.*

Vaſqueſius inter Theologos Societatis Jeſu celeberrimus in 1. part. S. Thomæ qu. 64. diſput. 241. cap. 4. num. 17. poſtquam docuit dæmones ideo non poſſe bene operari, quia carent gratiâ congruâ & efficaci, ſine quâ nullus bene operatur, ſibi objicit inde ſequi eandem fore impotentiam reproborum, imò etiam prædeſtinatorum qui in hâc vitâ tentatione vincuntur, quando non adeſt gratia congrua & efficax: hanc difficultatem ſic ſolvit, *Reſpondeo dæmones differre à reprobis & prædeſtinatis qui vincuntur tentatione in hâc vitâ, non ex parte impoſſibilitatis* QUÆ EADEM EST IN UTRISQUE, *ſed quia dæmonibus poſt primum inſtans ita denegatur congrua cogitatio, ut lege Dei jam manifeſtâ eis denegetur, & ita nulla ipſis ſuperſit nec poſſit ſpes ſupereſſe* (unde naſcitur deſperatio omnium tentationum graviſſima,) *reprobis autem & prædeſtinatis qui in hâc vita tentatione vincuntur, non denegatur congrua vocatio ex lege Dei manifeſtâ, & ita nulli adimitur ſpes ſalutis, & con-*

gratiæ vocationis. Quis alicujus nominis Theologus Vaſqueſii ſcripta non evolvit?

Hanc ſententiam Patres Societatis Romæ publicè propugnarunt reſpondente Marchione Sfortiâ Palavicino anno 1628. *pariter mali Angeli poſſunt nunc phyſicè, non autem moraliter à peccato abſtinere; quia non ſunt ad illud prædeterminati: at boni Angeli redduntur etiam phyſicè impeccabiles à viſione beatificâ.* Extracta ſunt hæc ex libro Romæ impreſſo & Urbano octavo nuncupato num. 33. lib. 1. & lib. 4. num. 37. *nec impotentia moralis excludit rationem mortalis culpæ, ut patet ex damnatis.*

Tannerus diſput. 5. de Angelis qu. 6. dub. 5. num. 22. *non poſſunt Dæmones*, inquit, *moraliter loquendo bonum operari, ut habet prima ſententia, ad eum modum & majore etiam ratione, quâ aſſuetus diu immerſuſque vitio ... moraliter cenſetur à peccato ſe non poſſe continere ... nec homo juſtus perpetuò omni peccato veniali carere. Quæ omnipotentia non tollit libertatem, & facultatem phyſicam non committendi hoc vel illud peccatum. Præter quàm quod Dæmones ex actibus malis poſſint modò hos, modò alios exercere, liberi proinde non ſolùm quoad exercitium, ſed in pleriſque etiam quoad* SPECIFICATIONEM... *poſſunt abſolutè & phyſicè loquendo potentiâ nunquam in actum redigendâ bonum aliquod opus facere, cùm nullum in illis principium ad ejuſmodi potentiam requiſitum deſit.*

Petavius lib. 5. Theolog. dogm. c. 10. num. 11. de obduratis ſic habet, *nec excuſſa illis eſt penitus arbitrii libertas, nec alia eſt iſta quàm moralis neceſſitas, cui licèt abſolutè reluctari poſſint, &* IN CONTRARIUM NITI, *ſi velint, non tamen hoc facturi ſunt. Quod in* DÆMONIBUS *ac damnatis multò evenit magis, qui & liberè peccant, ut quæ faciunt, poſſint non facere; nec tamen facturi non ſunt, nec uſuri liberæ poteſtatis arbitrio.*

P. Deſchamps lib. de hæreſ. Janſen. diſput.

4. cap. 7. *ſi odium Dei excipias*, inquit, *quod veteres quidam Theologi, in damnatis omnibus neceſſarium eſſe arbitrantur, quodque proinde peccatum eſſe negant; communis eſt Theologorum opinio alia peccata omnia ſic à damnatis committi, ut poſſint non committi.*

P. Perrin paulo poſt evulgatum famoſum Delatoris libellum, edidit Manuale Theologicum, quod muliercularum, & idiotarum animos inſectationibus Delatoris perturbatos compeſcuit, quippe qui deprehenderint Delatorem more agricolarum ſpectra, & evanidas umbras proferre, ut à lectione operis mei Theologici deterreat. Sic enim ſcribit Theologus ille Societatis, & emeritus Theolog. profeſſ. tract. de Angel. p. 61. 1. edit. *Dæmones ita ſunt obſtinati in malo, ut quamvis phyſicè poſſint exercere actus bonos, & ex nullâ circumſtantiâ minus conformes rationi, moraliter non poſſint... attamen cum illâ impotentiâ morali ſtat illos non neceſſitari abſolutè ad peccandum, ut placet Calvino, & Janſenio, qui exemplo damnatorum conantur probare neceſſitatem poſſe conjungi cum libertate.*

Quid ad hoc adverſarius? 1°. videtur anceps conſilii; in 2â. enim editione ſui libelli ſcribit Suareſium eſſe dimittendum utpote omnibus Theologis adverſum: at in 3â. editione eundem Theologum ſibi vindicare conatur. 2°. ad aliam excurrit quæſtionem, num ſcilicet damnati cum illâ morali neceſſitate peccent liberè, nihilque illis deſit ad meritum niſi ſtatus viæ. Illud autem pernegat, ac confidenter pronuntiat hanc eſſe conſtantem doctrinam omnium Theologorum; ſed in eo ſuam inſcitiam prodit. Namque Alexander Halenſis, quo Magiſtro uſus eſt ſanctus Thomas, & nonnulli alii, ut Richardus à Mediâ-villâ, docent damnatos peccatis ſuis mereri novas pœnas. At communis eſt à quin-

gentis annis ſcholarum opinio eos non mereri, non quidem ex defectu libertatis, ſed alterius conditionis ad meritum requiſitæ, quæ eſt ſtatus viæ.

Magiſter ſententiarum lib. 4. diſt. 5. de damnatis ſic ſcribit, *maligna voluntas erit in eis ad cumulum pœnæ, per quam tamen non merebuntur; quia nullus meretur niſi in hâc viâ.*

S. Thomas in eandem diſt. qu. 2. art. 1. qu. 4. in corpore *quidam dicunt*, inquit, *& beatos mereri, & damnatos demereri; ſed hoc non poteſt eſſe reſpectu præmii vel pœnæ principalis, cùm quantùm ad hoc utrique ad terminum pervenerint.* Non negat Angelicus Doctor damnatos mereri pœnas accidentales. Sanctus Bonaventura ſimilia docet in eandem diſt.

Bellarminus lib. 5. jam laudato de grat. & lib. arb. ſic habet de damnatis, *Reſpondeo.... liberum arbitrium etiam à neceſſitate habere... & verè peccare... quamvis nec pœna nec præmium eſſentiale creſcere poſſit, cùm ſint in termino.*

Suareſius lib. 8. de Angelis cap. 11. num. 26. ſibi ita objicit, *ſi Dæmones ſemper malè operantur & liberè; ergo ſemper augmentum pœnæ merentur:* tum reſpondet cum Bellarmino damnatos per opera quæ extra viam faciunt non mereri, quia jam ſunt in termino, & mereri aut demereri (Deo ita ordinante) ſunt proprietas operum quæ fiunt in viâ.

Tannetus diſput 5. de Angelis qu. 6. dub. 5. num. 24. *Reſpondetur*, inquit, *etiamſi continuò peccent Dæmones, nihil tamen amplius promereri... ita tenet communior opinio apud Vaſquès... ratio eſt; quia ratio meriti ſeu demeriti conſequitur bonitatem, & malitiam operis, non abſolutè, ſed in viâ & in agone.*

Ignorantiæ, quâ hîc laborat Delator, addit crimen calumniæ; ſcribit enim pag. 51. primi

ſui libelli, me docere homines in terris agentes tantâ premi neceſſitate, quantâ damnati apud inferos, verba illius ſunt, *En verité peut-on permettre que M. Habert enſeigne que la grace ou la concupiſcence nous détermine tour à tour en cette vie, avec la même neceſſité qui détermine ſans ceſſe les damnez au mal dans les enfers;* Auctor Epiſtolarum de hæreſibus 17 ſæculi Epiſt. 5. pag. 41. tantam calumniam fulcire conatur auctoritate Suareſii, cujus hæc verba profert, *obſtinationem Dæmonum non eſſe majorem quàm ſit obduratio in multis viatoribus admitti non poteſt*, quod me admiſiſſe contendit.

Lectores habent præ oculis quod ſcripſi de damnatis: dicant ergo an legant parem eſſe obdurationem, & malè agendi neceſſitatem in hominibus viatoribus ac in damnatis. Sed cùm Delator, & prædictus Auctor in mente meâ voluerint perſpicere quod non reperiunt in meis ſcriptis, confutavi tam execrandum errorem primò in meâ defenſione adversùs Delatorem pag. 119. ſecundò in reſponſo ad quartam dicti Auctoris Epiſtolam pag. 452. demùm in tractatu de gratiâ ſecundæ & tertiæ edit. cap. 7. parag. 2. in ſolutione objectionum. Vident igitur Lectores quæ fides ſit habenda his mendaciorum concinnatoribus, quibus incautè deceptus eſt auctor mandati Vapincenſis, quod prodiit anno 1711. paulò poſt divulgatum famoſum Delatoris libellum. Sed Eminentiſſimus Cardinalis *de Noailles*, Pariſienſis Archiepiſcopus ſtatim interdixit in ſuâ Diœceſi lectionem hujuſce Mandati, quod fidelibus erat offenſioni, quodque confutavi ad calcem mei reſponſi quantùm ad errores quos falsò mihi imputat.

Q. 5°. *Dæmones torquentur-ne igne corporeo & ſenſibili?*

R. Negavit Philo lib. de Congreſſu eruditionis, ubi definit ignem inferni nihil aliud eſſe quàm vermem conſcientiæ. Hunc errorem ſanctus Hieronymus epiſt. 59. tribuit Origeni, & multis Novatoribus Jodocus Coccius lib. 1. Theſauri c. 7. Imò è Catholicis Catharinus lib. de præmio bonorum & ſupplicio malorum, contendit Scripturam intelligendam eſſe de igne metaphorico, ſicut de verme Marci 9. & de aquis nivium Job 24. quæ propter nativum frigus ſtridorem dentium excitent Matth. 8. Sanctus Ambroſius in cap. 4 Lucæ, & S. Gregorius lib. 15. Mor. cap. 19. ſcribunt ignem tartareum eſſe incorporeum, & ſanctus Auguſtinus lib. 21. de Civ. cap. 10. ait, flammam, quâ cruciabatur Epulo, talem eſſe, quales oculi, lingua, & digitus in animâ ſine corpore. Et lib. 20. cap. 16. *Cujuſmodi*, inquit, *ille ignis ſit*, *ſcire arbitror neminem*. Nihilominus.

R. Communis ſententia Catholicorum aſſerit dæmones torqueri igne propriè dicto.

Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ quoties ſermo eſt de pœnis inferni, toties meminit ignis, rarò vermium; ac proinde, quamvis vox illa, *vermis*, ad metaphoram trahatur, ignis non poteſt ſumi niſi in propriâ ſignificatione; namque metaphora continua non eſt apud unum & eundem Scriptorem, nedum apud diverſos, qui diverſis temporibus ſcripsêre, quemadmodum ſacri Scriptores, qui conſtanter ignem æternum juſtam peccatorum pœnam referunt. Deuter. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima.* Eccli. 7. *Vindicta carnis impii ignis & vermis.* Et cap. 21. *Conſummatio illorum flamma ignis.* Iſaïæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?... cum ardoribus ſempiternis?* Matth. 3. *omnis.... arbor, quæ non facit fructum bonum*,

xcidetur, & in ignem mittetur. Marci. 9. *Ignis non xtinguitur*, Apoc. 21. Infernus deſcribitur tanquam ſtagnum ignis. Theſſal. cap. 1. *In flammâ ignis dantis vindictam.* Petri 3. *Igni reſervati in die Judicii, & perditionis impiorum hominum.* Judæ verſ. 7. *Ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* His omnibus præponderat ſententia ſupremi Judicis, Matth. 25. *Diſcedite.... maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo.* Quis enim credet Judicem contra reum decernentem metaphoricè loqui.

Probatur 2°. ex ſanctis Patribus. Sanctus Juſtinus Apol. 2. conceptis verbis aſſerit ignem æternum peccatoribus eſſe paratum. S. Hieronymus epiſt. 59. ſupra laudatâ arguit Origenem, quòd ignem tartareum ad metaphoram tranſtulerit. S. Ambroſius in Pſal. 118. octonario 12. exhibet confeſſorem in tormentis, *cogitantem illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum.* Incorporeum quidem vocat in cap. 14. Lucæ, ſicut & ſanctus Gregorius cap. 17. lib. 15. Moral. tum quia pabulo non indiget: tum quia non virtute corporeâ, ſed fortè ſpirituali torquet ſpiritus; nam lib. 4. Dial. c. 29. idem ſanctus Gregorius ſic de igne tartareo affirmat, *corporeum eſſe non ambigo.* Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Civit. cap. 10. *adhærebunt*, inquit, *ſpiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.* At quomodo? Reſpondet ibidem, *quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affligi.* Utrùm autem ſit ejuſdem ſpeciei cum noſtro, docet citato lib. 20. de Civ. neminem id ſcire poſſe. Et lib. 21. ſupra laudato, vult ſolùm quæ de Lazaro & Epulone referuntur, parabolicè eſſe dicta, cùm animæ ſeparatæ neque oculos, neque linguam, neque digitos habeant. Ergo Patres de veritate ignis

tartarei non dubitarunt, ſed de ejus naturâ & modo, quo cruciat ſpiritus. Excipiendus tamen videtur Tertullianus, qui Apolog. cap. 48. ſic ſcribit; *neque pati quidquam poteſt anima ſola ſine ſtabili materiâ, id eſt carne.* Hunc tamen errorem aliquatenùs retractat cap. 58. lib. de animâ, ubi ſeparatim puniri aſſerit; an autem pœnâ ignis, non definit.

De verme, utrùm propriè, an metaphoricè ſit accipiendus, oppoſitæ ſunt ſententiæ; ſed probabilis non videtur affirmans aquas nivium cum igne conſervari: quæ enim proferuntur ex cap. 24. Job. intelligenda ſunt de pœnis præſentis vitæ, ut legenti patebit. Frigus ergo damnatos crucians propriè eſt triſtitia, cujus nimia acerbitas ſtridore dentium denotatur.

Q. 60. *Quomodo ignis corporeus torquet malos ſpiritus?*

R. Certum eſt ignem ratione caloris nativi, quantumcunque intenſi, non poſſe torquere ſpiritus: quia calor nimius eatenus eſt noxius corporibus noſtris, quatenùs eorum temperiem corrumpit, & partium juncturas & vincula, quibus inter ſe connectuntur, diſſolvit, quod in ſubſtantiam ſpiritualem, utpote ſimplicem non cadit, ac proinde calor licèt vehementiſſimus dolorem ſpiritui directè inferre nequit. Et hoc verum eſt etiam in opinionem eorum, qui dicunt ineſſe in ſubſtantiâ ſpiritali potentiam obedientialem ad recipiendam qualitatem corpoream, v. g. frigus aut calorem. Difficultas ergo maxima eſt, quâ ratione ignis cruciet dæmones. Reſpondet ſanctus Auguſtinus, epiſtolâ 1. *Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe.* Et lib. 21. de Civ. cap. 10. ait, *quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affligi.*

Sed cùm Theologorum ſit explanare, quod videri poſſet impoſſibile & repugnans in fidei dogmatibus, varios modos excogitarunt, quibus poſſibile oſtenditur ſpiritum torqueri igne corporeo.

Nonnulli dicunt ignem corporeum cruciare Dæmones per ſpeciem eorum intellectui impreſſam, per quam illum apprehendunt, ut ſibi diſſentaneum eo modo, quo phantaſmata rerum terribilium ſomniantes exagitant; *non in ſomniis*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 12. de Geneſ. ad litt. capite 32. *magni intereſt, utrùm in lætis, vel in triſtibus ſimus; quamvis imaginaria ſint pericula, & cetera mala, quorum ſpecies gerimus, tamen vera, realia ſunt tormenta, quæ ex iis imaginibus patimur. Dubitandùm autem non eſt, quòd expreſſiora ſint illa, quæ inferna dicuntur, atque ob hoc vehementiùs ſentiuntur.* Hanc ſententiam videtur amplecti S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 29. ubi ſic habet, *ignem namque eo ipſo patitur* (ſpiritus) *quòd videt; & quia cremari ſe aſpicit, crematur.*

Equidem poſſibilis eſt ille cruciandi modus, ſed non videtur ad Scripturæ ſenſum, quæ vocat ignem devorantem, comburentem; namque cùm ignis non ſit magis contrarius ſpiritibus quàm aër, aqua & alia corpora, idea ſeu apprehenſio ejus non per ſe ſed divinâ virtute Dæmones torqueret, ac proinde ignis ad illam pœnam non concurreret. Hanc quidem opinionem proponit ſanctus Auguſtinus, ſed non approbat. Sanctus vero Gregorius vult ſolùm ſpiritus intellectu percipere ignem, non verò ſenſu, qui in ipſis non ineſt, ſicut in omnibus: ſed non explicat, quo modo fiat ſpiritalis illa perceptio. Addit tamen, *colligendum ex Evangelicis dictis, quòd incendium non ſolùm anima videndo, ſed etiam experiendo patiatur.*

Quidam, ut Suareſius, volunt ignem ſupernaturaliter producere qualitatem ſpiritualem, quæ dolorem ſpiritibus inferat, ſicut calor humanis corporibus. Quæ ſententia nec rationi, nec Scripturæ repugnat.

Alii cenſent Dæmones igne torqueri, quòd ipſi alligentur non quidem ſimpliciter, nam perinde eſt ipſis alligari, vel Soli, vel Lunæ, vel aëri, vel igni; ſed quòd alligentur eo ferè modo, quo anima rationalis ligatur corpori humano, per quam unionem fit ut cum dolore & quidem vehementiſſimo ignem percipiat proprium corpus devorantem. Hanc ſententiam probat ſanctus Auguſtinus lib. 21. de Civitate cap. 10. dummodo non credantur ſpiritus per illam unionem evadere animalia, hoc eſt, fieri unum totum ſubſtantiale ex dæmone & igne, ſicut ex ſpiritu rationali & corpore humano fit unus homo. Atque juxta hunc explicandi modum intelligitur quomodo tenebræ exteriores & locus inferior conferant ad ſpirituum tormentum, utpote quæ ſint accidentia & circumſtantiæ ignis detinentis illos ſibi illigatos.

Tenebras autem exteriores inter reproborum pœnas numerare cogunt Scripturæ, Matth. 8. 22. & 25. Unde ſanctus Gregorius lib. 9. Moral. cap. 38. ait: *Si ignis ille, qui reprobos cruciat, lumen habere potuiſſet, is qui repellitur, nequaquam in tenebras exteriores mitti diceretur.* Enimverò ardori cupiditatis mentem obnubilantis & excæcantis, reſpondet pœnale tormentum ignis ardentis & tenebras offundentis. Attamen ſicut in tenebris denſiſſimis, quas Ægypti patiebantur, ſcintillæ ignis identidem emicantes ſpectra horrore plena ex parte detegebant, Sap. 17. *Sic ignis tartareus*, inquit ſanctus Gregorius loco laudato, *ut magis torqueat, ad aliquid lucet.*

Locum quoque materialem puniendis reprobis eſſe deſtinatum, communis eſt Catholicorum doctrina contra Calvinum lib. 2. Inſtitut. cap. 16. Bucerum in cap. 27. Matth. & Bezam in cap. 2. Act.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Pſal. 93. *habitaſſet in inferno anima mea.* Ibi infernus diſtinguitur à ſepulchro, in quo anima non jacet. Sap. 5. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* Matth. 11. *Et tu Capharnaüm, uſque in infernum deſcendes.* Ergo infernus eſt locus inferior ſuperficie terræ, in quâ ſita erat illa urbs. 2. Petri c. 2. *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Phil. 2. *In nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Apoc. 20. Draco mittitur in abyſſum, ibi clauditur, *ut non ſeducat amplius gentes.* Quod nonnulli intelligunt de Lucifero, non ſolvendo uſque ad tempora Antichriſti.

Probatur 2°. ex Traditione. In Symbolo Apoſtolorum profitemur Chriſtum triduo mortis deſcendiſſe ad infernos; *in inferno ſecundùm animam*, inquit ſanctus Auguſtinus epiſt. 57. *in ſepulchro autem ſecundum carnem.* Et epiſt. 99. *quis ergo niſi infidelis negarit apud inferos fuiſſe Chriſtum?* Denique lib. 2. Retract. cap. 24. expendens quod ſcripſerat lib. 20. de Civ. cap. 16. & lib. 12. de Gen. ad lit. neminem ſcire in quâ mundi parte ſit infernus, ſic retractat: *de inferis mihi videor magis docere debuiſſe, quòd ſub terris ſint.* Tertullianus lib. de animâ cap. 31. ſcribit infernum eſſe in foſſâ terræ, in ipſis viſceribus. Sanctus Chryſoſtomus hom. 31. in epiſt. ad Rom. fabulam dicit illorum opinionem, qui infernum collocant in Valle Joſaphat, quæ vocatur Gehennon, à quo nomine deducitur gehenna;

vultque extra mundum exiſtere, ſcilicet habitabilem, quia in inferioribus partibus terræ, ut ſe explicat hom. 24. in Matthæum. Sanctus Cyrillus Alexandrinus orat. de exitu animæ, docet, animas, quæ cum peccatis exeunt, deduci in terrarum opaca, in infimas infernorum carcerum partes. Eadem tradit ſanctus Joannes Damaſcenus in hiſtoriâ Barlaam. Concilium Florentinum ſeſſ. ultimâ ſic habet: *hoc ſacro univerſali approbante Concilio definimus... illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

Et hæc probant non ſolùm reprobos puniri in loco determinato, ſed illum locum eſſe ſubterraneum. Utrùm autem ſit profundiſſima pars terræ, non ita clarè Scriptura exprimit; ſed probabilior & communior eſt ſententia affirmans.

Dices: conſtans eſt ſanctorum Patrum ſententia, dæmones verſari in hoc caliginoſo aëre; docetque ſanctus Auguſtinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 26. pertinere ad fidem Apoſtolicam; ait enim Apoſtolus Eph. 2. *Aliquando ambulaſtis ſecundùm ſeculum mundi hujus, ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus, ſpiritûs, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Et c. 6. vocat dæmones principes tenebrarum harum, mundi rectores. Unde Auctor Commentariorum in epiſt. ad Epheſ. inter opera ſancti Hieronymi, ſic ſcribit: *hæc omnium Doctorum opinio eſt, quòd aër iſte.... plenus eſt contrariis fortitudinibus.* Similia habet ſanctus Chryſoſtomus homiliâ 4. in eandem epiſtolam. Ergo dæmones in locis ſubterraneis non ſunt recluſi.

Diſtinguo anteced. verſari in aëre ex diſpenſatione divinâ, concedo; quemadmodum enim pater-familias noctu canem laxat ad cuſtodien-

dam domum, & arcendos latrones; ſic Deus è carcere infernali ſolvit dæmones, tum ad excitandam Electorum ſolicitudinem, juxta illud 1. Petri 5. *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*: tum ad puniendam peccatorum ſocordiam, & impietatem: dæmones dicuntur verſari in aëre, tanquam in loco ſuis ſuppliciis deſtinato, Nego anteced. nam de Lucifero legitur ſub parabolâ Regis Babylonis, Iſa. 14. *ad infernum detrahêris in profundum laci*; nec inde exire liberum eſt dæmonibus, niſi à Deo ſolvantur propter rationes mox allatas.

Inſtabis: eſto, fuerint damnati Angeli apoſtatæ ad pœnas infernales, conſtat tamen ex Scripturis hujuſce ſententiæ executionem differri ad diem Judicii; namque Matth. 8. ſic apud Chriſtum conqueruntur: *Quid . . . . veniſti huc ante tempus torquere nos?* 2. Petri 2. v. 4. & Judæ verſ. 6. dicuntur ſub caligine reſervari in Judicium: Ergo.

Diſtinguo anteced. differtur ſententiæ executio quoad nonnullas pœnas accidentales, Concedo: quoad omnes & quidem præcipuas, ac veluti eſſentiales damnatorum ſtatui, Nego anteced. Superbi itaque ſpiritus, ſicut & homines reprobi, jam ignibus æternis traditi reſervantur ad ſolemnem Chriſti victoris triumphum; tanquam rebelles devicti & captivi: futuræ autem huic dæmonum ignominiæ tum præludebat Chriſtus, cùm eos palam è corporibus ejiciebat, & inde torquebantur.

Urgebis: Matth. 25. regnum paratum eſt Electis à conſtitutione mundi, ſicut ignis Diabolo, & Angelis ejus: atqui Electi non poſſederunt regnum à conſtitutione mundi: ergo neque Diabolus paſſus eſt pœnam ignis.

Nego min. namque Angeli, qui ſteterunt ab

initio, donati ſunt beatitudine: ergo & qui cecidere, ſtatim affecti ſunt ſuppliciis. Deinde cœlo per Chriſti mortem reſerato, electi ex hominibus, plenè purgati in illud poſt exitum ſtatim aſſumuntur. Ignis autem potiùs dicitur paratus Diabolo & Angelis ejus, quàm hominibus reprobis: tum quia ante homines peccaverunt, & pro illis primariò accenſus eſt: tum quia Deus omnes homines etiam reatu originis infectos, vult ſalvos fieri, 1. Tim. 2. niſi tantam ſalutem neglexerint ad Dæmonum vota.

Q. 7°. *Dæmones ſunt ne liberi à pœnâ ignis, quandiu in aëre verſantur?*

R. Affirmarunt nonnuli, teſte ſancto Thomâ, qu. 64. art. 4. ad tertium; ſed dubitandum non eſt, quin ubique pœnam ignis ſuſtineant: *rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, ait ſanctus Petrus 2. epiſt. cap. 2. Unde gloſſa in cap. 3. Jac. *Diabolus ubicunque ſit, ſecum fert tormenta ſuarum flammarum.*

Q. 8°. *Quomodo ignis cruciat dæmones in aëre exiſtentes?*

R. Hîc libet repetere verba ſancti Auguſtini, lib. 21. de Civ. cap. 10. id fieri veris quidem, ſed miris & ineffabilibus modis. Alii volunt qualitatem doloriferam igne impreſſam à Deo conſervari: alii ignem ſupernaturaliter agere in diſtans: alii Dæmones torqueri eo ipſo, quo cognoſcunt ſe damnatos ad ignem tartareum, etiamſi actu ei non alligentur. Ita ſanctus Thomas qu. 64. art. 4. ad tertium. Nullatenus verò probabilis eſt ſententia eorum qui docent Dæmones ſecum ignem deferre, tum quia ignis penetrare non poteſt corpora denſiſſima, quæ ſpiritibus malis ſunt pervia: tum quia illo igne cruciarentur, quibus Dæmon eſt intimè præſens.

Q. 9°. *Pœnæ Dæmonum ſunt-ne æternæ?*

Negavit Origenes, ex ſanctis Epiphanio epiſt. ad Joannem Jeroſolymitanum, & Hieronymo ep. 55. ad Pammachium. Sed

R. De fide eſt pœnas Dæmonum eſſe æternas. Probatur 1°. ex Scripturâ, Matth. 25. *Diſcedite... maledicti in ignem æternum.* Et infrà, *ibunt hi in ſuplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Quæ poſteriora verba demonſtrant pœnam non minùs eſſe æternam, quàm ipſum ignem. Probatur 2°. ex traditione. Sanctus Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 15. ſic ſcribit, *neque illud dici hîc poterit, in quo nonnulli ſeipſos ſeducunt, ignem æternum dictum, non ipſam combuſtionem æternam... cùm & hoc prævidens Dominus ſententiam ſuam concluſit ita, dicens ſic,* ibunt illi in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam. *Erit ergo combuſtio æterna ſicut ignis.* Adde, ſicut & vita æterna in juſtis. Sanctus etiam Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 43. *Firmiſſimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites iniquos omnes ituros in combuſtionem æternam.* Denique Concilium generale quintùm ſub Vigilio ſummo Pontifice, & Juſtiniano Imperatore damnavit Origenem, quòd diceret omnium impiorum hominum, ipſorum quoque Dæmonum tormenta finem habitura.

SECUNDA PARS,

De mundi viſibilis opificio.

CAPUT PRIMUM.

Utrùm Mundus ſit ab æterno?

R. De fide eſt mundum non eſſe ab æterno. Ita enim definit Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, his verbis, *utramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam.*

Probatur ex Scripturâ, Prov. 8. Sapientia de ſeipsâ ſic loquitur, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio:* Ergo fuit; cùm Deus non fecerat quidquam. Geneſ. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Quamvis enim plures è Patribus nomine principii intelligant Verbum divinum, in quo condita ſunt omnia; alii ſic interpretantur, ut cœlum & terra ſint principium eorum omnium, quæ à Deo creata ſunt: principium autem creatum in eorum ſententiâ poſſit eſſe æternum; attamen Patres communiter ex hoc loco colligunt mundum non eſſe æternum, ſed creatum in principio temporis; ſeu primo temporis momento.

Dices pro veteribus Philoſophis, qui ſtatuebant mundum, ſeu materiam rerum omnium eſſe ab æterno: ex nihilo nihil fit: Ergo.

Diſtinguo antecedens, ex nihilo nihil fit à causâ ſecundâ, concedo: à causâ primâ, Nego antecedens; nam Angeli conditi ſunt ex nullo præexiſtente ſubjecto, cùm ſint ſpiritus.

Q. 2°. *Quot numerantur anni à creatione mundi?*

R. Numerantur uſque ad Chriſti nativitatem quatuor millia annorum.

Q. 3°. *Unde colligitur ille annorum numerùs?*

R. Ex diverſis mundi ætatibus, in quas Scriptores Eccleſiaſtici diſtribuerunt mundi durationem.

Q. 4°. *Quot ſunt illæ ætates?*

R. Sex. Prima cœpit à creatione mundi, duravitque uſque diluvium annis 1656.

Secunda à diluvio, & duravit uſque ad egreſſum filiorum Iſraël ex Ægypto annis 887.

Tertia ab egreſſu Judæorum ex Ægypto ad Templum conditum, anno 4. regni Salomonis. 3. Reg. cap. 6. v. 1. complectitur annos 480.

Quarta currit à templo condito ad finem captivitatis Babylonicæ, annis 452.

Quinta à ſolutâ captivitate Babylonicâ ad Chriſti nativitatem duravit annis 525.

Sexta à Chriſti nativitate protenditur uſque ad ſecundum illius Adventum.

Q. 5°. *Unde habetur tandiu duraſſe quamlibet ætatem?*

R. Duratio 3æ, 4æ & 5æ ætatis ſatis colligitur, partim ex Scripturis ſacris, partim ex Hiſtoriâ prophanâ. Sed major eſt difficultas circa duas priores ætates; quia nullus exſtat Scriptor Moyſe antiquior, quo duce filii Iſraël egreſſi ſunt ex Ægypto. Meritò autem quæri poteſt, quomodo Moyſes texere potuerit hiſtoriam ab orbe condito uſque ad ſuam ætatem. Ad quam difficultatem

R. Moyſes præter revelationem Spiritus-ſan-

cti, quo afflante & aſſiſtente ſuam hiſtoriam adornavit, potuit diſcere res ante ſe geſtas ex traditione, quæ propter diuturniorem Patriarcharum vitam & experientiam potuit eſſe certa & conſtans.

Enimverò Sem Noë filius poſt diluvium ſupervixit cum Abrahamo per centum annos & ampliùs, vixitque ante diluvium cum patre ſuo Noë, & cum Lamech avo ſuo, ac Matuſalâ atavo, qui duo poſteriores cum Adamo diutiùs converſati ſunt.

A morte autem Abraham uſque ad nativitatem Moyſis, cùm fluxerint duntaxat 290. anni, illud temporis ſpatium breve fuit, ſi habeatur ratio longævæ ætatis Patriarcharum, qui facilè videbant filios filiorum ſuorum uſque ad quartam & quintam generationem, ut patet vel ex genealogiâ Moyſis, cujus Pater Amram vixit 137. annis, quorum aliquos cum Joſeph tranſegit, & avus Caath 133. Exodi cap. 6. qui cum Jacob in Ægyptum deſcendit. Porrò natus eſt Jacob ſuperſtite adhuc Abrahamo, qui per centum annos & ampliùs diſcere potuit à Patriarchâ Sem, quæ audierat à Lamech & Matuſalâ.

CAPUT II.

Quonam ordine cuncta viſibilia condita ſunt?

R. Primâ die Deus ex nihilo cœlum & terram creavit, deinde produxit lucem ſeu corpus lucidum, quod primo mundi triduo 24. horis, eo modo, quo nunc Sol, utrumque Hemiſpherium circumgirabat ac illuminabat, &

ſic diem ac noctem conſtituebat. Cœpit autem motus ejuſmodi corporis lucidi à medio Hemiſpherio aliquandiu poſt creationem cœli & terræ unde Moyſes diem incipit à Veſpere, *factumque eſt*, inquit, *veſpere & mane dies unus*, id eſt, dies primus.

Secundâ die, factum eſt Firmamentum dividens aquas ab aquis. Quid autem nomine Firmamenti intelligi debeat, non una eſt Theologorum ſententia. Sanctus Hieronymus ep. 83. ad Oceanum, ſanctus Auguſtinus, & Beda in Gen. intelligunt corpus diaphanum, quod à terrâ ad empyreum protenditur & extenditur; hebraïcè enim Firmamentum eſt extenſio, cujus inferior pars communiter vocatur aër, nonnunquam etiam cœlum, ut Pſal. 8. *Volucres cœli.* Dividit autem aquas ab aquis nempe nubes, quæ ſupra infimam aëris partem volitant, ab aquis quæ in mari & fluminibus concluduntur. Denique cœlum ſic acceptum dicitur Firmamentum, non quòd ſit corpus ſolidum, ſed quòd ſit firmiſſimè ſuſpenſum & extenſum.

Tertiâ die, aqua, quæ ut pote minùs gravitans, operiebat univerſam ſuperficiem terræ, congregata eſt in alveos & cavitates profundiores ſic à Deo præparatas, ut inde montes excreviſſe credendum ſit; & terra, jubente Deo, ſtatim exſiccata protulit herbas, plantas & arbores, ſimulque Paradiſus terreſtris, hoc eſt, hortus amœniſſimus conſitus fuit.

Quartâ die ex corpore lucido in partes veluti in igneos globos diſſecto, condita ſunt ſydera, ſcilicet Sol, Luna & Stellæ.

Quintâ die, Deus ex aquis piſces & aves eduxit.

Sextâ die, Deus produxit primùm animalia terreſtria, quadrupedia & reptilia, ac demum

omnibus ad commodam hominis habitationem ritè diſpoſitis, formavit hominem, maſculum & fœminam, nempe Adamum & Evam, ſicque omni opere perfecto, dicitur Deus die ſeptimâ requieviſſe, non defatigatione, ſed ceſſatione à novis operibus.

Dices: colligitur ex c. 2. Gen. Deum produxiſſe Evam die octavâ: Ergo.

Nego antecedens: tum quia eodem capite 2. verſ. 2. expreſsè habetur Deum requieviſſe die ſeptimâ ab univerſo opere, ac proinde nihil novum poſt diem ſextam produxit: tum quia cap. 1. verſ. 27. legitur Deum creaſſe die ſextâ maſculum & fœminam, eiſque dixiſſe, *Creſcite & multiplicamini.*

Ideo autem Moyſes nonnulla interſerit inter creationem Adam & Evæ; quia ambo ſimul non ſunt creati; Adamus quippe formatus eſt extra Paradiſum, Eva verò in Paradiſo, in quem Deus priùs tranſtulit Adamum, quàm formaretur Eva, & occaſione hujus tranſlationis Moyſes cap. 2. deſcribit loci amœnitatem, ac tandem narrat quomodo Eva è latere Adami dormientis educta fuerit, unâ ex ejus coſtis extractâ.

Ergo, inquies, Adamus vel creatus eſt monſtroſus, ſcilicet cum coſtâ ſuperfluâ, vel mutilus remanſit poſt Evæ productionem.

Nego ſequelam: namque coſta extracta erat ad perfectionem corporis humani neceſſaria, nec propterea Adamus remanſit mutilus, cùm Deus aliam repoſuerit; ſicut enim coſta non ſine carne eſt extracta, ut conſtat ex his Adami verbis, *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*; ſic nec carnem ſine coſtâ repoſitam credendum eſt.

Q. 2°. *Cur Eva educta eſt ex latere Adami, cùm fœminæ in aliis ſpeciebus animalium non fuerint hoc modo productæ?*

Reſpondet S. Thomas qu. 92. art. 2. id fuiſſe convenientiſſimum. 1°. *ut quædam dignitas primo homini ſervaretur*, nimirum ut eſſet principium totius ſui generis, quemadmodum Deus eſt principium totius univerſi. 2°. ut vir magis diligeret uxorem, ut quæ ſit corporis ſui portio, quod ſignificatur his verbis, *propterea relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne unâ*. Nemo autem carnem ſuam etiam infirmam odio habuit. 3°. ut appareat qualis debeat eſſe ſocietas inter virum & uxorem: monetur uxor ſe in virum dominari non debere, dum meminit ſe non ex ejus capite eſſe eductam: vir diſcit uxorem non habendam ut ancillam, ſed ut ſociam, ut quæ non ſit ex ejus pedibus, ſed ex latere, & quaſi ex corde extracta. 4°. ut adumbretur Sacramentum Eccleſiæ, quæ de latere ſecundi Adam in Cruce dormientis formata eſt. *Dormit Adam, ut fiat Eva: moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia; dormiente Adam fit Eva de latere; mortuo Chriſto, lanceâ perforatur latus, ut ſuperfluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia*, lib. de verâ innoc. cap. 328. apud S. Auguſtinum.

Q. 3°. *Unde vocatur lignum ſcientiæ boni & mali, quod Deus ab initio plantaverat?*

R. Ab eventu; quia ſcilicet illius eſu primi parentes experti ſunt vera eſſe quæ Deus minatus fuerat, & falſa quæ ſerpens promiſerat; abſit enim ut credatur rem materialem habuiſſe vim pariendi omnimodam ſcientiam, *hæc dignoſcentia non eſt beati hominis ſapientia, ſed miſeriæ experientia, unde lignum nomen accepit*, ſanctus Auguſtinus, lib. 1. contra adverſarium legis cap. 26.

Q. 4°. *Quo ſenſu accipiendum eſt, quod legitur Geneſ. cap. 3. verſ.* 7. Et aperti ſunt oculi ambo-rum?

R. Eo

R. Eo ſenſu, quo ſolemus dicere de eo, qui ſapientior factus eſt experimento miſeriæ, quam incurrit ob contempta ſalutaria monita, *tandem aperuit oculos*, hoc eſt, advertit quæ priùs videre detrectabat.

Q. 5°. *In quo loco ſitus erat Paradiſus?*

R. Omninò incertum eſt; namque origo quatuor fluviorum, quos Moyſes dicit è Paradiſo ſcaturire, non in uno terrarum loco reperitur, Deo ſic occultante primam eorum ſcaturiginem per ſubterraneos cuniculos longiſſimos, ne locus Paradiſi hâc viâ mortalibus innoteſcat.

Q. 6°. *Extat-ne etiam nunc Paradiſus terreſtris?*

R. Alii Theologi affirmant, contenduntque Henoch & Eliam in eo conſervari uſque ad ſecundum Chriſti adventum: alii negant, aſſerentes illum aquis diluvii ſubmerſum. Quis autem illam controverſiam dirimet, cùm nec Scriptura, nec Traditio lucem præbeant?

Q. 7°. *Quid eſt gladius ille flammeus in manibus Cherubim, de quo Gen. 3. v. 24.*

R. Alii volunt eſſe zonam torridam: alii flammam in figuram gladii conformatam: alii ipſam virtutem Angelicam, quâ arcentur etiam Dæmones ab ingreſſu Paradiſi terreſtris, ne ſpe immortalis vitæ procurandæ per lignum vitæ vecordes homines in ſui obſequium & idololatriam pertrahant. Nullus itaque quærat in terrâ Paradiſum voluptatis, ne cœleſtem amittat, pereatque flammeo gladio.

CAPUT III.

Expenduntur ea, quæ ad hominis creationem pertinent.

Q. 1°. ADamus eſt-ne omnium hominum primus? R. Nonnulli ſuſpicionem injicere conantur ante Adamum alios extitiſſe homines, ipſumque dici primum, Sap. 10. v. 1. Et Cor. 15. v. 47. in genealogiâ Chriſti dumtaxat. Contra vanam & abſonam ejuſmodi opinionem

R. Conſtans eſt omnium Catholicorum ſententia, Adamum eſſe omnium hominum abſolutè primum.

Probatur 1°. ex Scripturâ Sap. 10. verſ. 1. *Formatus eſt orbis terrarum Pater*. Act. 17. v. 26. *Fecit ex uno omne genus humanum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*. In his textibus diſertè aſſeritur Adamum Patrem eſſe non ſolùm Hebræorum, ſed etiam totius orbis, & totius generis humani. Gen. 2. v. 5. ante Adamum *homo non erat qui operaretur terram*.

Probatur 2°. ex conſtanti omnium ſæculorum Traditione; omnes quippe non ſolùm Chriſtiani, ſed etiam Judæi hactenus agnoverunt unum Adamum eſſe primam ſtirpem generis humani.

Probatur 3°. ratione Theologicâ; quia ſi ante Adamum extitiſſent homines, filii eorum nati non eſſent filii iræ & obnoxii peccato originali, ac proinde ſalutem ſine meritis Chriſti fuiſſent conſecuti, quo nihil abſurdius.

Dices pro Præadamitis: Rom. 5. legitur, regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem,

etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ. Ergo.

Diſtinguo antecedens; qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, hoc eſt, qui non peccaverunt actualiter, ſeu propriâ voluntate, quemadmodum Adam, Concedo; qui non peccaverunt originaliter, & in primo parente, Nego anteced. Apoſtolus itaque vult ſolùm omnes etiam infantes ante legem ſcriptam fuiſſe morti obnoxios, ac proinde peccato originali infeſtos. Quare locus ille Præadamitarum opinionem evertit, nedum fulciat.

Q. 2°. *Cur homo non eſt conditus, ſicut aliæ creaturæ, divinæ vocis imperio, ſed manu contrectante?*

R. Ut commendaretur hominis dignitas. *Adeo magna res agebatur*, inquit Tertullianus lib. de reſurrectione carnis cap. 6. *quâ iſta materia extrueretur. Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, providentiâ, & ipsâ imprimis affectione, quæ lineamenta ductabat. Quodcunque enim limus exprimebatur Chriſtus cogitabatur homo futurus.* Et ſanctus Ambroſius expendens verba Pſalmi 118. *manus tuæ fecerunt me*, ait, *beſtias non fecerunt manus tuæ, ſed dixiſti*, producat terra, &c.

Q. 3°. *Quid indicant illa verba Gen.* 2. inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ?

R. Indicant animam rationalem non eſſe eductam è materia, cùm ſit ſpiritualis, ſed à Deo inſpiratam, non quidem tanquam particulam ſubſtantiæ divinæ, ut ſomniarunt Manichæi, ſed ex nihilo creatam.

Q. 4°. *Anima rationalis eſt ne revera ſpiritualis & incorporea?*

Negavit Tertullianus lib. de animâ cap. 6. &

ſequentibus & plures ex veteribus Philoſophis, ut Stoïci ex Euſebio lib. 15. de Præparatione cap. 16. contra quem errorem.

R. Certum eſt apud Catholicos, animam eſſe ſpiritalem & incorpoream; ſic enim habet Concilium Lateranenſe quartum cap. *Firmiter. Ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritalem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam; deinde humanam ex ſpiritu & corpore conſtantem.* In quibus poſterioribus verbis Concilium vocat animam ſpiritum, & quidem propriè dictum, cùm à corpore illam diſtinguat. Quamvis autem hæc verba definitionem fidei non contineant, tamen ſupponunt doctrinam eſſe apud Catholicos certiſſimam.

Probatur autem reſponſio, 1°. ex Scripturâ, Eccleſ. 12. verſ. 7. *Antequam revertatur pulvis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* 1. Cor 2. verſ. 11. *Quis... hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei.* Spiritus in hoc diſcurſu Apoſtoli debet ſumi univocè, & in eâdem ſignificatione: atqui cùm de Deo prædicatur, non ſumitur pro flatu aut vento, ſed pro ſubſtantiâ ſimplici & incorporeâ: ergo & cùm de homine dicitur.

Probatur 2o. ex Patribus. Sanctus Baſilius hom. in illud, *attende tibi*, ſic loquitur, *Contemplatione tuæ tibi inexiſtentis animæ corporeæ, tibi cogita Deum eſſe incorporeum.* Sanctus Auguſtinus in Pſal. 145. *natura animæ*, inquit, *præſtantior eſt, quàm natura corporis: excellit multùm, res ſpiritualis eſt, res incorporea eſt, vicina eſt ſubſtantiæ Dei.*

Dices: Eccleſ. 3. v. 19. habetur, *ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius* & v. 20. *de terrâ facta ſunt, & in terram pariter revertuntur:* Ergo.

Diſtinguo anteced. Similiter ſpirant omnia, & in terram revertuntur ſecundùm corpus, Concedo: ſecundùm animam, Nego anteced. nam ex citato cap. 12. ſpiritus hominis redit ad Deum, qui dedit illum.

Inſtabis: atqui Eccleſiaſtes eo loci negat ſpiritum hominis aſcendere ſurſum, *quis novit*, inquit, *ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Ergo.

Nego ſubſumptum; Eccleſiaſtes enim non negat diverſam eſſe utriuſque Spiritûs ſortem, ſed cùm iſta ſenſibus non percipiantur, paucique ſint admodum, qui ratione cuncta perpendant, quærit duntaxat, quis ex eo quòd eadem ferè hîc eveniant bonis & malis, ſapienter colligat futurum poſt hanc vitam judicium, in quo Deus reddet unicuique juxta opera ſua, quemadmodum ipſe colligit cap. 3.

Q. 50. *Poteſt-ne demonſtrari animam eſſe ſpiritum?*

R. Demonſtratur à poſteriori per effectus. Namque illud principium eſt ſpirituale & incorporeum, quod producit effectus ſpiritales & immateriales: atqui anima rationalis producit actus ſpirituales: Ergo.

Major eſt certa. Non enim minùs certò colligimus principium ſpiritale ex operationibus ſpiritalibus, quàm principium vitale ex operationibus vitalibus: Ergo ſicut nobis conſtat animal vivere, cùm in illo deprehendimus operationes vitales, ita certi eſſe debemus cauſam eſſe ſpiritalem, cujus videmus effectus ſpiritales; operari enim ſequitur eſſe.

Minor experientiâ conſtat; anima quippe rationalis contemplatur ſapientiam, Deum ipſum: diligit juſtitiam: univerſalia & poſſibilia æquè percipit, ac ſingularia & exiſtentia: producit actus reflexos, per quos ſupra ſe & ſupra omnem

materiam aſſurgit : intentiones cordis examinat, approbat vel improbat : per libertatem de ſuis actibus diſponit tanquam domina, non trahitur ab objectis ſicut irrationalia, ſed ſeipſam determinat, nonnunquam etiam contra naturalem inclinationem : atqui ejuſmodi operationes ſunt ſpiritales : Ergo.

Q. 6°. *Anima rationalis eſt-ne immortalis?*

R. De fide eſt immortalem eſſe.

Probatur ex Scripturâ, quæ tam dilucidè, tamque conſtanter hancce veritatem aſtruit, ut Tertullianus ipſe, qui ſupra negabat animam eſſe incorpoream, aſſerat lib. de animâ cap. 22. & 38. eam eſſe immortalem etiam naturaliter. Enimverò Scripturæ eo ipſo prædicant animam rationalem eſſe immortalem, quo juſtis promittunt vitam æternam, malis verò pronuntiant pœnam æternam, ut Sap. 5. *Juſti... in perpetuum vivent.* Matth. 25. v. 46. *Ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam.* 2. Cor. 5. verſ. 1. *ſcimus... quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Hanc fidem Chriſtiani ab initio profeſſi ſunt in Symbolo Apoſtolorum.

Q. 7°. *Ratio naturalis demonſtrat-ne animam rationalem eſſe immortalem?*

R. Demonſtrat. Quia ſubſtantia à materiâ, ſeu ſubjecto independens corrumpi non poteſt, niſi ex diſſolutione ejus partium : atqui anima rationalis eſt ſubſtantia à materiâ independens, utpote ſpiritus corpori aliunde adveniens, nec componuntur ex partibus, ſed eſt ſimpliciſſima. *Mors*, inquit ſanctus Gregorius Nyſſenus Orat. Catech. c. 8. *non attingit animam; quomodo enim diſſolvi poteſt, quod non eſt compoſitum.*

Dixi, *ſubſtantia à materiâ ſeu ſubjecto independens;* quia, quæ à materiâ dependent, ut formæ

ſubſtantiales animalium, vel à ſubjecto, ut accidentia ſpiritualia, v. g. habitus, corrumpi poſſunt, ut quæ educantur ex ſubjecto diſpoſito, & ab eo pendeant; tum in fieri, tum in conſervari; unde ſublatis materiæ, ſeu ſubjecti diſpoſitionibus, pereant neceſſe eſt. Cùm autem anima rationalis, utpote ſubſtantia ſpiritualis, non educatur è corpore, non ab eo pendet in fieri, nec proinde in conſervari. Porrò ex operationibus ſpiritualibus, quibus ſuprà probamus animam eſſe ſpiritualem, colligitur illam à corpore non pendere, ac conſequenter eſſe immortalem. Euſebius lib. 11. Præparat. refert ex Porphirio Platonem hâc ratione immortalitatem animæ aſtruxiſſe.

Q. 8°. *Anima rationalis eſt ne forma corporis hominem eſſentialiter componens ac conſtituens?*

Nonnulli auſi ſunt aſſerere eſſe formam dumtaxat aſſiſtentem, quos Concilium Viennenſe Clementinâ unicâ de ſummâ Trinitate perſtringit his verbis, *Doctrinam ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ verè ac per ſe humani corporis non ſit forma; ut erroneam & veritati Catholicæ inimicam, prædicto approbante Concilio, reprobamus ... ſi quis deinceps aſſerere, defendere, aut tenere pertinaciter præſumpſerit ... tanquam Hæreticus ſit cenſendus.* Quare juxta fidem Catholicam

R. Anima rationalis eſt vera corporis forma, hominem ſubſtantialiter, & eſſentialiter conſtituens.

Probatur ex Scripturâ, & ratione ſimul. Gen. 1. dicitur, *creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*, Et cap. 2. *formavit igitur... Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Ex

quibus locis habetur, quòd homo per animam rationalem factus ſit vivens, ad imaginem Dei, & eatenus intelligentiæ ac præcepti capax, & conſequenter meriti & demeriti: Ergo homo eſſentialiter conſtat ex corpore & animâ rationali ſubſtantialiter unitis.

Conſequentia probatur. Denominationes illæ, ſcilicet vivens rationalis ſeu intellectivus, ſimilis Deo, bonus, beatus, &c. non competunt corpori vel animæ ſeorſim ſumptis, ſed homini, qui ex utriſque reſultat; nam poſt ſeparationem nec corpus eſt vivens rationale, nec anima eſt homo, ut qui per mortem eſſe deſinat: atqui ejuſmodi denominationes non poſſunt competere homini, ſi anima rationalis non ſit ſubſtantialiter unita corpori, ut ex illâ unione exurgat unum totum ſubſtantiale nempe homo, ſed ei adſit duntaxat ut gubernator navi, quam regit. Hinc Theologi contra Neſtorium, efficaciter evincunt Verbum non eſſe accidentaliter ſeu moraliter duntaxat, ſed ſubſtantialiter unitum naturæ humanæ; quia ſine unione ſubſtantiali de Chriſto dici non poſſet, Deus eſt homo, Deus eſt natus, mortuus, nec viciſſim homo eſt Deus, homo eſt omnipotens, &c. Quemadmodum de Juſto, cui Deus moraliter unitur, falsò diceretur homo juſtus eſt Deus omnipotens. Ergo revera homo eſt aliquod totum ſubſtantiale conſtans ex corpore & animâ rationali ſubſtantialiter unitis.

Q. 9°. *Secundùm quam partem homo factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei?*

R. 1°. Non ſecundùm corpus; quia res corporeæ non poſſunt eſſe expreſſæ ſimilitudines entis ſpiritalis & incorporei. Dicuntur duntaxat juxta ſanctum Thomam veſtigia Dei; quia ſicut ex veſtigiis colligitur, quæ ſpecies animalis tranſie-

rit, ſic inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſed veſtigium dici nequit imago, cùm non exhibeat proprios characteres rei, cujus indicium eſt.

Indirectè tamen Imago Dei relucet in corpore humano; quatenus rectitudo ejus indicat animi rectitudinem; *quid enim indecentius*, inquit ſanctus Bernardus Serm. 24. in Cant. *quàm curvum recto corpore gerere animum?* Et ſanctus Auguſtinus lib. 83. qu. de rectitudine humani corporis, ſcribit: *Magis in hoc ad imaginem & ſimilitudinem Dei eſſe, quàm cætera corpora animalium merito videri poteſt.*

Ergo Imago Dei propriè in animâ rationali quærenda eſt. *Imago Dei*, inquit S. Auguſtinus Ser. 2. in Pſal. 48. *eſt intus, non in corpore, ſed ubi eſt intellectus, ubi mens, ubi ratio inveſtigandæ veritatis.*

Q. 10°. *Quotuplex eſt Imago Dei in mente hominis?*

R. Duplex, alia naturalis & eſſentialis, alia ſupernaturalis & accidentalis.

Q. 11°. *Quomodo homo ſecundùm animam eſt naturaliter Imago Dei?*

R. Quatenus ſub illo reſpectu eſt ſubſtantia ſpiritalis, immortalis, intellectu & voluntate prædita, quibus pro modulo imitatur ſuum exemplar, nempe per intellectum efformat verbum, in quo ipſi repræſentantur omnia, quæ ſub ejus notitiam cadunt, corporalia & ſpiritalia, inviſibilia quoque Dei, & per voluntatem producit eorum omnium amorem, quæ intellectus amanda proponit. Præterea homo per animam rationalem eſt liberi arbitrii, ſuorum actuum dominus, præeſtque cunctis animantibus.

Hæc imago naturalis 1°. fœdari poteſt per actus difformes naturæ rationalis, & eatenus homo recedit à ſuo exemplari; ſed corrumpi omnino

non poteſt, ſicut nec ipſa natura humana. 2°. Communis eſt utrique ſexui, ſpecialiter tamen elucet in maſculo, quatenus naturaliter eſt caput mulieris, & prima ejus origo, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 11. verſ. 7. *vir... imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri eſt.*

Q. 12°. *In quo conſiſtit imago Dei ſupernaturalis & accidentalis?*

R. In donis ſupernaturalibus, ac præſertim in gratiâ ſanctificante, per quam Juſti fiunt divinæ naturæ conſortes, 2. Petri cap. 1. Filii Dei adoptivi, & conformes imagini Filii ejus. Hæc imago *non cuſtoditur*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. 12. de Trinitate cap. 11. *niſi ad ipſum, à quo imprimitur*, tuncque perfecta erit, quando perfecta erit Dei viſio; *ſcimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus*, 1. Joan. 3.

CAPUT IV.

De gratiâ primi hominis.

Q. 1°. P*Rimus homo fuit-ne conditus in gratiâ?*

R. Fuit, probaturque 1°. ex Scripturâ, Eccleſ. 7. v. 30. *Fecit Deus hominem rectum*, Eccli. 17. verſ. 6. *creavit illis ſcientiam ſpiritûs, ſenſu implevit cor illorum.* Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 5. can. 1. ubi tradit hanc doctrinam ut in Eccleſiâ receptam & indubitatam; *ſi quis non confitetur*, inquit, *primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in quâ conſtitutus fuerat, amiſiſſe.... anathema ſit.* 3°. Ex ſancto Auguſtino lib. de correptione & grat. cap. 11. in quo ſic habet: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem*, ſcilicet à

gratiâ Chriſti, quæ eſt hujus ſtatûs.

Q. 2°. *In quo differt gratia hujus ſtatûs à gratiâ Adamo conceſsâ?*

Reſpondet ſanctus Auguſtinus citato cap. 11. lib. de cor. & gr. differre ratione auxiliorum actualium, quæ in hoc ſtatu longè ſunt potentiora; nam gratia ſanctificans, & virtutes infuſæ eædem ſunt in hoc ſtatu, & in ſtatu innocentiæ. *Iſtam gratiam*, inquit ſanctus Doctor, *non habuit primus homo, quâ nunquam vellet eſſe malus, ſed ſanè habuit, in quâ ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet ... tale quippe erat adjutorium, quod desereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam; ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, quâ fit ut habeat homo justitiam, ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt, quâ etiam fit ut velit.* Sed de his plura diximus Tract. de Attributis, & de Gratiâ.

Q. 3°. *Homo nunc per pænitentiam reſtituitur-ne omninò juſtitiæ originali, quam in Adamo peccante amiſimus?*

R. Minimè, quia juſtitia originalis præter gratiam ſanctificantem, virtutes infuſas, & auxilia actualia, plura dona complectitur.

Q. 4°. *Quid ultra complectitur?*

R. Perfectam ſubordinationem partis inferioris cum ſuperiore. Nulla erat in homine innocente membrorum rebellio, nullus concupiſcentiæ motus, nulla imaginationis aut alterius ſenſûs evagatio: paſſiones, ut nutum rationis expectabant, ſic ipſi imperanti non reluctabantur: corpus non aggravabat animam, ſed adjuvabat: nulla in eo infirmitas, nulla ægritudo ſive ab intrinſeco, & humorum intemperie, ſive ab extrinſeco, & ab ullâ creaturâ infeſtante; rectus enim ordo depoſcebat, ut ſicut mens per gra-

tiam Deo perfectè erat ſubdita; ſic corpus menti in omnibus obtemperaret, & corpori inferiores creaturæ ad nutum deſervirent.

Ergo primus homo, ſicut poterat non peccare in illo felici ſtatu, poterat etiam non mori: nam ex Apoſtolo, Rom. 5. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.*

Q. 59. *Homo in ſtatu innocentiæ fuiſſet-ne perpetuò manſurus in terrâ?*

R. Minimè, ſed ſine morte tranſlatus fuiſſet ad Sedem Beatorum. Quandiu autem in terris egiſſet, prorſus incertum eſt.

Q. 60. *Permanente ſtatu innocentiæ fuiſſet-ne ſubordinatio inter homines?*

R. Fuiſſet; quia ordo ſervari non poteſt in multitudine ſine aliquâ partium ſubordinatione; Angeli etiam, beati & homines perfectiores diſtribuuntur in varios Ordines & Hierarchias. Adde quòd homo naturaliter eſt caput mulieris, ac proinde ex inſtitutione naturæ debet eam regere.

Dices: Gen. 3. dicitur mulieri in pœnam ejus peccati, *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*: Ergo mulier non fuiſſet ſubdita, niſi peccatum præceſſiſſet.

Diſtinguo conſeq. non fuiſſet ſubdita ſubjectione moleſtâ, qualem nunc experiuntur ſub moroſis conjugibus, Concedo: ſubjectione connaturali, & ideo gratâ & ſuavi, qualis exiſtit inter Angelos, & membra ejuſdem corporis, Nego conſeq. Quoties ergo dura & acerba patiuntur, tum uxores ſub regimine maritorum, tum ſervi & famuli ſub imperio dominorum, toties eos meminiſſe oportet hanc eſſe juſtam peccati pœnam à Deo inflictam, quam ſi humili & pœnitenti animo ſubeant, Dei miſeri-

cordiam & benevolentiam ſibi conciliabunt.

Quod ergo priùs naturale erat mulieri, nempe poteſtati viri ſubeſſe, filios parere, poſt peccatum evaſit ſupplicium propter moleſtiam & dolorem, ſine quibus nunc ejuſmodi naturæ officiis non defungitur. Sic quæ ſerpenti naturalia erant, nimirum humi reptare, antra ſequi, terram comedere, jam deſtinantur in pœnam, ut ex præconcepto hominum odio faciliùs proteratur.

Inſtabis: primis parentibus adhuc innocentibus data eſt duntaxat poteſtas dominandi cunctis animalibus: ergo in ſtatu innocentiæ nulla fuiſſet in homine poteſtas in alios homines.

Diſtinguo conſequ. poteſtas proprietatis, quæ inducit ſervitutem, Concedo; nam ex ſancto Auguſtino lib. 19. de Civitate Dei cap. 15. *Nomen ſervitutis culpa meruit, non natura.* Poteſtas juriſdictionis, ſubdiſtinguo, dominativa & coactiva, Concedo: hæc quippe in mente ſancti Gregorii uſum non habet niſi erga eos, quos Apoſtolus animales vocat 1. Cor. 2. cùm enim propriâ ratione non regantur, cogendi ſunt alienâ: Poteſtas juriſdictionis directiva & ordinativa, Nego conſeq. quia hominum ſocietas ſine Duce ordinari nequit.

Q. 7°. *Genus humanum in ſtatu innocentiæ fuiſſetne propagatum per carnalem generationem?*

R. Negarunt nonnulli ex ſanctis Patribus, ut ſanctus Auguſtinus; ſed retractavit ſuam ſententiam, & communem amplexus eſt lib. 1. Retract. cap. 10 & in aliis libris, quos ſcripſit jam Epiſcopus, ut lib. de nuptiis & concup. cap. 1. *Nuptiæ verò eſſent*, inquit, *etiamſi nemo peccaſſet; fieret quippe ſine illo morbo* (concupiſcentiæ) *ſeminatio filiorum in corpore vitæ illius, ſine quo nunc fieri non poteſt in corpore mortis hujus.* Et lib. 1. de pec. mer-

cap. 37. docet homines propter uteri anguſtias parvulos naſcituros, ſed non in eâ infirmitate, quæ in illis major eſt, quàm in brutis animantibus, quæ ſtatim ab ortu incedunt, & matrum ſuarum mamillas quærunt, ſuguntque.

Q. 8°. *Quandiu duravit ſtatus innocentiæ?*

R. Brevi duraſſe una eſt Theologorum ſententia, ſed quandiu prorſus incertum. Alii ſuſpicantur Adamum peccaſſe ſecundâ die à ſuâ creatione, alii octavâ, alii quadrageſimâ. Hic unuſquiſque, propter Scripturæ ſilentium, in ſuo ſenſu abundat.

CAPUT IV.

De lapſu primi hominis.

Q. 1°. Q*Uodnam fuit peccatum Adami?*

R. Certum eſt Adamum cecidiſſe ſuperbiâ; ſcriptum eſt enim Eccli. 10. verſ. 14. & 15. *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit illum, receſſit cor ejus, quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia*, quæ adjunctam habuit inobedientiam, & nimiam complacentiam erga uxorem.

Utrùm autem peccaverit contra fidem, non ſatis conſtat. Affirmat Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 2. *quis*, inquit, *dubitabit ipſum Adæ peccatum hæreſim pronuntiare*? Negat verò ſanctus Auguſtinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. ultimo; quia ex Apoſtolo 1. Tim. 2. Adam non fuit ſeductus, ac proinde falſum non credidit: ſed inordinato amore propriæ excellentiæ jam excæcatus, & blanditiis uxoris delinitus, non ſatis attendit ad Dei comminationem.

Q. 2°. *Uter graviùs peccavit?*

R. Eva, ex communiori Theologorum ſententiâ; quia Adamum ad peccandum induxit, *à muliere initium ... peccati, & per illam omnes morimur.* Eccli. 25.

Q. 3°. *Si ſola Eva peccaſſet, poſteri ejus naſcerentur-ne peccato obnoxii?*

R. Minimè; quia in Evâ non continebantur tanquam in capite.

Q. 4°. *Peccatum primorum parentum fuit-ne graviſſimum?*

Reſpondet ſanctus Thomas 2. 2. qu. 163. art. 3. fuiſſe graviſſimum, non quidem ex objecto, quia idololatria & blaſphemia ex naturâ ſuâ ſunt peccata graviora, ſed ex circumſtantiis. 1a. petitur ex ſanctitate perſonæ, & perfectione ſtatûs. 2°. ex libertate, quæ in illis fuit pleniſſima; peccarunt quippe ſine ullo concupiſcentiæ impulſu, aut infirmitatis pondere. 3a. ex ratione præcepti, quod fuit impletu facillimum. 4a. ex gravi nocumento, quod ex eorum inobedientiâ ſecutum eſt; ipſa enim totam maſſam generis humani infecit, ut dicetur tract. de peccatis.

Q. 5°. *Primi parentes ſunt-ne veniam conſecuti?*

R. Certum eſt fuiſſe conſecutos; de iis enim ſic legitur Sap. 10. *Hæc* (ſapientia) *illum, qui... formatus eſt à Deo Pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo.* Et ſanctus Auguſtinus Epiſt. 164. aliàs, 99. aſſerit Adamum non ſolùm veniam peccati obtinuiſſe; ſed etiam poſt pœnitentiam uſque ad mortem perſeveraſſe: communis etiam eſt Eccleſiæ traditio Chriſtum, cùm ad inferos deſcendit, illum inde eduxiſſe. Denique Tatianus, qui priùs fuerat ſancti Juſtini auditor, reprehenſus eſt, quòd inter ceteros errores docuerit Adamum & Evam eſſe damnatos.

Q. 6°. *Quomodo veniam conſecuti ſunt?*

R. Per fidem in Chriſtum venturum ; namque *non eſt in alio aliquo ſalus* Act. 4. & ſanctus Auguſtinus ep. 102. aliàs 49. qu. 2. *etiam illi juſti*, inquit, *ſalvi facti ſunt, qui priuſquam veniret in carne ; crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides eſt & noſtra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.*

Q. 70. *Cur Filius Dei venit ad liberandum hominem potiùs, quàm Angelum?*

R. Non occurit alia reſponſio, quàm Apoſtoli, Rom. 11. *quis... cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Vide bonitatem Dei in te, ſeveritatem in eos, qui derelicti ſunt. Convenientia tamen nec afferri poteſt, quòd peccatum Angelorum fuerit perſonale, nec totam naturam Angelicam infecerit, quemadmodum peccatum Adami totam naturam humanam vitiavit. Unde meritò colligit ſanctus Thomas Filium Dei potiùs veniſſe propter peccatum originale, quàm propter peccata actualia ; quia licet graviora ſint, humanam tamen naturam univerſaliter non corrumpunt, ſicut peccatum originale. Sed iſta pertinent ad Tractatum ſequentem de Incarnatione.

FINIS.

Approbatio

Approbatio D. Brillon, *Doctoris Sorbonici & Theologiæ Profeſſoris.*

ILluſtriſſimi Galliæ Cancellarii juſſu, legi novam hanc Theologiæ Dogmaticæ & Moralis editionem ad uſum ſeminarii Catalaunenſis, quod quidem opus propriâ laude & publicis elogiis ita ſe commendat ipſum, ac tuetur, ut noſtris non indigeat. Datum in Sorbonâ pridie Calendas Auguſti anni 1717.

Brillon.

Approbatio altera anteriorum editionum.

DE Mandato Illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii, librum legi, cui titulus eſt, *Theologia Dogmatica & Moralis, ad uſum Seminarii Catalaunenſis.* Hunc luce publicâ dignum judico: continet enim documenta Evangelio & doctrinæ Eccleſiaſticæ maximè conſentanea, quæ Clericis imprimis magno uſui eſſe poſſunt. Datum Pariſiis anno Domini 1706. die ſextâ menſis Maii.

Pastel, Lector Sorbonicus.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra ; Salut, Notre bien amé BARTHELEMY ALIX Libraire à Paris, Nous ayant fait remontrer qu'il lui auroit été mis en main un Ouvrage qui a pour titre : *Inſtructions Chrétiennes ſur les ſouffrances : Theologia Dogmatica & Moralis, ad uſum Seminarii Catalaunenſis, Authore Ludovico Habert D.* s'il nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires ; offrant pour cet effet de le faire imprimer en bon papier & beaux caracteres, ſuivant la feuille imprimée & attachée pour modele ſous le contre-ſcel des Préſentes. A CES CAUSES voulant traiter favorablement ledit Expoſant ; Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes faire imprimer leſdits Ouvrages ci-deſſus ſpécifiés, en un ou pluſieurs Volumes, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera, ſur papier & caracteres conformes à ladite feuille imprimée & attachée ſous notre contre-ſcel, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de ſix années conſecutives, à compter du jour de la date deſdites Préſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéïſſance ; comme auſſi à tous Imprimeurs, Libraires, & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire leſdits Ouvrages ci-deſſus expoſés, en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits ſous quelque

prétexte que ce ſoit d'augmentation, correction, changement de titre, même de traduction étrangere ou autrement, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui ; à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & interêts ; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles ; Que l'impreſſion de cet Ovrage ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs ; & que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Reglemens de la Librairie, & notamment à celui du dix Avril 1725 : & qu'avant que de l'expoſer en vente, les Manuſcrits ou Imprimez qui auront ſervi de copie à l'impreſſion deſdits Livres ſeront remis dans le même état où les Approbations y auront été données ès mains de notre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur CHAUVELIN ; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur CHAUVELIN ; le tout à peine de nullité des Préſentes. Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir l'Expoſant ou ſes ayant cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la Copie deſdites Préſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, ſoit tenue pour dûement ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, foi ſoit ajoutée comme à l'original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & neceſſaires, ſans demander au-

tre permiſſion, & nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Verſailles le vingt-neuviéme jour du mois de Juin, l'an de grace mil ſept cens trente-cinq, & de notre Regne le vingtiéme. Par le Roy en ſon Conſeil, SAINSON, avec paraphe, & ſcellé de cire jaune.

Regiſtré ſur le Livre VIII. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N. 316. fol. 302. conformément aux anciens Reglemens confirmés par celui du 28. Fevrier 1723. A Paris le 23. Fevrier 1732.

P. A. LE MERCIER, Syndic.

De l'Imprimerie de QUILLAU, rue Galande, à l'Annonciation.

IA 1152974L

Digitized by Google

163
L
1

Digitized by Google



Digitized by Google